PINACOTHECA
PRINCIPUM AUSTRIÆ,

QUÆ EST

PARS SECUNDA
TOMI III.

MONUMENTORUM
AUG. DOMUS AUSTRIACÆ.

Sal. Kleiner Del. et Sculpsit. Petrus Meyer restituit.

PINACOTHECA
PRINCIPUM AUSTRIÆ,

IN QUA

MARCHIONUM, DUCUM, ARCHI-
DUCUMQUE AUSTRIÆ,
UTRIUSQUE SEXUS,
SIMULACRA, STATUÆ, ANAGLYPHA, CETERAQUE SCULPTA,
CÆLATA, PICTAVE MONUMENTA, TABULIS ÆNEIS INCISA
PROFERUNTUR, ET COMMENTARIIS ILLUSTRANTUR.

OPUS IN DUAS PARTES TRIBUTUM,
QUOD EST

MONUMENTORUM
AUG. DOMUS AUSTRIACÆ.
TOMUS III.

OPERAM & STUDIUM CONFERENTIBUS

RR. PP. MARQUARDO HERRGOTT, & RUSTENO HEER,
O. S. B. PRINC. CONGREGATIONIS AD S. BLASIUM IN SILVA NIGRA
CAPITULL. NEC NON S. C. R. A. MAIEST. CONSILL. & HISTORIOGRAPHIS.
POST QUORUM MORTEM
RECOGNOVIT, PRELOQUE COMMISIT
MARTINUS GERBERTUS
EIUSDEM CONGREGATIONIS ABBAS,
S. Q. R. I. P.

PARS POSTERIOR
CONTINET

COMMENTARIUM, QUO TABULÆ ÆNEÆ RELIQUÆ
EXPONUNTUR, SUBIECTO INDICE.

EDITIO SECUNDA.

TYPIS SAN-BLASIANIS MDCCLXXIII.

PINACOTHECA PRINCIPUM AUSTRIÆ.

PARS II.

LIBER I.

EXHIBENS ICONES

A

RUDOLPHO HABSBURGICO,

ROMANORUM REGE,

AD USQUE

MAXIMILIANUM I. IMP.

CAPUT I.

RUDOLPHUS I. EIUSQUE UXORES, AC LIBERI.

§. I.

Breviarium vitæ Rudolphi I. *Rom.* Regis.

RUDOLPHUS ex Comite *Habsburgico* Rex *Romanorum*, in hanc lucem Kal. *Maii* MCCXVIII. editus est, patre ALBERTO *Sapiente*, Landgravio *Alsatiæ*, matre vero HELWIGE *Kyburgensi*. Secundum aliquos pueritiæ annos in aula FRIDERICI II. Imp. transegit, de quo

nos alibi. Magnam ſibi brevi cum civilis, tum bellicæ virtutis comparavit exiſtimationem, quam etiam ad finem uſque vitæ egregie tuitus eſt; ut qui inter tot, quæ commiſit prœlia, nunquam disceſſit inferior, & Imperium, ſibi ab Electoribus an. MCCLXXIII. delatum, ea prudentiæ ac fortitudinis laude ipſis duodeviginti annis adminiſtravit, ut inter præſtantiſſimos Imperatores iure, meritoque adnumeretur. Diem obiit *Spiræ Nemetum* an. MCCXCI. die XV. *Iul.* cum vixiſſet annis tribus & ſeptuaginta, menſibusque duobus cum dimidio. Matrimonia omnino duo contraxit, primum cum ANNA *Hohenbergica*, quæ & alio nomine GERTRUDIS vocabatur: ex hac, quotquot RUDOLPHUS habuit (habuit autem plurimos) liberos, ſuſtulit. Alterum cum AGNETE *Burgundica*, quæ itidem alio nomine ISABELLA, ſeu ELISABETHA audiebat. De utraque nonnulla paullo inferius. Nunc de RUDOLPHI iconibus agendum.

Prima RUDOLPHI ſtatua *Tulnæ* poſita. TAB. XIV. N. I.

II. Inter vetuſtiſſimas, quæ RUDOLPHO, *Auſtriacæ* Gentis parenti, poſitæ ſunt ſtatuæ, illa merito numeranda eſt, quæ in templo ſacrarum DEO Virginum *Tulnenſi* conſpicitur. Hæc prope altare ſupremum dextrorſum inter alias, quæ ſuo loco adducentur, *Gothica*, quod ſchema oſtendit, columna nititur: fabrica, ut ea quidem ferebant tempora, ſatis rudi & impolita, ſed tamen vel ob ipſam antiquitatem, genuinamque veſtium eius ætatis formam, merito ſuſpicienda. Nimirum capiti, cuius mentum imberbe eſt, impoſitam gerit Imperator coronam, ſparſisque, ſeu defluentibus ſupra humeros capillis, tunica talari, quam cingulum circumdat, nec non pallio, ſeu paludamento regali indutus, ſiniſtra manu gladium demiſſum tenet, vagina reconditum, dextra ad pectus ita compoſita, acſi quod olim ſceptrum ſuſtinuiſſet. Eſt autem monaſterium *Tulnenſe*, Ordinis S. DOMINICI, ad *Danubii* ripam in *Inferiori Auſtria* ab ipſo RUDOLPHO conditum. Edimus in Auctario noſtro P. I. num. I. litteras fundationis huius cœnobii, ex quibus diſcimus: occaſionem operis a victoria, de OTTOCARO, Rege *Bohemiæ*, reportata, accerſendam eſſe. „ DEO laudabilem (inquit) nobis neceſſarium, & revera Reipublicæ utilem belli, ſive conflictus, contra OTHOGARUM *Bohemorum* Regem obtenti triumphum non nobis - - - attribuimus, „ ſed illius tantum miſericordiæ - - - & victorioſo ſalvificæ crucis ſignaculo - - tantæ laudem victoriæ digne ducimus aſſcribendam, „ unde ne tantæ gratiæ - - - ingrati, vel immemores omnimodis videamur, ad prædictæ crucis vivificæ laudem, & tanti „ trophæi memoriale perpetuum, in oppido noſtro *Tulna* clauſtrum, „ - - DEO, ut credimus, placidum, ereximus &c. „ Datæ ſunt *Wiennæ* prid. Cal. *Septembris* Ind. VIII. an. MCCLXXX. Regni vero VII. Exhibet quoque CZERWENCKA a) huius diplomatis fragmentum. *Gerardus* de ROO RUDOLPHUM, *ſi victoria potiri Deus* con-

a) Piet. *Auſtr.* Lib. I. cap. XV. p. 87. quanquam mendoſe nonnihil, ut, utrumque conferenti, patebit.

concederet, *ædem S. Cruci* voviſſe ſcribit, a) *quam & Tulnæ poſtea voti reus* poſuerit: ſed nec diploma laudatum, nec aliud apud Clar. D. P. *Bernard.* PEZIUM, b) nec denique Scriptores Rer. *Auſtr.* coævi, c) ullam de præmiſſo voto aliquo mentionem faciunt.

TAB. XIV. a b c

III. ARGENTORATI reperiunda eſt ſtatua equeſtris, de qua dubitare non licet, quin RUDOLPHUM referat. Inſiſtit ea lapidi ædis primariæ, vulgo *Frauen-Münſter* dictæ, qua ab altari maximo ad dextram exitur. Ab ungula iumenti ad verticem inſidentis decem circiter pedum proceritas eſt. Eodem, quo templi moles, conſtat ſaxo, ſed ſeiuncta muris, & ſolide exſculpta. Superne eodem ex lapide ſcutum cernitur, in quo aquila ſimplex erecta & expanſa, retorquens roſtrum, repræſentatur, Imperii nimirum inſigne: nec non in latere ſiniſtro leo *Habsburgicus*. Additur circa caput ſemicirculus, ex ære conſtans, atque hanc inſcriptionem referens: RVDOLPHVS DE HABSPVRG REX ROMANORVM, ſed cuius hodie nonnullæ litteræ exciderunt. Ipſa imago Regis ſceptro, corona, & ſubligato lateri enſe, qui a prioris illius, quem in ſtatua præcedenti deſcripſimus, forma haud multum diſcedit, ſpectabilis eſt: coma capitis, pro eius ætatis more, nonnihil neglecta, facies imberbis, toga, ſtrictis manicis, ad talos defluens, ſupra humeros ita colligitur, ut interius amiculum, nodis conſtrictum, nudo cum collo appareat, ac pedes denique calceis iuxta ac peronibus (quod genus indumenti *Galli des Gamaches* vocant) ita obducti ſunt, ut hodiernis ſimillimi videantur: præterea pallium, quale in priori ſtatua vidimus, a tergo dependet. *Ioannis* BOECLERI locus d) inſigne hoc monumentum illuſtrat, quo tradit, *Argentoratenſes* RUDOLPHO Cæſari demortuo, in magna Principum frequentia, iuſta, regio prorſus apparatu, atque ita perſolviſſe, ac ſi in ea urbe defunctus fuiſſet. „Ad hæc (ait) quoniam eo tempore conſenſu ampliſſimi Ordinis „Senatorii actum, decretumque fuit, ut Regibus, tam Urbi, quam „adiectis locis, beneficia exhibentibus, ad æternam memoriam Imago cum equo triumphali in ſummo templo - - - conſtrueretur: „RUDOLPHUS *Habspurgicus*, ut videre licet, ibidem equo inſidens „lapideo, aurea corona capiti impoſita, & ſceptro maxime con„ſpicuus eſt: ſupra arcus hæret, cui aureis literis inſcriptum: RU„DOLPUS DE HABSPURG REX ROM.„

Altera Argentorati. N. 2.

d

IV. Ex his vero haud difficulter iudicabit Lector, qualem fidem mereatur alia RUDOLPHI ſtatua equeſtris apud BIRCKENIUM, e) in cuius baſi hoc epigramma legitur:

Diverſa ab illa, quam BIRCKEN. vulgavit. e

RVDOL-

a) Hiſt. *Auſtr.* Lib. I., p. m. 29.
b) In Cod. dipl. Epiſt. P. II. p. 144.
c) Ap. R. P. *Hier.* PEZIUM Script. rer. *Auſt.* T. I. & II.
d) Diſſert. de RUDOLPHO I. Imp. edita *Argent.* 1672. 4to
e) Speculo honoris. p. 63.

TAB. XIV.

RUDOLPHO VICTORIOSO
COMITI IN HABSBURG S. P. Q.
ARG. PRÆFECTO STRENUO
STATUAM HANC EQUESTR.
PP. MCCLXVI.

Præterquam enim, quod in laudato templo veſtigium huius imaginis nullum adſit, ſtili quoque nitor, & concinnitas, illius ævi ingenium plane ſuperat. Ad hæc ſtatua ipſa ab hac noſtra toto cœlo differt, nec credibile eſt, ſeculo XIII. artem ſtatuariam ad eum perfectionis gradum pertigiſſe, qualem ſimulacrum illud *Birckenianum* præſefert. Hiſce accedit, quod ſi eandem cum *MS.* codice illuſtr. *Ioan. Iacobi* FUGGERI conferas, diverſum plane ibi ſchema deprehendas: ut adeo plane confictam eſſe, neceſſe ſit. Haud maioris fidei eſt adducta inſcriptio. Utut enim a veritate haudquaquam abhorreat, RUDOLPHUM *Habsburgicum* ab *Argentinenſibus* urbis Præfectum fuiſſe conſtitutum, atque ob rem contra eiusdem loci Epiſcopos WALTHERUM & HENRICUM bene & feliciter geſtam, magnificum *Victorioſi* titulum omnino promeruiſſe: a) a vero tamen longius abeſt, ſtatuam iam tum anno MCCLXVI. poſitam fuiſſe; cum alia omnia doceat ſimulacrum hoc noſtrum genuinum, RUDOLPHO iam *Romanorum Regi*, quin eidem iam demortuo, conſecratum. Ceterum ſilentio prætereundum non eſt: ſchema hoc præſens a Celeberrimo *Ioan. Daniele* SCHOEPFLINO, prout illud eruditiſſimo ſuo operi, *Alſatia Illuſtrata* inſcripto, inſerendum deſtinaverat, nobiscum perbenigne communicatum fuiſſe.

Icon RUDOLPHI I. & eius oris, corporisque habitus. N. 3.

V. Quam tertio loco exhibemus RUDOLPHI Cæſaris iconem, ex thecis *Guſtavi* HERÆI deprompſimus. Eam vero ad imitationem ſtatuæ equeſtris *Argentinenſis* effictam fuiſſe, intuenti patebit. *Iacobus ab* HEYDEN ſimilem deſignationem fecit, *Norimbergæ* a *Paulo* FURSTENIO editam: unde ſaltem colligimus, operam ab iis artificibus datam fuiſſe, ut, quoad eius fieri poſſet, genuinas, & ex antiquitate petitas, orbi darent imagines. Deſcribitur vero RUDOLPHUS noſter a *Dominicanis Colmarienſibus* b) „ Vir longus corpore „ habens in longitudine ſeptem pedes, gracilis, paruum habens caput, pallidam faciem, atque longum naſum, paucos habens crines. „ Vir in cibo, potu & in aliis moderatus: vir ſapiens & prudens. „ Hæc *Colmarienſes*, auctores vetuſti, iuxta ac coævi: quibus adiungere liceat, qui rem non minus tetigiſſe videtur, *Ioannem* CUSPINIANUM c) iis haud paullo tamen recentiorem: *Corpus*, inquit de RUDOLPHO, *habebat procerum, & faciem regiam, naſo aquilino, qui iuſto maior.* Et paucis interiectis: *Vir factus, virtutes omnis generis eruperunt, ſpecie decora, quæ Regem deceat, forma quadrata,*

a) Vid. TSCHUDIUS Chron. *Helv.* ab an. 1261. ad 63. & GUILLIMAN. *Habsburgiac.* Lib. VI. cap. IV.

b) P. II. p. 37. inter Scriptores URSTISII.

c) De Cæſar. p. 354. ſeq.

drata, capite haud magno, crinibus raris, naſo aquilino. Hæc vero, an & quousque imaginibus noſtris conveniant, nemo facile, cui quidem eius temporis ſculpturæ ruditas non ignota, iudicare auſit: attamen capitis parvitas, naſusque aquilinus, ac iuſto maior ex ſtatua ſaltem *Argentinenſi* non obſcure elucere videtur. Porro de naſo eius grandiori feſtivam hiſtoriunculam narrat BIRCKENIUS a) aliique cum veteres, tum recentiores. b) Unde denique, & qua ex cauſſa, RUOOLPHUS a *Guilielmo* NANGIO c) *Comes Rufus* appelletur, cum de eo reliqui plerique taceant, aliis exputandum relinquitur.

TAB. XIV.

a b c

VI. Protome RUDOLPHI, aperto capite cum lorica, in qua, ornatus haud dubie gratia, duo delphini obverſi conſpiciuntur. Reperimus eam in thecis imaginum Sereniſſimi Principis EUGENII *de Sabaudia* tom. II. p. 36. videturque ectypon eſſe ex effigie a *Caſparo* PADUANO ſculpta, ac integram corporis formam referente, deſumpta. Eidem apographo ſunt adiecta inſignia in ſcuto bipartito. Area prior leonem teſſellatum in umbone cœruleo: poſterior binas faſcias, neglectis fere coloribus, complectitur: utrumque inepte. Sed hæc, utpote ex genio pictoris aut ſculptoris profecta, haud moramur.

Alia eiusdem protome. N. 4.

VII. HUBERTUS GOLZIUS de re nummaria antiqua, d) & ex eo *Thomas* TRETERUS e) inter icones Imperatorum *Rom.* RUDOLPHUM coronatum exhibent, quaſi in ſolio ſedentem, dextraque gladium, ſin globum, cruce inſtructum, tenentem: myſtacem præterea habet ſat magnam, qua tamen præcedentes icones deſtitutæ ſunt. Sed & nummi contra, Tomo huius operis II. tab. VII. n. I. & II. adducti, RUDOLPHUM cum ſimili fere myſtace (quanquam tum nobis quoad num. II. aliter viſum) repræſentant: ſecus eſt quoad nummum ibidem n. III. depictum, ubi vultus Regis omnino imberbis apparet. Priores duo nummi prima vice a Celeb. ut ibidem monuimus, profeſſoribus IOACHIMO & KOELERO f) editi fuerunt, myſtacem utrinque pariter agnoſcentibus. Rurſus diverſa a nummis ratio eſt in ſigillis; in quibus quippe Rex conſtanter ſine ulla barba exprimitur. Teſtantur id, quotquot ſigilla in hunc usque diem a viris eruditis DUELLIO, g) HEINECCIO h) ac STRUVIO ſeu i) ZYLLESIO, in lu-

RUDOLPHUS I. an myſtacem habuerit? N. 5.

d e

f

g h i

a) Specul. honor. L. I. cap. VII. p. 65.
b) IOAN. *Vitoturanus* in theſ. rer. *Helvet.* p. 9. col. 1. & 2.
c) Ap. R. P. CALLES Annal. *Auſtr.* T. II. p. 389. in not. lit. B. Idem agnomen RUDOLPHO quoque tribuit *Hermannus* CORNERUS in Chronico apud ECCARD. Hiſt. med. ævi. tom. II. p. 922.
d) Tom. V. p. 317.
e) p. 141.
f) Ibidem amborum, ut hoc obiter notemus, opinioni, qua nummos illos in coronatione Regis ſparſos fuiſſe, coniectant, album adiecimus calculum. At enim obſtare nunc videtur, quod *Dominicani Colmarienſes* ad an. 1274. his verbis memorant: *Rex* RUDOLPHUS *fecit novam monetam; imprimens numiſma Regis coronati.* Non enim videtur, ut id nunc primum data opera memoraſſent *Dominicani*, ſi iam anno præcedenti argentum ſignari, eique effigiem ſuam imprimi curaſſet RUDOLPHUS.
g) In excerptis Genealogico-Hiſt. p. 176. n. XII.
h) De Sigill. P. I. cap. IX. n. LXI. p. 108.
i) Corp. Hiſt. *Germ.* in calce T. II. n. 31. ex ZYLLESIO.

TAB. XIV.

lucem producta ſunt, imagine RUDOLPHI conſpicua. Quibus, ſi lubet, addi poteſt *Genealogia* noſtra *diplomatica*, ubi tria admodum huiusmodi ectypa dedimus. Verendum itaque vix non videtur, ne monumentis ſynchronis hunc in modum variantibus, eadem olim de myſtace aut barba RUDOLPHI lis exoriatur, quæ noſtra & patrum noſtrorum memoria Scriptores quosdam *Germaniæ* non infimi ſubſellii de barba CAROLI *Magni* inter ſe commiſit. a)

Noſtra de barba RUDOLPHI I. ſententia.

VIII. Qua in re, ſi dicere licet, quod ſentimus, fidem potius imaginum, ſigillorumque coævorum, ſequendam putamus, quam nummorum: non quod hi (utpote monumenta æque ſynchrona) minoris ſint auctoritatis; ſed quod ob eorum tenuitatem, exilitatemque, oculorum lapſus multo ſit proclivior, quam in ſtatuis & ſigillis. Unde fieri potuit, ut ab oculis, quantumvis perſpicacibus, myſtax crederetur, ubi nulla erat: aut infelix fortaſſis monetarius, pro temporum ruditate, imprudens a vero ipſe aberraret. Recte enim laudatus HEINECCIUS b) *nummi,* medii ævi, *tum ſolidi*, ait, *tum bracteati, dici non poteſt, quam ſint ſæpe deformes, quam craſſo ſculpturæ genere ſignati. Neſcimus ſæpe, hominesne videamus, an monſtra, litterasne, an characteres magicos: quid? quod nonnunquam obſcurum ſit, utrum viri, an mulieres, ſancti, an profani, noſtro ſe ſiſtant obtutui?* Huc facit, quod Clar. MONTEFALCONIUS, hisce in rebus cum primis verſatus, de vicinis nobis Regibus *Francorum* obſervavit c) „certum, „exploratumque eſſe, nec S. LUDOVICUM, nec ſucceſſores eius, „*Francorum* Reges, uſque ad FRANCISCUM I. barbam geſtaſſe, quin, „ſi quod exemplum contrarium occurrat, aliter explanandum „eſſe.„

Confirmatur,

IX. Confirmari denique res poteſt ex loco quodam OTTONIS de S. BLASIO, qui, etſi *Rudolphinam* ætatem non omnino attingat, ea tamen non multum ſuperior eſt; hicque adeo uſui eſſe poteſt. *Huius Sacerdotis*, VOLCONIS nempe, Sanctitatis opinione florentis, *converſatio*, ait, *non multum ſimulata religione fuit. Veſtes enim pro conſuetudine ipſius terræ habens, barbam frequenter radebat, caput decenti pileo cooperiens.* d) Ex quibus facile deducimus, eos, qui illo ævo barbam aluerunt, inter illos fere adnumeratos fuiſſe, qui ſingularitate vitæ, & morum, a communi hominum uſu & conſuetudine abierunt. Quod quam ſit Regiæ maieſtati oppoſitum, non eſt opus, multis velle perſuadere. Eiusdem argumenti res eſt, quod *Philippus* FIRMANUS, Legatus Apoſtolicus, vertente ſeculo XIII. *Ungaris*, populo *Auſtriæ* vicino, *barbas demiſſas interdixerit*, e) ut ne ſcilicet *Cumanorum*, gentis barbaræ, & adhucdum infidelis, mores imitari viderentur.

X.

a) Auctores ea de re collegit illuſtr. Comes BUNAVIUS in hiſt. Imp. vernacule ſcripta, tom. II. p. 621.

b) L. cit. P. II. cap. I. num. V. p. 183.

c) Monumens de la Monarchie *Franc.* T. II. p. 110.

d) Apud MURATOR. Rer. *Ital.* T. VI. col. 905. a. & apud cit. URSTIS. cap. XLVII. pag. 224.

e) BONFINIUS Rer. *Ungar.* Dec. II. Lib. VIII. p. m. 218. a.

X. Cum igitur plurima ſint, quæ a RUDOLPHO barbam neglectam fuiſſe, probant; id demum exinde conſectarium putamus: imagines RUDOLPHI, barba deſtitutas, ceteris paribus, ſecure inter ſincera & genuina illius monumenta computanda: contra vero ſuſpectas eſſe debere, aut inter ſpurias ac recentiores amandandas, aut denique cum MONTEFALCONIO aliter, atque aliter explanandas eſſe, quæ illum barbatum repræſentant.

& concluditur.

XI. Alia extat RUDOLPHI ſtatua *Baſileæ* in domo, vulgo *Seiden-hof* dicta, perſonam regiam, Imperii inſignibus ornatam, & ſedentem referens, cuius ectypon, Archetypo ſuo apprime reſpondens, cimeliarchium *Archiducale* aſſervat. Ipſa ſtatua, ex lapide exſculpta prominet, cetera penicillo adumbrata fuerunt. Putant nonnulli, imaginem hanc, ob memoriam ſumpti poſt obſidionem urbis, in ea domo hoſpitii, depictam fuiſſe: quo ſemel admiſſo, æque dicendum eſt, ſchemati antiquo ſucceſſiſſe hoc recentius, & quidem ut vero ſimile eſt, poſt magnum illum terræ motum, quo *Baſileæ* anno MCCCLVI. pene everſa fuit. Nam præſens ab ævo noſtro non longe abeſſe, cum inſcriptio, tum inſignia, quin & reliqua ornamenta equidem ſatis produnt.

Alia RUDOLPHI I. ſtatua *Baſileæ*, TAB. XV. N. 1.

XII. Ut enim de tot aquilis, ad denotandam maieſtatem Imperii depictis, nihil dicamus, barbæ certe promiſſæ obſtant, quæ paullo ante diſputavimus. Corona deinde, qua caput ornatur, quantum, quæſo, differt a coronis imaginum prioris tabulæ prima & ſecunda? & quid ſibi demum vult ſcutum cum faſcia *Auſtriaca*, in medio aquilæ pectore conſpicua? anne hoc digma, id eſt, faſciam *Auſtriacam*, RUDOLPHUS ullo unquam tempore adhibuit? aut eam provinciam filiis tam mature acquiſivit? Sed antiquitati neque inſcriptiones (quarum *Germanicam* TONIOLA a) quoque exhibet) ſuffragantur, cum orthographia Germanica, tum forma ſeu figura litterarum utrique contradicente. Quid? quod Latina præſertim inſcriptio aſſerit, RUDOLPHUM SUB OBSIDIONE URBIS *Baſileenſis* Regem *Romanorum* ELECTUM fuiſſe; cum tamen in *Genealogia* noſtra *diplomatica* b) inſtrumentum adductum fuerit, quod pacem die XXII. *Septembris* Epiſcopum inter & Comitem coaluiſſe, teſtatum facit; quando ergo dies electionis communi ſententia in XXIX. eiusdem menſis aſſeritur, qui fieri potuit, ut obſidio adhucdum duraret, & non potius exercitus pro eius temporis more, ex parte ſaltem, & præcipue quoad copias pedeſtres, dimiſſus, ad propria rediret?

Quæ recentioris ævi eſſe probatur.

XIII. Confirmat rem Chronicon *Colmarienſe* c) cuius verba huc adducere operæ pretium erit: „Anno Domini MCCLXXIII. „(aiunt *Colmarienſes Dominicani*) venit in *Baſileam* nuncius quidam, „ab Electoribus miſſus, dicens, ſe allaturum regem omnibus. Hic, „cum

Epocha electionis RUDOLPHI I. in Regem *Rom.* confirmatur.

a) In *Baſilea ſepulta* p. 406.
b) T. I. Lib. II. c. 1. p. 122. ſeq. Vid. Inſtrumentm ipſum T. II. P. II. num. CLXXVIII. p. 436.
c) Apud URSTISIUM Rer. *Germ.* P. II. pag. 39.

TAB. XV.

„ cum a *Basilea* ad Comitem RUDOLFUM venisset, dixit: Electores „ vobis significant, quod si volueritis filias vestras nuptui dare talibus Dominis, in regem vos eligent *Romanorum*. „ Et non nullis interiectis: „ Deinde cum uxore, filiis & filiabus ad *Rhenum* perrexit, & „ cum in *Rinueldiam* veniebat, ciues eum velut regem cum magno „ gaudio receperunt, & castrum atque castellum sibi libere tradiderunt. Postea venit in *Basileam*, & illi eum laudabiliter receperunt. „ Post hæc venit *Nuwenburg* & *Brisacum*, & illi eum honorifice receperunt & necessaria tribuerunt. „ Quando ergo nuntius ille primum *Basileam*, deinde vero *a Basilea ad Comitem* RUDOLPHUM *venit*, & quando is, nuntio illo accepto, *ad Rhenum perrexit*, quin & *Rhenofeldam* descendit, ac primum postea *Basileam venit*, quid, quæso, aliud dici debet: quam RUDOLPHUM tum temporis alibi, quam *Basileæ*, aut iuxta *Basileam* degisse: sed ubinam? id nemo facile dixerit. *Ægidius* TSCHUDIUS a) & GUILLIMANNUS b) illum tum *Ponte Arulæ*, vulgo *Brugg*, oppido, e regione arcis *Habsburgicæ* ad *Aram*, seu *Arulam* fluvium sito, commoratum fuisse scribunt. Sed huius narrationis fidem dubiam reddunt laudati *Colmarienses*, cum aiunt: *Uxor* RUDOLPHI, *filia* BURCHARDI de *Hohenberg, quando Rex misit pro ea, domum regebat in Brucco.* Etenim si domum iam tum reversus fuerat, ut quid dicitur, illum eo pro uxore misisse? Quare vero similius videtur, quod vetus quidam, memoriæ tamen nostræ nunc haud occurrens *Annalista* refert, RUDOLPHUM, cum electionis suæ nuntium accepit, in *Wehr*, villa, quæ *Basilea* præter propter tribus milliaribus *Germanicis* dissidet, substitisse. Hac enim cum relatione & adductum, a *Dominicanis Colmariensibus* contextum itinerarium, & verba eorum, mox laudata, adprime correspondent.

HANTHALERUS notatur.

XIV. Mirari igitur subit, quid Clar. dum viveret, P. HANTHALERO c) in mentem venerit, ut ALBERTI *Argentinensis* testimonio nixus, hanc ipsam observationem, in *Genealogia diplomatica* breviter olim, at non sine fundamento, propositam, denuo in dubium vocaret? „ Quod si obsidio (ait) urbis iam ante soluta fuerat, „ paxque sancita: cetera pariter, quæ adhuc addit ALBERTUS *Argentinus*, talo non firmissimo stabunt. Renunciasse nimirum ci„ ves *Basileenses* fœderi suo cum Episcopo, aientes: se contra Comi„ tem RUDOLPHUM, non contra Regem, cum eo pepigisse. Illum ve„ ro, id est, Episcopum, ab adiutoribus desertum, & ad pacem ferien„ dam compulsum, percussa fronte sua dixisse: SEDE FORTITER, „ DOMINE DEUS, VEL LOCUM OCCUPABIT RUDOLPHUS TUUM. „ Quod aliunde lepidulum, attamen pervagatum est. „ At enim quod ad utrumque pertinet, mirum utique haud est, si Scriptor qui.

a) Chron. *Helvet.* T. I. p. 178. quidquid ibi notet ISELIUS.

b) *Habsburg.* L. VI. p. 443. quanquam is, an res *Ponte Arulæ*, an *Basileæ* contigerit, dubius hærere videatur.

c) Fastor. *Campilil.* Decad. VIII. §. I. n. XIX. p. 1064.

quicunque, nedum mediæ ætatis, aliquid præter veritatem ſcribat, præſertim quoad res duntaxat circumſtantes. Homines ſunt, nec quisquam prudens aliquid humani a ſe alienum putat. Meminiſſe oportuerat eorum, quæ idem ipſe Clar. Scriptor paullo poſt prolaturus erat: a) „ Vetuſtatem Scriptorum, (inquit) ut illam venerer, „ quamdiu rationi conſona tradunt, tanti tamen non facio, ut eam „ invita quoque ratione adorem. Quid vetuſtius *Græcorum* fabu- „ lis? Attamen fabulæ ſunt. ALBERTUS *Argentinenſis*, *&* *Anna-* „ *les Colmarienſes*, complura ſane liberius tradunt, quam ut fidem „ promereantur. „ Huic igitur aſſerto & nos accedimus, atque adeo haud inviti fatemur, priorem ALBERTI relationem ita ſtare, ut talo ſtare poſſe videatur ſolidiori. Quod ſi vero dictum inſtrumentum b) penitius inſpicere lubet, haud obſcure videbimus, non tam inſtrumentum *Pacis* eſſe, quam *Induciarum*, conventionemque, quam vocant, *Præliminarem*; cum ibi conceptis verbis dicat RUDOLPHUS, integram pacis compoſitionem *Burggravio Norimbergenſi*, & *Marchioni* de *Hachberg*, aut, his non comparentibus, Comitibus de *Fürſtenberg* & *Gerolzegg* eſſe committendam, die ad id conſtituto, proximo feſto S. GALLI. Iam cum hæc res dubii eventus, atque adeo pax nondum certo, atque integre reſtituta eſſet, inſtrumento nihil obſtante, atque obſidione iam ſoluta, dicere poterant cives: quomodocunque res caderet, id eſt ſive pax redeat, ſive ſecus, futurum nunquam fore, ut arma contra Regem *Romanorum* reſumant.

TAB. XV. — a — b

XV. Alterum ALBERTI *Argentinenſis* aſſertum ſuapte natura ita comparatum eſt, ut ſine ullo melioris diſciplinæ diſpendio falſitatis arguatur, reiiciaturque. Verumtamen quidquid ſit, fieri certe potuit, ut epiſcopus, pronum RUDOLPHI ad ius ſuum bello ubique proſequendum ingenium intuens, hyperbolicam hanc vocem non minus poſt, quam ante ſancitam pacem, aut inducias, emitteret. Scimus nimirum frequenter contingere, ut pace redeunte, vera ac ſincera inter paciſcentes amicitia una haud redeat. Quid igitur mirum, ſi bello ceſſante, dicteria non æque ceſſarent? Sed ut ad ſtatuam redeamus, obſervatu dignum eſt, tunicam RUDOLPHI liliis largiter conſperſam eſſe, haud ſecus ac areæ aliquot ſigillorum a nobis alibi c) exhibitorum, quæ liliis itidem conſitæ ſunt. Cuius rei cauſſam aſſequi nondum potuimus.

ALBERTI *Argentinenſis* aſſertum reiicitur. — c

XVI. Ampliſſima omnium & ornatiſſima ſtatua RUDOLPHI illa eſt, quæ *Oeniponte* in templo *Palatino* exſtat. Ærea hæc eſt, proceritate ſeptempedali, ac perquam ſcienter elaborata. Huius vero generis cum aliæ plures pari magnitudine & magnificentia in eodem

RUDOLPHI I. ſtatua ærea *Oeniponte*. N. 2.

a) Ibid. p. 1093. n. LXX.
b) Editum in Geneal. Dipl. Vol. III. p. 436. n. DXXVIII.
c) Geneal. Dipl. T. I. tab. XVII. n. XIII. & tab. XVIII. n. I. – VI. Adde eiusd. lib. I. cap. XVII. §. XXII. p. 104. ſeq. ubi de liliis eiusmodi plura.

Tab. XV. eodem loco occurrant *Habsburgici* nominis ſtatuæ, tomo huic noſtro per occaſionem inſerendæ, operæ pretium erit de iis hic, quantum neceſſe erit, exponere.

Numerus ſtatuarum ibidem poſitarum.

XVII. Sunt igitur ibi ſtatuæ omnino octo & viginti, MAXIMILIANI I. ſumptuoſiſſimum Mauſoleum (quo de tomo ſequenti fuſius agere decrevimus) ita circumſtantes, ut illud reſpiciant, adeoque quælibet earum in ſolemnioribus exequiis, aut diebus *anniverſariis*, tædam ſeu facem, manu continens, pulcherrimo ſint aſpectui & ornamento. Auctor earum idem eſt, ac ipſius Mauſolei, qui in media ad poſticum monumenti parietem pila nomen ſuum, notasque anni, ſic inſcripſit: ALEXAND. COLINUS MECHLINIENS. SCULPSIT ANNO MDLXVI. Ipſum templum ad S. *Crucem* appellatum, a MAXIMILIANO quidem I. ante finem vitæ teſtamento præceptum eſt, cuius rei hanc ab iis, qui de vita eius ſcripſere, cauſſam & originem accepimus: MAXIMILIANUS etiamnum iuvenis, haud procul *Oeniponte* venationi aliquando nimium intentus, adeo alte gradum ſcopulis intulit, interque rupes & ſaxa evaſit; ut in ſummum vitæ diſcrimen adductus, inque abrupto neceſſitatis conſtitutus, non niſi mirabili quodam divni nuntii ductu periculi exitum repererit. Quare in perpetuam divinæ benignitatis memoriam, eccleſiam illam conſtrui voluit. De eodem periculo ſermo recurret, cum ad monumenta dicti MAXIMILIANI perventum fuerit. Porro votum, ab eodem Imperatore conceptum, PHILIPPI *Pulchri Hiſp.* Regis filius, atque adeo laudati Imperatoris nepos, FERDINANDUS I. *Rom.* Imperator, procuravit, templumque ac monaſterium *Franciſcanorum S. Cruci*, ubi dictum Mauſoleum unacum ſtatuis conſtructum eſt, dedicavit.

Auctores, qui de iis egerunt.

XVIII. Æterni huius operis claritudo atque magnificentia excitavit pridem viros doctos, ut alii ſcriptis de eo commentari, alii, inciſis in ære figuris, partem unam alteramque, ſtatuas præſertim, exprimere tentarent. Et quoad has quidem præ manibus habemus *Franciſci* TERTII, *Bergomatis*, opus nitidiſſime elaboratum, de quo in præfatione fuſius: deinde *Simonis* MILDORFFER, pictoris *Oenipontani* ineptias, nec non R. P. *Felicis* REINECCII opera bina, quorum altero ſtatuæ, altero Mauſoleum ipſum exhibentur, ſed parum ſcite. *Nathan* quoque CHYTREUS in ſuis deliciis variorum per *Europam* itinerum, a) tam de Mauſoleo, quam de ſtatuis pauca admodum commentatus eſt, memorans inter cetera: duodecim tantum adeſſe, in quarum baſibus inſcriptiones compareant.

a

LAMBECII locus de iisdem

b

XIX. Eruditam porro templi huius *Oenipontani* deſcriptionem Cl. LAMBECIO debemus, b) qui circumpoſitas ſtatuas dicit eſſe coloſſeæ magnitudinis, ſive humanam ſtaturam excedentes, miro artificio elaboratas. In collocatione tamen & ordine non acquieſcit: tem-

a) Ed. tert. an. 1606.

b) L. II. Comment. Bibl. Cæſ. p. 697. ſeq.

temporum nempe rationem negligi, inquiens. Quare ibidem a) bina diagrammata exhibet, quorum altero ordo ſtatuarum confuſus, altero correctus, & ad ordinem temporum exactus, ſiſtitur, quem ſi ſaltem obſervaſſet REINECCIUS, haud dubium eſt, quin operæ ſuæ feciſſet pretium maius. TAB. XV. a

XX. Obſervandum denique, non omnes octo & viginti figuras ad Gentem *Habsburgicam* pertinere; quandoquidem ſunt, quæ illam aut parum, ut FERDINANDUS *Catholicus*, & CAROLUS *Audax*, Dux *Burgundiæ*: aut nihil, ut THEODORICUS II. Rex *Italiæ*, CLODOVEUS Rex *Galliæ*, ARCTURUS Rex *Angliæ*, & ſimiles, attingunt. Sunt & duæ aliæ, quibus vulgus CAROLUM V. & FERDINANDUM I. referri putat, quamque vulgi opinionem LAMBECIUS loc. cit. ſecutus eſt, cum tamen iis plane nihil inſit, unde dignoſcantur, id quod artifici coævo vix accidere poterat. Illas ergo cum ceteris, huc non pertinentibus, conſulto omiſimus. notatur.

XXI. Hæc de ſtatuis *Oenipontanis* univerſim præmittere viſum eſt; quatenus, cum & reliquas ordo tanget, parciores, tenuioresque eſſe poſſimus. Quod autem ad hoc ipſum, quod modo præ oculis habemus, RUDOLPHI ſignum, attinet: illud ſine barba apparet, coma humeris ſparſa, eique ſingularis formæ corona impoſita, ſceptrum denique in manu nullum eſt, ſed digiti adducti ita inclinantur, ut illi, ſtatis diebus, ſolita fax, ſeu tæda, immitti poſſit. Tum vero omni ex parte cataphractus exhibetur, circumdato per mediam ſtatuam egregie elaborato balteo, ſeu cingulo militari. Præcinctorium, ſeu ſagum, brevius eſt, quam ut genua contingat. Ad ſiniſtrum latus olim gladius immiſſus fuerat foramini, quod nunc vacuum & patens, perditi enſis indicium eſt. A balteo denique militari tria admodum dependent tintinnabula, quod genus ornamenti ſeculo præſertim XIV. lautioris conditionis hominum veſtibus additum fuiſſe, ECCARDUS obſervat. b) Hæc RUDOLPHI ſtatua deſcribitur. b

XXII. Omnia hæc ex arbitrio artificis profecta ſunt, utut Cl. LAMBECIUS c) *habitum & armaturam antiqui moris cuiusque ſeculi* repræſentari exiſtimet, quod ſane de plerisque dici nequit; ut ex hac ſtatua, cum prioribus RUDOLPHI collata, patet, & de pluribus aliis in decurſu huius voluminis amplius patebit. LAMBECIUS denuo notatur. c

XXIII. Eandem delineavit quoque *Franciſcus* TERTIUS, *Bergomas*, aulæ *Tyrolenſis* olim pictor, ſuumque ſchema *Auſtriacæ* Gentis imaginibus addidit parte I. num. 16. In eo corona binis circulis compoſita viſitur: præterea dextra eius gladio, pendente a ſiniſtro latere gladio altero, inſtructa eſt, & ocreæ calcaribus munitæ. Quæ ſingula an ex genio pictoris illius addita, vel an revera his ornamentis ſtatua noſtra olim inſignita fuerit, non facile decidi- *Franciſci* TERTII opus.

a) Pag. nempe 704.

b) Apud DUCANGE in Gloſſar. ex edit. PP. *Benedictinor.* e Congr. S. MAURI. h. v. Conf. quoque HEINECC. de ſigill. P. I. cap. IX. n. XLVII.

c) Loc. cit. p. 699.

Tab. xv. cidimus, At vero gladium ſaltem cur habuiſſet in manu? quando cum huius, tum ceterorum ſimulacrorum dextras, ſuſtinendis, ut diximus, facibus, non gladiis deſtinatas, atque aptatas fuiſſe, apertis ex indiciis didicimus. Sed & calcaria, qua parte locum habuerint, in ſtatuis ipſis hactenus non animadvertimus.

Statua Rudolphi I. marmorea. N. 3.

XXIV. Inter ſtatuas ex niveo marmore, quæ Auguſtam Bibliothecam *Vindobonæ* exornant, una quoque RUDOLPHO *Rom.* Regi dedicata fuit, quæ, capite laureato, dextra parazonium tenet, ſiniſtra ad latus compoſita. Opus iſthoc STRUDELII eſt; qui paullo ante ætatem noſtram floruit, atque *Romanorum* Imperatorum ſtatuas a RUDOLPHO noſtro uſque ad glorioſiſſimæ memoriæ CAROLUM VI. e marmore exſculpſit, quarum plures in dicta Bibliotheca viſendæ. Genus veſtimentorum, quod hic præbetur, partim ex *Romanorum* vetuſtate, partim ex medio ævo mutuatum videtur. Animus primum erat, ſtatuas illas univerſas huic operi inſerere; ſed animadverſo, omnes ſibi ſimiles eſſe, inque iis exſculpendis veteres imagines & hiſtorias uſque adeo neglectas fuiſſe, ut ALBERTO I. *Rom.* Regi inſigne ord. aurei velleris tributum fuerit: conſilium illud omne abiecimus. At vero cum ectypa nonnulla iam tum æri inciſa, ac in tabulas noſtras relata fuiſſent, fieri nequiit, ut ne una alterave locum iam iam occupatum retineret, tueretur que. Quod tamen & ipſum B. Lectori haud ingratum futurum fore, non ſine cauſſa ſperamus; utpote cum ceteroquin artificio ſuo & concinnitate non careant.

Icon alterius ſtatuæ. N. 4.

XXV. Idem fere dicendum de ſtatua hac ſequenti. Deſumpta eſt ex *Caſperii* GEVARTII pompa introitus FERDINANDI *Auſtriaci* in urbem *Antverpienſem*, ubi porticum Cæſareo-*Auſtriacam* elogiis ac ſimulacris duodecim exornavit. Opus ſane elegantiſſimum, anno 1641. typis excuſum, ſed ubi imaginum authentiam & antiquitatem deſideres. Ibi itaque pag. 51. comparet icon ſtatuæ, quam hic damus. Rex laureatus dextra gladii bellatorii capulum apprehendit, ſiniſtra globum, cruce faſtigiatum, ſuſtinet, gladio quoque minuto a læva dependente, quod quidem unicum antiquitatem nonnihil imitatur, quo de in ALBERTO *Sapiente* ſermo redibit. Scalptor porro cum Regi myſtacem affinxit, ad GOLZII vel TRETERI imagines reſpexiſſe videtur.

Alia duo ſchemata. Tab. xvi. N. 1.

XXVI. Bina alia ſchemata iconum RUDOLPHI damus ex MS. codice illuſtr. Comitis *Iacobi* FUGGERI, in Auguſta Bibliotheca *Vindobonenſi* aſſervato. Ibi fol. 150. ſiſtitur figura Regis, in pedes erecta, cum hac inſcriptione *Germanica:*

ALS KOENIG RUDOLPH 70. IAHR ALT:
HAT ER UNGEFARLICH DISE G'STALT.

Id eſt, RUDOLPHO ſeptuagenario hic præter propter oris habitus erat. Sed quis non ſtatim animadvertit, ſchema hoc a ſtatua *Baſileenſi,*

leenſi, de qua paullo ante egimus, deſumptum fuiſſe? Eius certe auctor nihil aliud egit, quam quod Regem, quem ibi vidit ſedentem, hic in pedes erectum ac ſtantem repræſentarit, paucis duntaxat aliis aut omiſſis, aut adiectis. Tantum porro abeſt, ut genuina hæc ſit *Romanorum* Regis RUDOLPHI effigies, ut ei vel ſola barba deroget fidem. a) De eadem quoque ſtatua *Baſileenſi* ectypon ſuum efformavit *Lucas* KILIAN, Cæſarem ſiſtens lumbotenus; quod nos lubentes, meritoque, miſſum facimus. Adiicitur huic ſtatuæ ſcutum arbori appenſum, quod aquilam Imperii, ac parmula, pectori eius impreſſa, leonem *Habsburgicum*, nec non *Landgraviatus Alſatiæ* teſſeram, inſignia nimirum RUDOLPHI avita, exhibet.

TAB. XVI.

a

XXVII. Alter typus reperitur in eodem MS. T. I. p. 232. ubi icones principum *Auſtriæ*, olim in feneſtris templi *Kœnigsveldenſis* in *Argovia* depictæ, adſervantur. Eas nos, *Kœnigsveldæ* maximam partem iam peſſumdatas, ſuo ordine exhibebimus. Quanquam *Fuggeriana* hæc ectypa non usque adeo curate tranſumpta fuiſſe, ex feneſtrarum illarum reliquiis, inferius tab. XVIII. producendis, animadvertere liceat. In præſenti ſchemate RUDOLPHUS coronatus & barbatus, quin & in genua procumbens, iunctis manibus, precantis in ſpeciem, exhibetur. Tunicam præterea talarem ſuccinctam geſtat, nec non pallium, quæ duo pellibus murinis Ponticis ſuffulciuntur, quemadmodum & patagium ex iisdem velleribus conſtat. Hinc inde duo apparent ſcuta, quarum iſtud aquilam Imperii ſimplicem, hoc leonem *Habsburgicum* repræſentat. Inferne hæc inſcriptio legitur:

Eiusdem icon ex feneſtris *Kœnigsveldæ* deſumpta. N. 2.

ANNO DOMINI 1291. I. IDUS AUGUSTI OBIIT
D. D. RUDOLPHUS REX ROM. PATER DNI
ALBERTI REG. ROM.

Primo idus hic ponitur pro *Idus*, ſeu *Idibus*, cum contra apud BIRCKENIUM, b) ubi hanc ipſam inſcriptionem affert, 18. *Idus Auguſti*, errore tamen potius typographico, quam grammaticali, legatur. Quin & inſcriptionem haudquaquam fideliter exceptam fuiſſe a pictore, numeri docent *Arabici*, ea ætate usquequaque ignoti, ac ſeculo primum XV. introducti. Quid? ſi inſcriptiones tam huic, quam aliis *Kœnigsveldenſibus* imaginibus ſuffixæ, ex ſuo appoſuiſſet, qui eas excipi curavit, illuſtr. FUGGERUS? At de hoc poſtea videbimus, quemadmodum & de die emortuali RUDOLPHI alibi enucleatius.

b

XXVIII. Iam ut de veſtimentis RUDOLPHI aliquid addamus ex ſtatua tam *Tulnenſi*, quam *Argentoratenſi*, abunde patet, ea ſatis ſimplicia fuiſſe. Sic nempe tum ferebant tempora. Vilia præterea fuiſſe, referunt nonnulli ex antiquis, cum primis vero *Dominicani Colmarienſes*, quando ſcribunt: RUDOLPHUM ex occaſione

De veſtimentis RUDOLPHI I. R. R.

 præ-

a) Conf. dicta ad tab. XIV. n. 5. §. VII. p. 5. b) Loc. cit. p. 374.

Tab. XVI. præstiti sibi ab OTTOCARO homagii, in hæc, antequam solemnitatis initium faceret, verba prorupisse: „Rex *Bohemiæ* griseam meam „vestem sæpius derisit, nunc autem eum mea vestis grisea deridebit. „Dein notario suo dixit: da pallium tuum mihi, ut Rex *Bohemiæ* „meam derideat paupertatem. a)„ Succinit *Thomas* de HASELBACH, quanquam ætate haud paullo inferior, qui in oratione, publice habita, b) FRIDERICUM III. Imp. ita alloquitur: „Abavus (tritavus voluit dicere) RUDOLPHUS Comes de *Habsburg* videlicet, inquam, „Celsitudinis tuæ, dum *Bohemiæ* Regis OTTOKARI Magister Curiæ „existeret, ad regnum *Romanorum* accersiri meruit. Qui etsi cre- „bro scomata sibi ab æmulis inferri audire cogeretur: quid? iste pir- „satus, nasutus, suevatus? quo pactove (*pacto*) Regibus imperabit, „qui pirsa indutus, magno aquilino naso insignitus, in Alpalibus *Sue-* „*viæ* educatus? &c.„ *Pirsatum* aut certe *pirratum*, id est *pirsa* indutum, vocat, a vocabulo, ut putamus, *pirrus*, qui apud DU-CANGIUM inter varias notiones vestimentum vile, aut id genus pallium denotat. Alii contra, sed recentiores, ac præsertim rerum *Bohemicarum* Scriptores c) eundem splendore Imperiali excultum incessisse ferunt. Id quod utrumque veritati consentaneum videtur: nimirum ut grisea potissimum, ac viliori veste uteretur ut Comes: splendida ac pretiosa ut Rex *Romanorum*. Enimvero quid, quæso, opus fuisset, ut Rex *Romanorum* factus, pallium vilius, quo OTTOCARO nonnihil illuderet, a Notario suo mutuaret: nisi ipse tum pretiosiori uti consuevisset? At exinde haud consequitur, ut RUDOLPHO adhuc Comiti parva res domi, aut exiguus dominatus fuerit, quemadmodum illum hoc titulo nonnulli sugillant; quandoquidem contrarium abunde ostendimus in *Genealogia diplomatica*. Singula hæc plus non probant, quam RUDOLPHUM a mundana pompa fastuque ut plurimum fuisse alienum. Fecit similia nonnunquam etiam ad reprimendum luxum, aut urgente ex necessitate, ut quando urbem obsidens *Bisuntinensem*, *manicas*, *wambasii* * *sui fractas cum novis peciis*, panni frustis, *reparans*, *dedit exemplum aliis ita faciendi;* reique frumentariæ inopia pressus, *videns rapas in campo, rapam unam rasam comedit. Quod videntes alii, admirati de eo, omnes quodammodo rapis sunt saturati.* d) Quod quidem summo exercituum Duci insigni potius laudi, quam vituperio, aut dedecori verti solet.

XXIX.

a) Chron. *Colmar.* p. 44.

b) Vid. *Hier.* PEZ. Scriptor. rerum *Austr.* T. II. col. 913. c.

c) *Æneas* SYLVIUS cap. XXVII. *Hist. Bohem.* p. 135. & DUBRAVIUS lib. XVII. hist. *Bohem.* p. 142.

*) *Chronicon Colmar.* pag. 57. barbaram hanc vocem sic explicat: *Armati reputabantur, qui galeas ferreas in capitibus habebant, & qui* WAMBASIA, *id est, tunicam spissam, ex lino & stuppa vel veteribus pannis consutam, & desuper camisiam ferream, id est vestem ex circulis ferreis contextam* (loricam nempe hamatam) *per quæ nulla sagitta arcus poterat hominem vulnerare* gestabant. Add. DUCANGE in Glossario med. & infim. latin. voc. *Gambeso.* Videtur tamen in hoc ALBERTI loco proprie sagum intelligi, quod non sub, sed super loricam indui solebat.

d) Verba sunt ALBERTI *Argent.* p. 104.

XXIX. Greſſum iam facimus ad icones uxorum RUDOLPHI. Ut autem ea, quæ *Tulnæ* habetur eiusdem Cæſaris ſtatua, haud dubie inter præcipua illius monumenta adnumeranda eſt, ita quoque illud eiusdem monaſterii ſimulacrum, quod uxorem eius ANNAM ſeu alio nomine GERTRUDEM a) refert, haud quaquam minoris habendum eſt pretii. Conſiſtit hæc ſtatua iuxta altare ſupremum in columella *Gothica*, quam vocant, ſiniſtrorſum, adverſus ſtatuam mariti, acropodio monſtrorum figuris, varia ſculptura exornato. Simplici admodum hæc imago cultu eſt, caput tamen pro regia dignitate corona cingitur, coronæ mariti, in genuinis ac ſinceris eius imaginibus, admodum ſimili. Velo præterea obtegitur, tota per longitudinem ſub mentum anademate, ſive quibusdam quaſi tæniis circumligata. Quod muliebre tegumenti genus cum apud *Francos*, b) tum apud *Germanos* ſeculo XIII. & ſequenti, frequenti in uſu erat, ut ex pluribus exemplis colligimus. Reliquum ſtatuæ ſpectatur veluti tunica longa indutum, & palla inſuper muliebri amictum.

Statua ANNÆ primæ uxoris RUDOLPHI I. TAB. XVI. N. 3.

a

b

XXX. Alterius ſimulacri, ANNAM hanc noſtram referentis, ac in Baſilicæ *Baſileenſis* choro ſuperiore ad cornu Evangelii prope feneſtram lapidi ſepulcrali inciſi, deſignationem BIRCKENIUS, c) ex chronico *Baſileenſi* deprомptam & ære expreſſam dedit, ſed ab archetypo valde abludentem. Novam itaque, *Baſileæ* agentes, eamque, quoad eius fieri potuit, accuratiſſimam, concinnari curavimus, tomo ſequenti exhibendam. Quamvis, ut dicamus, quod res eſt, monumentum illud haud tum equidem, cum Regina obiit, poſitum fuiſſe teneamus, ſed tribus, ut ex inſcriptione patet, & amplius poſt eius fata ſeculis, id quod dicto tomo diſertius edocebitur.

Imago ANNÆ, *Baſileæ* extans, breviter recenſita.

c

XXXI. Secunda RUDOLPHI uxor a pleriſque Scriptoribus AGNES nominatur, & filia OTTONIS, *Burgundiæ* Ducis, ſcribitur: aliis contra eidem ELISABETHÆ nomen tribuentibus. d) Ambo horum haud adeo difficulter componi poſſe videntur: ſi, quod de dupli-

De nomine & familia ſecundæ uxoris RUDOLPHI I.

d

a) De his nominibus, quæ Cl. HANTHALERO *Faſtor. Campilil.* Tom. I. P. I. p. 1065. ænigmatis quiddam continere videntur, conſuli poteſt *Anonymus Murenſis denudatus* p. 345. ubi ſatis oſtenſum fuiſſe putamus: GERTRUDEM *Hohenbergicam*, cumprimum Regina *Romanorum* aut proclamata, aut certe coronata fuit, nomen ſibi in baptiſmate impoſitum, cum nomine ANNÆ commutaſſe. At nihilominus rem denuo nuper pertractandam ſuſcepit Cl. *Ioan. Fridericus* HERBSTERUS, Sereniſſimo Marchioni *Baden-Durlacenſi* a Conſiliis & Archivo (*in den Carlsruher nützlichen Sammlungen XII. Stück* 1758. *pag.* 27.) qui etſi, ut per litteras teſtatus eſt, dictum Anonymum, ut ut *Baſileæ*, ubi habitat, ſtatim ac diu proſtantem, ante ſuæ diſſertationis editionem haud legerit: iisdem tamen, quibus Auctor Anonymi, quod mireris, argumentis uſus eſt, alio quidem modo, nec tamen alia ubique phraſi prolatis. Addidit & nonnulla nova, quæ inter princeps facile locus debetur anecdoto diplomati RUDOLPHI, quo GERTRUDIS, ſeu ANNÆ noſtræ ſtemma gentilitium inſigne lumen atque certitudinem accipit. Vid. *Taphograph. Auſtr.* P. II. Auctar. dipl. in append. p. 193. num. XXIII.

b) Vid. Cl. MONTEFALCON. Monument. Monarch. *Franc.* Tom. II. paſſim.

c) Loc. cit. lib. I. cap. XIII. p. III.

d) MORERIUS e. g. in v. *Burgogne*, de HUGONIS IV. Ducis *Burgundiæ* liberis ait: il en ût ELISABETH, mariée an. 1284. à RUDOLPHE Empereur, aprés la mort du quel elle prit une ſeconde alliance.

Tab. XVI. duplici primæ coniugis nomine in *Anonymo denudato*, loco paullo ante citato, obſervatum fuit, idem a ſecunda hac coniuge factum fuiſſe dicamus: ut ſcilicet tanquam Regina *Romanorum* nomen ſuum immutaret. Si enim primæ licuit, cur non licuiſſet & ſecundæ? Quanquam quod ei nomen baptiſmale fuerit, exinde haud ſatis perſpicuum fiat; quippe quod tam de ſtirpe, quam nomine eius, non minus hactenus laboratum fuerit, quando alii HUGONIS IV. *Burgundiæ* Ducis filiam, neptemque volunt ſororis Regis *Franciæ* PHILIPPI III. præeunte ALBERTO *Argentinenſi*. Alii eiusdem quidem HUGONIS IV. filiam, ſed ex BEATRICE *de Champagne*, atque adeo neptem THEOBALDI, *Navarræ* Regis, conſtituunt. Huic tamen difficultati ſatis obviaſſe ſibi videtur Cl. HANTHALERUS a) ex citato Annal. *Colmarienſium* loco, ad an. 1284. expreſſis verbis memorantium: „ Rex RUDOLPHUS uxorem *Gallicam* duxit in *Ro-*„ *marico monte* (id eſt *Remiremont*, non *Ruremont*, ut perperam „ interpretatur laudatus vir eruditus) feſto S. AGATHÆ. „ Quin & in *Genealogia diplomat.* epiſtolam RUDOLPHI ex SEIFRIDO produximus, b) ad PHILIPPUM III. Regem *Franciæ* datam, qua ſibi de contracta cum eodem *affinitate* gratulatur. Verum cum adhuc dubium ſit, an & cui reipſa epiſtola illa miſſa fuerit, eaque de affinitate, non conſanguinitate mentionem faciat: id ſaltem ex HORNECKIO, Scriptore coævo, amplecti non dubitamus: Principem Ducali *Burgundico* ſanguine ſatam fuiſſe, cui Reges *Franciæ* per AGNETEM, dicti PHILIPPI III. ſororem, quæ ROBERTO II. Duci *Burgundiæ* nupſit, affinitate innexi erant. Sic nimirum utrique relationi ſua conſtat veritas. Dicit autem HORNECKIUS: filiam fuiſſe *Ducis de Tytſchaw*, c) quo vocabulo haud dubie *Divionem*, Ducatus *Burgundiæ* metropolim, intelligit. Idem nuptias *Treviris*, non apud *Montem Romarici*, aut *Baſileæ*, ut alii volunt, celebratas fuiſſe, memorat. Cui quidem Scriptori tanto libentius fidimus; quod Auctor nedum ſynchronus, ſed & multarum rerum, ea tempeſtate actarum, teſtis oculatus, aulæque Cæſareæ, ut Clariſs. editor illius *Hieronymus* PEZIUS in *Obſervat. præviis* indicat, non nunquam præſens adfuerit. Sed ut ut hoc ſe habeat, adhucdum in bivio manet, quodnam ex his duobus nominibus inter ſacra baptiſmatis ſolemnia tulerit, & quodnam ut Regina *Romanorum* aſſumpſerit? idque maxime etiam ideo; quod in vulgatis tam Regum *Franciæ*, quam Ducum *Burgundiæ* genealogicis, quas vidimus, tabulis, nulla circa hæc tempora aut ELISABETHA, aut AGNES occurrat, quam RUDOLPHI uxorem tuto conſtituere queas. Id unum fortaſſe obſcuræ rei lucem quandam affert, quod cum ei Scriptores *Franci* aut *Francis* vicini, nomen ELISABETHÆ tribuant, *Germani* autem ut plurimum AGNETIS, illud tanquam primum ac popularibus ſuis notum, baptiſmale ſit, hoc vero admiſerit, nova

a) Loc. cit. p. 1152. n. XXXV. & XXXVI.
b) Vol. III. n. DCXXXII. p. 524.
c) Chron. *Auſtr. Germ.* cap. CCLXXXII. pag. 235. ſeq.

va ac regia adveniente dignitate. Sed his in medio tantiſper, dum nova eruantur monumenta, relictis, eius ſaltem intueamur imaginem.

Tab. XVI.

XXXII. Reperimus eam in thecis Sereniſſ. Principis EUGENII de *Sabaudia* T. II. p. 40. a CASPARO *Paduano* integro corpore expreſſam, at eo habitu & ornatu, qui manum produnt recentiorem. Ut enim de picturæ concinnitate ac interioris veſtitus elegantia nihil dicamus, ſane capitis tegumentum, in conum deſinens, ac tænia, ad terram uſque defluente, inſtructum, apud illuſtres *Franciæ* fœminas ante initium ſeculi XIV. vix obtinuiſſe, Cl. MONTEFALCONIUS ex genuinis eorum temporum monumentis oſtendit. a) Quare tenendum eſt: ſchema illud vel omnino confictum, vel ſaltem ab artifice ita incruſtatum fuiſſe, ut imagini antiquæ novum affingeret habitum.

Eius icon. N. 4.

a

XXXIII. De liberis RUDOLPHI I. *Rom.* Reg. non eſt equidem, ut in colligendis exponendisque eorum iconibus valde ſolliciti ſimus. Excepto enim ALBERTO, &, ſi lubet, fratre quoque eius RUDOLPHO, qui Ducatum *Auſtriæ* primi ex *Habsburgicis* obtinuere, reliqui ad monumenta *Auſtriaca* proprie non pertinent. Sed neque etiam proclive eſſet, imagines eorum reperire. BIRCKENIUS quidem HARTMANNI & RUDOLPHI effigies in medium adducit, at ex ingenio pictoris effictas. b) *Lucas* KILIANUS CLEMENTIAM quoque, RUDOLPHI I. filiam, CAROLI Principis *Salernitani*, ac CAROLI I. Regis *Siciliæ* nepotis, uxorem, non ineleganter elaboratam, edidit: ſed quoniam locum aut tabulam, unde eam deſumpſit, haud indicat, fides ſit penes auctorem. Forma quidem habitus ab ea, quam vixit, ætate non omnino abhorret, ſed neque tamen vadem dare poſſemus, eam ex aſſe reſpondere. Vitta aliquatenus exornata, ad formam pilei Ducalis fere accedit, & infra tergum defluentes capilli non minus attentione digni: manicæ ad dimidium manuum porrectæ: tunica denique a parte anteriori globulis, ſeu nodis, quibus conſtringitur, decorata eſt, cuius rei exemplum ſeculo iam XII. occurrit. c) Quæ ſingula comparata ita ſunt, ut imaginis huius antiquitatem nec omnino reiicere, nec tuto admittere valeamus. Sæpe nimirum quid res non, quam quid ſit, dicere poſſumus.

De prolibus RUDOLPHI I.

b

N. 5.

c

XXXIV. Hæc de CLEMENTIA, filia RUDOLPHI breviter, ceteris eius prolibus haud illubenter prætermiſſis. Unde tamen minime inferendum eſt, nos tam filias eiusdem, earumque nomina, quam auctoritatem ALBERTI *Argentinenſis*, qui ea prodit, in dubium vocare, ut Cl. HANTHALERUS contendit, eo nomine *Genealogiam* noſtram *diplomaticam* carpens; d) quandoquidem contrarium edocturi ſumus tomo ſequenti. Nimirum Inſtrumentis tum intenti,

Ubi & HANTHALERO denuo occurritur.

d

a) Monumens de la Monarchie *Franc.* T. II. p. 233.

b) Loc. cit. p. 110. & 132.

c) MONTFAUCON loc. cit. p. 74. ſeq.

d) Loc. cit. p. 1063. n. XVIII.

ti, Inſtrumenta ſecuti fuimus, non auctores, quos interim ultro in medio reliquimus, eos præcipue, qui ſubleſtæ ſunt fidei, qualem ALBERTUM *Argentinenſem* nonnunquam eſſe, vel ipſe non diffitetur vir Clariſſimus. Sed de hoc ſatis.

INSCRIPTIONES.

Inſcriptiones, RUDOLPHI I. honoribus poſitæ. Prima.

XXXV. Quod ad RUDOLPHI inſcriptiones attinet, præter eas, quas in decurſu huius capitis adducere neceſſe erat, nihil ſeſe, quod quidem ætatem tulerit, nobis obtulit. Extat tamen *Wittebergæ* in *Saxonia*, in conclavi quodam Electorali, ubi effigies omnium Electorum pictura expreſſæ habentur, inſcriptio *Germanica*, ſub imagine ALBERTI II. Ducis *Saxoniæ* legenda, quam a Cl. Domino *Auguſtino a* LEYSER, Electori *Saxoniæ* a Conſiliis, liberaliter nobiscum communicatam, adſcribere iuvat:

KOENIG RUDOLFF DIE PFALZ MIR GAB,
DI GRAFSCHAFT BREHM MIT ALLER HAB,
ZU SEINER TOCHTER FRAU AGNETEN,
DAS ICH DIE CHUR MÖCHTE BAS ANTRETTEN,
DIEWEIL ER HETT DI REICHES MACHT.
MAGDEBURG MICH VON ACHEN IAGT
AN EREN UND TREU SI SICH ENTSEZT
IHREN HERREN SY IN TOD VERLEZT.

Additur deinde nomen H. ALBRECHT, id eſt Dux ALBERTUS. Hic anno 1273. RUDOLPHI *Habsburgici* electioni quidem interfuit, a) at titulum Electoris, aut Archimarſchalli, nunquam geſſit. b) Obiit anno 1308. Nobis carmina hæc vix ſeculo ſeſqui altero ſuperiora videntur. Vocabulum *Brehm*, etſi ſic iacet, haud dubie *Brehn* ſcribendum erat.

Secunda.

XXXVI. Aliam inſcriptionem, ſed recentioris itidem ætatis, qua RUDOLPHI erga SS. Euchariſtiam pietas exprimitur, affert SWERTIUS. c) Aſſervatur autem *Bruxellis*, & ſic ſonat:

TU QUISQUIS HANC BELLAM TABELLAM CONSPICIS
HISTORIAM PAUCISSIMIS COGNOSCITO.
COMES FUIT RUDOLPHUS OLIM HABSBURGICUS,
CUI RURE IUXTA RIVULUM, QUI EXCREVERAT,
FERENS AD ÆGRUM QUEMPIAM EUCHARISTIAM
PAROCHUS FIT OBVIAM: COMES MOX IN PEDES
SALIT, SUOQUE COLLOCAT MYSTAM LOCO.
EUNT SIMUL, SIMUL DOMOS ÆGRI PETUNT,
INTRANTQUE TRISTE LIMEN, ET ISTHINC ITER
ALIUD LEGUNT: SED HIC EQUUM VULT REDDERE
PAROCHUS, NEGAT COMES, QUIN IMPIUM SCELUS

NE-

a) LEHMANN. *Chron. Spir.* L. VI. cap. CIV. p. 549.
b) SCHURZFLEISCH p. 660.
c) *Select. Orb. Delic.* p. 686. ſeq.

NEFASQUE DUCIT, IPSE SCILICET PREMAT
EPHIPPION, QUO VECTUS EST COELI DEUS,
AIT, PEDESQUE CONFICIT COEPTAM VIAM.
FIDES INAUDITA: ET SIBYLLINA FATA
DE STIRPE VATES COMITI INCLYTO CANIT:
ÆTERNUM HONOREM, HÆC PIETAS HABET.

Huius facti præter Anonymum *Leobienſem* a) HAGENUM b) ceteramque Scriptorum omnis ætatis turbam, *Ægidius* TSCHUDIUS c) luculenter meminit, cui tanto ſecurius inhærendum; quod Scriptor hic inter paucos accuratiſſimus, ſine veteri ac idoneo teſte nihil usquam affirmare, multo minus res circumſtantes (quod nonnullorum vitium eſt) effingere ſoleat. Inde vero pietas *Auſtriacis* erga SS. Euchariſtiam quaſi innata, ac toto orbe notiſſima.

a b
c

XXXVII. *Seleſtadii* in *Alſatia* FRIDERICO, eius nominis ſecundo, & RUDOLPHO *Habsburgico*, Impp. Augg. ſequens monumentum a Senatu loci ſtatutum fuiſſe, docet *Beatus* RHENANUS, d) quod ſic habet:

Tertia.
d

IMP. CÆSS. FRIDERICO EIUS NOMINIS SECUNDO, ET RODOLPHO HABSPURGIO AUGG. SYNCERIORIS AC PLENÆ LIBERTATIS VINDICIBUS S. P. Q. SELECESTADIENSIS BENEFICIORUM MEMOR, INCLITIS PATRONIS ET VERIS PATRIÆ PARENTIBUS, POST VETERES FRANCIÆ HUIUS GERMANICÆ QUÆ ET AUSTRASIA DICTA EST, BENIGNISSIMOS REGES AC ROMANORUM IMPERATORES, DAGOBERTUM, CAROLUM MAGNUM, ARNULPHUM, ET QUI HOC (hos) EX SAXONIBUS BAIOARIIS, AC SUEVIS, INSECUTI SUNT, MONUMENTUM HOC GRATITUDINIS ERGO POSUIT. POSTERI DILIGENTER CONSERVANTO.

RHENANI ætate inſcripturam hanc non multo ſuperiorem eſſe, ſtilus & contenta produnt: quin ipſum RHENANUM illius auctorem eſſe, ſuſpicio eſt: nec denique locus urbis, ubi illa legenda ſit, indicatur. Porro argumentum eius nimis generale laudatus exponit editor. Nimirum: cum Præpoſito monaſterii S. FIDEI in *Concha* ius præficiendorum magiſtratuum *Seleſtadienſium* competeret, FRIDERICUS Aug. rem eo immutavit, ut tanquam Imperator, in huius iuris, poſtquam illud alia re compenſaſſet, conſortium admitteretur. Quod cum ad RUDOLPHI I. tempora duraſſet, is integram iurisdictionem Imperio vindicavit, data pro ea dicto Præpoſito medietate vectigalis, quod *Seleſtadii* ad *Elli* portam exigi ſolet. Adducit RHENANUS epiſtolam RUDOLPHI, ad *Scultetum Seleſtadienſem* datam, rem hanc confirmantem, ſed quam hic repetere nihil attinet.

CA-

a) Inter citat. PEZ. Scriptor. tom. I. col. 838. d.
b) Ibid. col. 1084. a. b.
c) Chron. *Helvet.* tom. I. p. 166. col. 2.
d) Rer. *Germ.* Lib. III. p. 154. editionis primæ *Frobenianæ*.

CAPUT II.

ALBERTUS I. REX ROMANORUM,

EIUSQUE

UXOR, ET FILIA.

§. I.

Breviarium vitæ.

ALBERTUS I. RUDOLPHO I. *Auſtriaco-Habsburgico*, primo loco genitus, ac anno iam tum MCCLXXXI. Vicarius *Auſtriæ* & *Styriæ* conſtitutus, easdem ſubinde provincias ab eodem, tanquam *Romanorum* Rege, iure beneficiario accepit. Is, devicto ADOLPHO *Naſſovio*, ſuo in Imperio prædeceſſore, Rex *Romanorum* proclamatus, regnum ſibi delatum non minus fortiter quam ſtrenue adminiſtravit. At fœdus cum PHILIPPO *Pulchro*, Rege *Galliæ* initum, tum vero maxime repetita a Principibus ad *Rhenum* telonia, non minimam apud eos concitavit offenſionem. Accedebat, ut ferunt, immoderatum numeroſam, quam habuit, prolem ditandi ſtudium, cuius rei gratia multa attentaſſe narratur, ceteris inviſa. Denique illud Cæſari exitio fuit, quod IOANNI, ex fratre RUDOLPHO nepoti, paternam hereditatem diutius, quam illi æquum ac iuſtum viſum fuerat, nec tamen ſine cauſſa, retinuiſſet. Quare factum eſt, ut Imperator uxorem, quæ tum *Rhenoveldæ* agebat, inviſurus, *Vindoniſſam* contendens, traiecta *Ruſa* fluvio, ab eo, ceteriſque coniuratis, nefarie trucidaretur, anno reparatæ ſalutis MCCCVIII. Calendis *Maii*. Uxorem habuit ELISABETHAM, MEINHARDI IV. Ducis *Carinthiæ* & Comitis *Tyrolis* filiam, fœcundo ſane matrimonio; ut quæ ei ſex filios, totidemque, una minus, filias peperit, ceteris utriusque ſexus, qui adultam ætatem haud attigerunt, quorumque numerus ad decem aſcendiſſe dicitur, non computatis. Illorum imagines hæ ſequuntur:

Eius ſtatua *Tulnenſis*. TAB. XVII. N. 1.

II. Quemadmodum inter RUDOLPHI I. ſtatuas facile principem locum tenet ea, quæ ex templo *Tulnenſi*, de quo capite præcedenti diximus, exſumpta eſt: ita & præſenti quoque ſchemati, ex eadem eccleſia educto, primas in hoc capite partes non immerito aſſignamus. Ibi nempe in altero columnarum *Gothicarum* ordine, prope altare ſupremum, ſpectantur lapide exſculpta ſimulacra ALBERTI, eiusque uxoris ELISABETHÆ, ut adeo in dicto templo ſtatuæ Auguſtorum omnino quatuor cernantur, atque inter illas hæc noſtra ad *Cornu Epiſtolæ*, ſeu partem ſiniſtram, RUDOLPHO proxima, pilæ impoſita. Caput Ducali pileo opertum, facies imberbis: coma per humeros laxe iacta, reliquum vero corpus tunica talari, alte ſuccincta, veſtitur, ac pallio ornatur: dextra porro ad pectus compoſita, ſiniſtra gladium tenet, inverſo mucrone.

III.

III. Cauſſa ſeu occaſio harum ALBERTI, eiusque coniugis imaginum, hic loci poſitarum, haud longius quærenda eſt. Patre enim monaſterium ædificante, cur non & filii quoque ratio haberetur? Pileus quoque Ducalis manifeſto indicio eſt, ſtatuam hanc ALBERTO, antequam dignitate Regia augeretur, atque, ut credibile eſt, patre etiamnum vivente, conſecratam fuiſſe. Accedit, quod cœnobium illud ea animi pietate complexus fuerit ALBERTUS, ut liberos præcoci morte ſibi ereptos, exſtructo ibi ſepulchro, de quo in Taphographia noſtra agitur, inferri voluerit.

Occaſio & ætas huius ſtatuæ. TAB. XVII.

IV. Ex feneſtris templi *Campi-regienſis* in *Argovia* ſimulacrum ALBERTI in ſupra laudatum *Ioan. Iacobi* FUGGERI MS. tom. I. fol. 232. averſa pag. translatum fuit. Corona aurea eſt, toga viridis, pallium rubrum, ſubductis muris Pontici pellibus, quos *hermelinos* vocant, cum patagio ex ſimili materia. Quod a tergo pendet, caputium eſt, pro more eorum temporum, ut in tabula ſequenti magis perſpicue cernemus. Inſignia hinc inde poſita notiora ſunt, quam ut interpretatione indigeant. Barbam denique promiſſam ingenio pictoris tribuendam eſſe, ex ſtatua præcedenti elucet. Neque id cuiquam mirum videatur; nam monumenta *Kœnigsveldenſia*, *Tulnenſibus* haud paullo inferiora eſſe, poſtea dicemus, ut adeo his, quam illis maior haud dubie debeatur fides. Accedunt nummi, a nobis alibi adducti, a) ubi ALBERTUS ſane imberbis repræſentatur: quemadmodum & in ſigillo, ab *Olivario* VREDIO b) producto, quod unum nos, cui imago ALBERTI impreſſa ſit, vidiſſe meminimus. Egregium ſane monumentum, ſi genuinum fuerit! Inſcriptio, ſubtus olim poſita, huius eſt ſententiæ:

Icon ALBERTI I. ex templo *Kœnigsveldenſi.* N. 2.

ANNO DOMINI M. C. C. C. VIII. I. KAL.
MAII OCCISUS EST DNUS DNUS ALBERTUS
REX ROMAN. IN LOCO, UBI NUNC EST
MAIUS ALTARE.

Fucum ergo faciunt, qui eum occiſum tradunt, ubi nunc cathedra Paſtoris in medio chori conſiſtit, prope baptiſterium. Quanquam etiam verba inſcriptionis non ita preſſe accipienda ſint, ut eodem plane loco animam efflaſſe credamus, quo illum ſiccarii adorſi ſunt; cum certum ſit, alibi vulneratum fuiſſe, alibi occubuiſſe, ut ad tabulam ſequentem dicemus.

V. Porro flagitium iſtud a IOANNE, ALBERTI ex fratre RUDOLPHO nepote (cui exinde *Parricidæ* agnomen adhæſit) atque coniuratis quinque perpetratum fuiſſe, refert ALBERTUS *Argentinenſis*, aliique Scriptores cum veteres, tum recentiores. Ipſe IOANNES diu exulans, *Piſas* tandem, vel, ut *Æneas* SYLVIUS narrat, c) *Avenionem*

De IOANNE *Parricida*, ALBERTI I. Imp. interfectore.

a) Nummotheca *Auſtr.* T. II. P. I. Proleg. IV. p. XXXVII. ad tab. VII.

b) Genealog. Comit. *Flandriæ* tab. XIX.

c) *Hiſtor. Bohem.* cap. XXVIII. p. m. 137.

Tab. XVII.

nionem primum ad CLEMENTEM V. Pontif. Maximum venit, infandi delicti veniam rogaturus, cui cum Pontifex respondisset: *Imperatoris occisorem ab Imperatore iudicandum*, HENRICUM VII. qui tum *Pisis* agebat, adiens, iussus est Ordinem Eremitarum S. AUGUSTINI ingredi, inibique perpetuo pœnitere: quod & facere non recusavit, in eodem etiam loco humatus, cuius sepulchrum se vidisse, loco citato testatur SYLVIUS, qui si & *Campum-regium* vidisset, non scriberet, parricidium istud *circa flumen Rhenum*, *non longe ab oppido Schaffhausen* accidisse; quandoquidem oppidum illud a loco delicti quatuor ad minimum milliaribus Germanicis distat. Verum multo longius, ut solet, a vero aberrat *Felix* FABER, a) qui IOANNEM post LXX. circiter annorum a cæde ALBERTI spatium *Kœnigsveldam* venisse, ibique excitato sibi tugurio, *honestam* ac *solitariam* vixisse *vitam*, scribit. Hinc a monialibus sæpe vocatum, ob exactam admissi sceleris narrationem in suspicionem venisse, ipsum esse Ducem IOANNEM, maxime quod cognominis esset, & *staturæ legalitas, morumque affabilitas virum nobilem esse demonstraret.* Attamen ex illo nihil unquam elici potuisse, donec morti proximus, *facta Confessione, & sacramentis receptis, palam verbis & signis cum multo gemitu & lacrymis ostenderit*, IOANNEM *Ducem se esse*, tum vero penitus obmutescentem obiisse, & in *campo-regio* tumulatum fuisse. Quæ fabula forte inde exorta est, quod simile quid de WALTERO de *Eschenbach*, ex coniuratis uno, narrari soleat. Eundem tamen errorem erravit quoque *Felix* MALLEOLUS b) aliique. Certe sepulchrum eius, *Æneæ* SYLVIO, aliisque visum, fabulam hanc nedum confutat, sed & explodit.

Deque eiusdem effigie.

VI. Huius IOANNIS imaginem BIRCKENIUS affert c) truci vultu, firmis membris, & longa ac horrida mystace, cumque gladio bellatorio in dextra, specie nimirum tali, qualis crudeli eiusmodi parricidæ conveniat, non cui ætas Principis; utpote cum facinus patraret non ultra undeviginti, cumque vita excederet, vixdum annos tres & viginti nato, respondeat. d) Alia tabula *Pisis* in Sacrario apud RR. PP. *Augustinianos* asservatur, IOANNEM in habitu huius S. Ordinis consueto repræsentans. Coronam præterea manu tenet, & in adiecto pulvino sceptrum regale impositum iacet. Hanc nos picturam nancisci haud potuimus, exiguo tamen aut nullo Reipub. litterariæ, ut credibile est, cum dispendio; non tam quod nomen huius Principis ob tantum scelus omnibus in hunc usque diem merito invisum esse debeat, quam quod tabula illa ex tela constet: manifesto indicio, sequiori tempore confectam, dubium relinquere, an vultum IOANNIS native referat, an secus?

VII.

a) Histor. *Suevor.* Lib. I. cap. XIII. ap. GOLDAST. *Scripp. aliquot rer. Suevic.* edit. 2. p. m. 48. col. 1.

b) In excerptis de Nobilitate in thes. Histor. *Helv.* p. 15.

c) In Speculo *Honor.* p. 263.

d) Vid. HORNECK. *Austr.* Chronic. cap. CCXLIII. p. 208.

VII. Statua ALBERTI ærea *Oeniponti* in templo *Palatino* visenda, eundem totum quantum cataphractum, ac chlamyde indutum repræsentat. Hanc *Franciscus* TERTIUS quoque P. II. num. 2. exhibuit. At sceptrum, quod ibi visitur, a nostra plane abest, & in cinguli militaris medio clypeus, fascia *Austriaca* insignitus, alterius quoque formæ est, quam in hoc nostro schemate, fidelius, accuratiusque, ut putamus, quam illud *Francisci* TERTII expresso. Inscriptio denique basis, qua REX ALBERTUS I. DUX AUSTRIÆ indigitatur, plane ibi omissa est. De huiusmodi *Oenipontanis* statuis copiosius actum est capite mox præcedenti. Alia quoque ALBERTI simulacra tabula sequenti dabimus.

ALBERTI I. Imp. statua ærea *Oeniponte*. TAB. XVII. N. 3.

VIII. Describitur ALBERTI corporis habitus a TRITHEMIO, a) quod fuerit *homo grossus, monoculus, aspectu ferox.* Eadem fere habet *Vitus* ARENPECKIUS. b) *Fuit autem* ALBERTUS, ait, *rusticanus in persona, distortum vultum habens, propter liberos avarus, & monoculus: qui suscepto regno, a* BONIFACIO *Octavo confirmationem expostulavit, quam obtinere non potuit; eo quod Dominum suum Regem* ADOLFUM *occidisset, & monoculus esset.* Et sane hanc vultus pravitatem, ut ut culpa non sua, sed infidelitate suorum contracta foret, ac corpus insuper, non animum, qui solus regnat, afficeret, ALBERTO in adipiscendo tuendoque Imperio haud parum obfuisse, exinde etiam elucet; quod idem ille S. Pontifex cum Cæsare subinde in gratiam rediens, a se equidem supplendum censuerit, quod illi in hac parte deesset. *Supplentes*, inquit, *omnem defectum, si quis ratione formæ .. fuisse noscatur.* c) Contraxit hanc vultus deformationem ex cibo venenato, per insidias sibi porrecto, sumptoque. Tum enimvero consilio Medicorum e pedibus suspensus, veneno per os, nares & oculos effluente, servatus quidem est, sed altero lumine captus. Factum hoc Anonymus *Leobiensis* d) *Iudenburgæ* anno MCCXCI. evenisse memorat. HAGENUS e) contra *Vindobonæ*: cui quoad locum *Vitus* ARENPECKIUS f) correspondens, annum tamen MCCXCII. assignat. Non magis etiam conspirat *Thomas* HASELBACHIUS, g) qui rem omnem anno primum MCCXCVII. & quidem *Wiennæ* accidisse putat. Quid? quod errorem haud paullo maiorem etiam BIRCKENIUS commiserit, quando totam historiam ad annum non solum MCCCVIII. consignat, sed & CUSPINIANUM ac PATALEONEM secutus, delicti locum *Argoviam* constituit. In hoc tanto Scriptorum omnis ætatis & conditionis dissensu, difficile est quidquam statuere. Pensitatis tamen rebus circumstantibus reliquis, quas viri eruditi STEYERERUS, h) HANSIZIUS i) & HANTHALERUS k) suppeditant, quasque hic

ALBERTI I. Imp. corporis habitus.

a b

c

d e f g

h i k

a) Chron. *Hirsaug.* ad an. 1291. p. 74.
b) Inter. *rer. Austr.* Scriptor. a R. P. *Hier.* PEZIO. editos tom. I. col. 1232. d.
c) Ap. CZERWENKA lib. II. c. VIII. p. 253.
d) Ap. eund. *Hier.* PEZ. loc. cit. col. 868. b.
e) Ibid. col. 1131. b.
f) Ib. col. 1231. c.
g) Ibidem tom. II. col. 758. a.
h) In Addit. ad histor. ALBERTI II. col. 5. & 6. ex HORNECKIO, Scriptore coævo.
i) *German. Sacr.* tom. II. p. 435, n. XXIX.
k) HANTHALER. Fast. *Campilil.* P. I. p. 1225. n. XLVI.

TAB. XVII.

hic enucleatius affere longum foret, dicendum eft: rem *Vindobonæ* fub initium *Novembris* anni MCCXCV. accidiffe. Nituntur autem præcipue auctoritate *Othocari* HORNECKII, auctoris fynchroni, cui fidem arbitrari integram, neque nos dubitavimus.

ELISABETHA, uxor ALBERTI I. Imp. N. 4.

IX. Ordo nunc tangit ELISABETHAM, MEINHARDI, Ducis *Carinthiæ* & Comitis *Tyrolis*, filiam, ALBERTI I. uxorem. Præfens eius fchema e templo Sanctimonialium *Tulnenfi* in *Auftria Inferiori* eduximus, ubi & aliæ Ducum *Auftriæ* ftatuæ, ut in præcedentibus diximus, confpiciuntur. Non differt, quoad fculpturæ genium ac ornatum, ab ANNÆ Imperatricis ftatua, tabula fuperiori num. 3. a nobis exhibita: acropodium tamen variat, quod parum refert.

Icon eiusdem ex feneftris templi *Kœnigsveldenfis.* N. 5.

X. Quæ fequitur ELISABETHÆ imago, fuppar eft, ex feneftris templi *Campi-regienfis* olim educta, & in fupra laudatum codicem *Fuggerianum* MS. fol. 233. adverfo illata. Corona aurea eft, velum album cum margine flavo. Stola, feu tunica talaris cœruleo, pallium contra albo nitet colore. Porro templum, quod ambabus manibus, tanquam fundatrix, more, ut aliunde conftat, antiquiffimo, fuftinet, eadem forma *Kœnigsveldæ* in hodiernum ufque diem fubfiftit, fed magnam partem in granarium converfum. Teffera *Carinthiaca* in adiecto fcuto cum *Auftriaca* coniuncta eft. Subtus demum fequens legitur infcriptio:

ANNO DOMINI - - - - V. CALEND. NOV.
OBIIT SERENISSIMA DNA ELISABETHA
REGINA ROM. FUNDATRIX ISTORUM
DUORUM MONASTERIORUM, CON-
THORALIS QUONDAM DNI ALBERTI
REG. ROM.

Profert hanc infcriptionem BIRCKENIUS quoque, fed integram, id eft, fuppleta, ubi epocham Chriftianam M. CCC. XIII. legi oportet, lacuna. Quam quidem epocham recte fe habere, cum ex tomo fequenti patebit, tum ex Scriptoribus antiquis apud Cl. P. PEZIUM a) aliisque; ut adeo Hiftoria *Auftralis* inter FREHERI Scriptores *Rer. Germ.* b) annum eius emortualem MCCCXIV. haud dubie perperam affignaverit. Fucum quoque facit Anonymus *Leobienfis* c) cum illam anno MCCCXIV. *Vindobonæ* præfentem adfuiffe perfcribit, quando FRIDERICUS *Pulcher*, evocato illuc CAROLO Rege *Hungariæ*, HEINRICO Duce *Carinthiæ*, aliisque pluribus Principibus & Comitibus, petendi Imperii confilium aperuit.

Occafio conftruendorum monafteriorum *Kœnigsveldæ.*

XI. Huius porro monafterii conftituendi occafio erat cædes ALBERTI; unde & *Regium* dictum eft, *Campus*que *Regius*, vulgo *Kœnigsvelda.* Fuit autem monafterium geminum, virorum *Minoritarum*

a) Loc. cit. tom. I. col. 1137. a. & 1234. d. Item tom. II. col. 458. a. &c.
b) Tom. I. p. 489.
c) Ap. cit. PEZ. tom. I. col. 911. c.

ritarum alterum, alterum Ordinis S. CLARÆ Virginum, quæ hodieque visuntur: sed a tempore *Reformationis*, quam vocant, deserta sunt, seu verius in nosocomium, ubi a *Bernatibus* urbis & ditionis suæ pauperes, ac morbo affecti, sustentari solent, conversa. Primum lapidem ipsa *Romanorum* Regina posuit, tantaque celeritate (etsi manus operi non statim post mortem Cæsaris admota fuerit, sed locus primum Anachoritis cesserit) ædificii moles surrexit; ut anno MCCCXII. (quatuor scilicet post necem ALBERTI annis) colonia Monialium cum prima Abbatissa HEDWIGE, ex cœnobio *Sefflingensi*, quod non longe ab *Ulma* civitate dissitum est, in festo *Exaltationis S. Crucis* eo deducta, monasterium inhabitare cœperit: a) solemnis tamen templi dedicatio, ut URSTISIUS scribit, anno primum MCCCXX. die XV. *Febr.* a IOANNE, Episcopo *Argentinensi*, suscepta fuit: at vero chronicon nostrum *Kœnigsveldense*, alibi prolatum, b) septimum eiusdem mensis, rectius fortassis, prodit.

TAB. XVII.

a

b

XII. Aliud ELISABETHÆ schema *Franciscus* TERTIUS integro corpore expressit, ærique incidit *Caspar* PADUANUS, reperiundum tom. II. p. 43. iconum *Austriacarum*, quas Serenissimus Princeps, & laudatissimus Heros EUGENIUS *a Sabaudia* collegit, nec non in Museo nostro. Coronam gestat, a formis coronarum huius ævi discedentem, nec cetera satis congruunt. Flos, quem manibus tenet, pudicitiæ & integritatis signum est. c) Liber apertus pietatem erga Deum, studiumque precandi, significare poterit. Quæ duo inter ceteras eius virtutes prolixe laudat HAGENUS. d) De ea plura ad tabulam sequentem.

Aliud ELISABETHÆ schema. N. 6.

c

d

XIII. ELISABETHAM in tabulis nostris AGNES excipit, ALBERTI I. filia, Regisque *Hungariæ* ANDREÆ III. uxor, cui anno MCCXCVI. nupsit. Mortuo Rege, cum ALBERTUS inter diversa procerum regni studia, CAROLO ROBERTO, CAROLI *Apuliæ* Regis filio, regnique contra WENCESLAUM, *Bohemiæ* Regem, æmulo, faveret, AGNES unacum privigna ELISABETHA ab *Hungaris*, vindictæ ergo, custodiæ mandatur. Sed ALBERTUS, misso in regnum infesto exercitu, *Hungaros* brevi tempore eo adegit, ut captivas, nulla amplius interposita mora, redderent, iniuriam prolixe excusantes. Regina itaque ad suos rediens, pietatis studiis, quibus dudum ante assueverat, novo fervore dedita, tandemque ad monasterium *Campi-regiense* unacum privigna ELISABETHA se conferens, vitam ibidem pie & sancte extraxit, atque anno demum MCCCLXIV. annos nata quatuor & octoginta, ad cœlos emigravit.

AGNES, ALBERTI I. Imp. filia, eiusque vitæ conditio.

XIV. Schema huius Principis, hoc loco a nobis exhibitum, ex sæpe dictis fenestris templi *Kœnigsveldensis* exsuptum est, reperi-

AGNETIS icon ex fenestris *Kœnigsveldensibus*. N. 7.

a) Vid. LAUFFERI *Helvetische* Geschichte, auctoresque mox cit. ap. *Hier.* PEZ. BIRCKEN. p. 372. ceteros.

b) Tom. IV. horum Monument. P. II. p. 161. seqq. præsertim. p. 167.

c) Conf. HEINECCIUS de sigillis P. I. cap. XIV. §. VIII. & IX. p. 159. seq.

d) Inter R. P. *Hier.* PEZII Scriptor. rer *Austr.* tom. I col. 1136. b.

TAB. XVII. periturque in laudato MS. codice illuſtr. FUGGERI. Velum, quo tanquam vidua obtegitur, album eſt, toga ex auro contexta, palliumque rubrum, ſubductis pellibus muris *Pontici*. Adiectum ſcutum cruce Patriarchali, Regni *Hungariæ* teſſera, inſignitum, corona obtegitur, cuius rei n. 5. antecedente oppoſitum vidimus, ita, ut ibi ELISABETHÆ caput corona obtectum ſit, clypeus contra vacuus, id quod pictoris arbitrio adſcribendum. Satis enim erat, regiæ dignitatis ſignum adeſſe, quocunque demum loco poneretur: niſi fortaſſis coniiciendum ſit, AGNETEM coronam, alias capiti imponi ſolitam, pro pedibus collocari voluiſſe, ex animi modeſtia, qua ſingulari iuxta ac inſigni pietate præditam fuiſſe, Scriptores veteres paſſim teſtantur. a) Subiecta imagini inſcriptio ſic ſonat:

ILLUSTRISSIMA DN'A DN'A AGNES
QUONDAM REGINA HUNGARIÆ, FILIA
DN'I ALBERTI REGIS ROM. PER CUI-
US PROCURATIONEM ISTA DUO MO-
NASTERIA PLENE SUNT ÆDIFICATA.

Nota chronologica de ætate feneſtrarum. *Campiregienſium.*

XV. Cum dies & annus emortualis Reginæ, ſecus ac in ceteris eiusmodi *Kœnigsveldenſibus* inſcriptionibus factum fuiſſe videmus, hic deſint; ſignum fere indubium eſt, feneſtras has, AGNETE etiamnum inter vivos agente, conſtructas fuiſſe. Quare & inſcriptiones coævas eſſe, vix eſt, unde dubitemus: quanquam ab ill. FUGGERI pictore male, ut cap. I. §. XXVII. vidimus, nonnunquam exſumptas. At quo anno confectæ ſint, Scriptores haud produnt. Animadverſo tamen, ALBERTUM *Sapientem*, qui anno MCCCLVIII. deceſſit, ultimum eſſe, cuius imago, adnotato inſimul die & anno obitus eius, repræſentatur; indicium habemus haud quaquam obſcurum, feneſtras has intra annum MCCCLVIII. quo ille, & intra annum MCCCLXIV. quo illa mortua erat, aut poſitas, aut abſolutas, perfectasque fuiſſe. Etenim ſi manus operi primum poſt fata AGNETIS admota fuiſſet, nulla adfuiſſet idonea cauſſa, annum & diem obitus eius omittendi. Neque porro audiendi ſunt, qui eam integro decennio maturius deceſſiſſe autumant. Quibus quippe præter HASELBACHIUM & HAGENUM b) quin & TSCHUDIUM, c) charta quædam monaſterii *Wettingenſis* anno MCCCLXIII. obeſt; quæ illius etiamnum ſuperſtitis mentionem facit: d) cui addi meretur necrologium laudati monaſterii, quod annum MCCCLXIV. manifeſte prodit. e) Verum quidem eſt, in ſæpe dictis vitris *Kœnigsveldenſibus* RUDOLPHUS quoque eius nominis quartus, is, qui anno MCCCLXVII. obiit, adumbratus olim fuit; ſed, ut ſuo loco dicemus, ſine ulla ſubſcriptione. Id quod argumento

a) Vid. mox laudandus HASELBACH. aliique.
b) Idem inter laud. Script. *Auſtr.* tom. II. col. 748. a. & HAGENUS tom. I. col. 1139.
c) Chron. *Helvet.* tom. I. p. 461.
d) Genealog. diplomat. tom. II. P. II. num. DCCCXXVI. p. 716. not. 4.
e) Ibid. pag. 845. ad IV. Id. *Iun.*

mento eſt, imaginem illam alio omnino tempore, atque alia etiam opera eo collocatam, cum ceteris haud computandam eſſe. — TAB. XVII.

XVI. Alterum, quod circa hanc coævam inſcriptionem obſervamus, verba illius concernit ultima: quibus per AGNETIS *procurationem iſta duo monaſteria plene ædificata fuiſſe*, poſterorum memoriæ inculcatur. Quod quidem uſque adeo verum eſt, ut & in litteris, ad Summum Pontificem CLEMENTEM VI. datis, tantum non *Fundatricis* titulum uſurparet; unde & is reſcripſit: *Monaſterium de Campo Regis . . . quod te conſtrui feciſſe, ac de* BONIS PROPRIIS DOTASSE, *aſſeris* &c. a) Et erat ei re ipſa, unde in hæc monaſteria liberalis eſſe poterat; quippe cui ANDREAS maritus non tam dotis nomine, ut HASELBACHIUS vult, b) quam donationis & gratitudinis, qua erga parentes eius ALBERTUM & ELISABETHAM ferebatur, titulo, *Poſonium*, cum vicinia, ad dies vitæ poſſidendum tradidit. — AGNES in monaſteria *Kœnigsveldenſia* perquam liberalis fuit.

XVII. Rem perſpicuam reddit diploma ANDREÆ, ex Tabulario RR. DD. Canonicorum *Seccovienſium* eductum, & a nobis in vol. I. huius tomi num. II. editum, ubi legimus: „quod quia magnificus Princeps, D. ALBERTUS D. G. Dux *Auſtrie* & *Styrie*, pater noſter chariſſimus, nos paternali affectione dilexit, & confovit: Nos tante dilectionis fervorem & amorem ---- attendentes, cupientesque --- conſimili dilectionis amore eidem Domino ALBERTO -- patri noſtro, ac Sereniſſime Domine matri noſtre perdilecte aſſiſtere --- Comitatum *Poſonienſem* cum caſtro *Poſonienſi* & aliis caſtris eidem Comitatui coniunctis & annexis --- contulimus Sereniſſime Domine AGNETI --- conſorti noſtre --- uſque dum eidem -- fuerit vita comes. Datum ---- anno Domini milleſimo, ducenteſimo, nonageſimo ſeptimo, quarto Nonas *Novembris*." id eſt, integro ad minimum anno, ut ſtatim videbimus, poſt nuptias. Accepit ergo AGNES præter dotem, ſibi a coniuge pridem datam, magnam quotannis vim auri ex *Hungaria*; ut adeo cum magna illius pars monaſterio ceſſerit, etiam *Fundatricis* titulus eidem precarius minime fuiſſet. Haud equidem nos fugit, *Poſonium* a FRIDERICO, Duce *Auſtriæ*, CAROLO ROBERTO Regi *Hungariæ* redditum fuiſſe, c) at cum id nulla AGNETIS culpa obtigerit, conveniens ſane erat, ut damnum ſibi inde emergens alia re compenſaretur. Quidquid ſit, omnes in eo conſpirant: Reginam ingentes theſauros ſecum attuliſſe, accepiſſeque, ex *Hungaria*. — Res firmatur diplomate.

XVIII.

a) Apud WADINGUM *Annal. Minor.* in Regeſt. Pontif. ad tom. IV. p. 540. Datum apud *Novam Villam Avenion. Diœceſ.* Kal. Aug. anno III. Idem p. 532. alias litteras Pontificias affert, a IOANNE XXII. ad Epiſcopum *Argentinenſ.* datas, cuius arbitrio permittitur, an non ad petitionem ELISABETHÆ Duciſſæ *Calabriæ*, ac AGNETIS noſtræ ſororis, Parochialis Eccleſiæ *Windeſch* (iſt eſt *Vindoniſſæ*) proventus in augmentum dotis monaſterio *Kœnigsveldenſi*, ab ELISABETHA Regina conſtituto, attribui queant? *Datum Avenione VIII. Idus Iul. anno III.*

b) Inter laud. *Hier.* PEZII Scriptor. tom. II. col. 747. d.

c) *Math.* BELIUS *Notit. Hung.* tom. I. p. 137.

ANDREÆ Regis *Hungar.* epitaphium.

XVIII. In eadem feneſtra, ubi AGNETEM adumbratam diximus, proxime extabat olim iconiſmus coniugis eius ANDREÆ, in genua procumbentis. Eius tamen delineationem conſulto omittimus: utpote ad res *Auſtriacas* proprie non pertinentem: damus tamen ex eodem codice *Fuggeriano* inſcriptionem his verbis conceptam:

ANNO DOMINI M. CCC. OBIIT SERE-
NISSIMUS DN'S DN'S ANDREAS
REX HUNGARIÆ. CONTORALIS QUON-
DAM DN'Æ AGNETIS REGINÆ HUNGARIÆ.

Concordat hæc inſcriptio cum edita BIRCKENII, at cum Sriptoribus rerum *Hungaricarum* non æque; ut qui cum BONFINIO aliisque, mortem Regis communiter anno MCCCI. affigere ſolent. Quod diſcrimen ut componatur, dicendum erit: *Hungaros* ea tempeſtate annum aut a quinto & viceſimo *Decembri*, aut more ſolito a Calendis *Ianuarii*: *Argovos* contra, tanquam *Burgundiæ minoris* populum, vicinorum *Gallorum* & *Lotharingorum* more, a quinto & viceſimo *Martii* inchoaſſe. Id quod ſane cum die obitus ANDREÆ, quem BONFINIUS in feſto S. FELICIS, i. e. XIV. *Ian.* eveniſſe ſcribit, adprime congruit. Etſi enim natales Sanctorum in Eccleſiaſtico Calendario huius nominis plures numerentur, errorem tamen hic nullum permittit diploma Reginæ, quo *Sanctimonialibus* Ord. S. CLARÆ *Vindobonæ* certos quosdam proventus ea conditione aſſignat, ut a fratribus Minoribus in eadem urbe quotannis ſacrum ſolemne in *feſto* S. FELICIS *in Pincis* pro ſalute ANDREÆ, coniugis eius, fiat a) die nimirum, quo is diem clauſit extremum.

In tempus, quo ANDREAS Rex AGNETEM ſibi deſponſaverit, inquiritur.

XIX. Quod demum ad tempus, quo AGNES noſtra *Hungariæ* Regi in matrimonium elocata fuit, attinet: plerique cum *Auſtriacæ*, tum *Hungaricæ* hiſtoriæ Scriptores annum MCCXCVI. produnt, b) ut adeo *Leobienſis* Anonymus, c) qui nuptias has ad annum MCCXCI. retrahit, a vero tanto longius abſit, quanto certius eſt, ſponſam eo tempore matrimonio per ætatem nondum aptam fuiſſe. Cum enim ſatis conſtet, eam an. MCCCLXIV. & quidem, ut plerique volunt, anno vitæ quarto & octogeſimo defunctam fuiſſe; conſectaneum eſt, anno MCCXCI. annos ætatis non ultra undecim numeraſſe. Sed facile (reponet non nemo) cum Anonymo iſto in gratiam redimus, dicendo: illum de ſponſalibus intelligendum. Suffragari etenim videri poſſet Clar. *Mathias* BELIUS, qui *Auſtriacorum* Scriptorum fide, ANDREAM ab ALBERTO Duce *Auſtriæ Wienna*, ubi, antequam ſibi regnum avitum adire daretur, per aliquot tempus liberaliter habitus fuit, ea interpoſita petitione

a) Edimus illud vol. I. num. v.

b) BELIUS loc. cit. p. 132. ſeq. *Petrus* de REVA inter Scriptor. *Rer. Hung.* a Cl. SCHWANDNERO edit. tom. II. pag. 636. Chronic. *Clauſtro-Neoburg.* inter citat. *Rer. Auſtr. Scriptor.* tom. I. col. 373. c. Roo. *Hiſt. Auſtr.* Lib. II. p. 62. Chronica *Auſtral.* ap. FREHER. tom. I. p. 468. ad h. a. Ceteri.

c) Loc. cit. col. 868. d.

tione dimissum fuisse, scribit: „ ut iura vicinitatis sancta haberet, „ intemerataque; AGNETEM, ALBERTI filiam, sponsam sibi dari, „ regio solio admotus optaret: utrumque sacrosancta iurisiurandi „ formula sanciret: a) „ *Hæc si credamus*, subiungit vir doctissimus, *non sine offensa tantum, ad capessendum regnum*, ANDREAS *abiit, sed innexus etiam nuptiarum fœderi*: prope tamen incertum esse, qua de caussa, idem Rex *Austriaco* postea bellum intulerit? quo tamen brevi finito, pax ea conditione coaluerit, ut Rex, antiquo matrimonii fœdere restaurato, sponsam AGNETEM, dudum adpromissam, regio tandem admoveret thoro, id quod dicto quoque anno MCCXCVI. executioni feliciter mandatum fuerit. Accedit his inter ceteros ALBERTUS *Argentinensis*, b) qui in ea fuit opinione, ut putaret, AGNETEM ANDREÆ, cum *Vindobonæ* liberalitate ALBERTI sustentatus, quin & certæ morti ereptus fuit, non tam oblatam, quam ab eo potius in matrimonium expetitam fuisse. Unde & factum sit, ut repulsam passus, iniuriam postea, factus Rex *Hungariæ*, obsidione urbis *Vindobonensis* vindicaverit.

Refutantur rem perperam narrantes.

XX. At non sine caussa res eiusmodi in dubium vocat Cl. BELIUS; quandoquidem integram historiam, atque adeo haud dubie veriorem, discimus ex HORNECKIO, c) auctore non solum synchrono, sed & multarum ALBERTI rerum teste nonnunquam oculato. Is vero diserte scribit, ANDREAM Primorum rogatu statim post electionem filiæ Ducis *Gloggoviæ*, cuius nomen haud exprimit, coniunctum fuisse. Et certe etiam ex eo matrimonio (quo de rerum *Hungaricarum* Scriptores plerique silent) ELISABETHA, quæ deinde in monasterio *Thosano* (vulgo *Thoess*, non longe a *Vitoduro*, *Turgoviæ* oppido) vitam monasticam Ord. *Præd.* non sine sanctitatis opinione vixit, enata fuit. Unde & acta eius ab *Henrico* MURERO in *Helvetia Sancta*, nec non a BOLLANDO referuntur, a nobis ex occasione inferius examinanda. Clar. quoque *Bernardus* PEZIUS testamentum producit, d) quo illi Regina cognominis, FRIDERICI *Pulchri* uxor, quinque marcas argenti legat. Vixit hæc prima ANDREÆ coniux adhucdum anno MCCCXCIV. quarto Kalendas *Augusti*, ut ex diplomate quodam, a Cl. P. PETERFYO edito, e) addiscimus. Quibus ita se habentibus, credibile vix est, sponsalia alia cum AGNETE præcessisse, quin ab HORNECKIO, aliisque id ætatis Scriptoribus, ei exprobratum fuisset, quod ea tam cito, ac *Vindobonam*, ubi tam liberaliter habitus fuit, vixdum relinquens, dissolvisset, rupissetque. Certe etiam, ubi idem Auctor ALBERTUM, fecialibus *Hungaricis*, bellum sibi nomine ANDREÆ denuntiantibus, respondentem inducit, ingratitudinem illi multis verbis obiicit, at de sponsalibus altum ubique silentium. Accedit, quod ANDREAS, Duci,

a) Loc. cit. p. 133. ex *Gerardo* de Roo Add. *Petrus* de REVA l. c. p. 636.
b) Ap. URSTIS. Scriptor. *rer. Germ.* P. II. pag. 111.
c) Chron. *Austr.* cap. CCCLXXXVI. p. 360. seqq.
d) In Cod. diplomatico-epistol. p. 12.
e) Concil. Hung. tom. I. p. 137.

Duci, e quatriduana venatione reduci, honoris gratia obviam occurrere, etiamſi monitus, contemnens, ac regiam ſuam ſuperbe obtendens proſapiam, gratia tam apud ipſum, quam uxorem eius, exciderit, ita, ut illi propterea quotidiana alimenta, benigne ante præbita, ſubtracta fuerint. At horum utrumque neque futurum generum, nec ſocerum facturos fuiſſe, credendum eſt: aut ſaltem ſi feciſſent, brevi in gratiam redituros. Atqui in gratiam ob id haud rediiſſe, exinde colligimus, quod ANDREAS uſquedum ad regni *Hungarici* gubernacula vocatus fuit, haud exigua laborarit egeſtate; qua de apud HORNECKIUM, *Vindobona* iam abiturus conqueritur, culpam tamen ſuam ingenue agnoſcens. Diſceſſit quoque inſalutato hoſpite, a duobus *Wilhelmitis*, quorum, ut ſecurius lateret, habitum induit, clam ALBERTO ac ceteris omnibus abductus: id quod generum Ducis parum decuiſſet.

Quos inter ALBERTUS *Argentinenſis.*

XXI. Quod ad ALBERTI *Argentinenſis* auctoritatem attinet, eam, licet Scriptoris ſupparis, cum ex cauſſis, alibi adductis, tum etiam ideo haud moramur; quod ſe ipſum quaſi refutet. Bellum enim, quod ALBERTUM inter & ANDREAM æſtate, coronationem eius ſubſequente, anno MCCXCI. exarſit, haudquaquam AGNETIS cauſſa ſuſceptum eſt, ſed ad recuperandas illas civitates & caſtella, quæ ALBERTUS bello, cum Comite YBANO non longe antea geſto, ſuam in poteſtatem redegerat. Fallitur præterea, quando tum temporis *Wiennam* obſeſſam perſcribit; cum omnis hoſtilitas rapinis & incendiis villarum & agrorum conſtiterit, pace quoque brevi reſtituta. De quibus omnibus luculenter & diſerte laudatus agit HORNECKIUS, quem hic pro inſtituti noſtri ratione indigitaſſe ſufficiat: Scriptoribus, argumentisque huc facientibus aliis conſulto omiſſis.

Alia monumenta, ad ALBERTUM I. ſpectantia.

XXII. Confectis iam plerisque tabulis, conſilium cepimus, monumenta *Kœnigsveldenſia*, poſt illuſtr. FUGGERI curas, denuo luſtrandi, colligendique ſaltem, ſi quæ ſuperſint, dicti templi feneſtrarum reliquias: Ceſſit utcunque res e ſententia; quanquam nonnihil turbato exinde ordine, quem alias ſervamus, chronologico.

Icon ALBERTI I. corruentis cum iumento. TAB. XVIII. N. 1. a b

XXIII. Qui igitur primo loco comparet eques, una cum iumento humi prolapſus, haud dubie ALBERTUS I. eſt. Referunt enim hiſtoriæ *Helveticæ* conditores: Regem a coniuratis vulneratum, non ſtatim in loco flagitii obiiſſe, ſed cum equo ad proximam ſilvulam procurrentem, ibidemque prolapſum, a puella quadam, aulam ſequente, ſuſceptum, fotumque, paullo poſt in loco, ubi nunc altare maius eſt, animam creatori reddidiſſe. a) Addit tamen HORNECKIUS b) id officii morienti Cæſari ad ultimum a IOANNE, epiſcopo *Argentinenſi*, exhibitum fuiſſe, qui unacum reliquo comitatu traiecta *Ruſa*, ſeu *Urſa*, ſuperveniens, Regem loquendi qui-

a) Vid. LAUFFER. *Helvetiſche* Geſchichte tom. III. p. 196.

b) HORNECK. l. c. cap. DCCCI. p. 811.

Tab. XVIII.

quidem falcultate iam deſtitutum, ſed tamen palmas, ut potuit, ad cœlum tendentem, inveniens, expirantem multa & inſigni pietate fovit, atque adeo haud dubie etiam a delictorum vinculis abſolvit. Partem hiſtoriæ pictura hæc exhibet, equum, ſeu caſu, ſeu ex vulnere, unacum Imperatore corruentem repræſentans. Ipſe ALBERTUS toga talari viridi, pallioque fluitante purpureo ſplendet: pars ſtrati, a ſiniſtris prominens, quemadmodum & equus ipſe albi coloris ſunt; non obſcuro iterum indicio, equidem hunc eſſe Cæſarem. Ut enim ſatis conſtat, & doctiſſimus MONTEFALCONIUS a) non uno loco animadvertit: equus candidus inde a longiſſimis temporibus ſupremi dominii, ac poteſtatis, ſemper ſignum fuit. Qua de re memoratu haud indignum exemplum enarrat: CAROLUM V. Regem *Francorum*, CAROLO IV. Imperatori, eiusque filio WENCESLAO, anno MCCCLXXVII. ad ſe inviſentibus, duos equos *nigros* de induſtria obviam miſiſſe: ſe vero paullo poſt ſubſecutum, *albo* uſum, quo ſignificaret: ſibi, non Imperatori, dominium *Franciæ* competere.

Idem in genua procumbens. N. 2.

XXIV. Ectypon ſecundum denuo nobis Regem quendam exhibet, eundemque, ut coniicimus, ALBERTUM. Nam etſi fatalem cædis eius hiſtoriam pictura mox præcedens nobis ante oculos poſuerit, credibile tamen eſt: illum, reliquorum etiam Principum *Auſtriacorum* inſtar, in genua procumbentem, ac in precantis ſpeciem exhibitum fuiſſe ab AGNETE; ut quod fratribus, aliisque ex *Auſtriaco* ſangnine Principibus exhibuit pietatis officium, id patri quoque ne denegaret. Suadet id præterea vultus ſimilitudo, quam habet cum figura antecedente, & corona, capiti impoſita, præcedenti itidem ſimillima; adeo ut ANDREAM, (quod quidem exiſtimare quis poſſet) hic repræſentari, minori omnino nitatur fundamento. Denique & ornatus, veſtimentique genus congruit; toga enim, ut in priori imagine, praſini coloris eſt, patagium albeſcit, pallium, & retro fluitans caputium, quod genus geſtaminis tunc maxime in uſu erat, b) purpuræ aſſimilatur. Calcei denique ſuperne, pro more eorum temporum, aperti, nigri coloris ſunt, cum rubeis ligaturis. Inſcriptionem, quæ & huic imagini ſubiecta olim erat, ſuperius iam expendimus.

Imago forte LEOPOLDI *Glorioſi*. N. 3.

XXV. Quæ loco tertio adducitur ſtatua, pro imagine LEOPOLDI *Glorioſi* habetur. Nos, quibus rationes, rem aut affirmandi, aut negandi, deſunt, in medio relinquimus. Tunica eius interior

a) Monuments de la Monarchie *Franc.* tom. III. p. 34.

b) Conf. laud. MONTFAUCON. T. II. p. 328. Huc quoque vel maxime facit HASELBACHII locus apud ſæpe laudatum *Hier.* PEZIUM tom II. col. 759. c. d. qui mortem ADOLPHI Cæſaris, in prœlio cum ALBERTO noſtro cæſi, deſcribens, de caputio eius hæc habet: ADULPHUS *Rex cecidit in bello proſtratus per Comitem* IRSUTUM, Sylveſtrem *dictum*, *& per quendam armigerum equo deſcendentem, levato collyrio*, CAPUCIOQUE, *dato vulnere in collo cecidit mortuus &c.* Ubi tamen obiter notantum: loco vocabuli *collyrio* ſubſtituendum eſſe *collario* Eſt autem collarium, ut DUCANGIUS definit, armaturæ ſpecies, *qua ſcilicet collum militantis tegitur.*

Tab. XVIII. rior flavi, pallium purperei, caputium denique, a tergo pendens, viridis eſt coloris. Quod a dextro humero veluti ſcutum quadratum obſervatur, teſſeram præferre videtur, *Auſtriacæ* haud omnino abſimilem. De hoc Principe plura inferius. Ex his porro imaginibus diſcimus ſaltem, quantum picturæ, *Kœnigsveldæ* etiamnum reliquæ, ab ectypis diſtent *Fuggerianis*.

Icon Agnetis Reginæ. N. 4. XXVI. Tandem Regina Agnes quoque redit, ex genuino *Campi-regienſis* archetypo deſumpta: alterius iterum ac ſincerioris, ut putamus, formæ, quam a pictore *Fuggeriano* exhibita nobis fuerit. Velum tam capitis, quam quod a collo & humeris ad pectus defluit, nivei, tunica aurei, quæ vero a dextra quaſi faſcia dependet, rubri, ac palliolum denique, a tergo demiſſum, punicei coloris ſunt: totus autem reliquus corporis habitus ita comparatus eſt, ut, niſi in adiecta ſupra pulvinum candidum corona aurea, nec non & inferne crux Patriarchalis Agnetem manifeſte proderent, multis forte Monialem potius, quam Reginam *Hungariæ* referri videretur. Et ſunt revera, qui eam in monaſterio veſte griſea a) uſam fuiſſe ſcribunt, quin & R. P. Gansius b) eandem choro Monialium adlegere nullus dubitat. Sed non ita eſt; nam etſi ſacro *Clariſſarum* Ordini ſingulari affectione addictam, eiusque inſtituti morem in nonnullis imitatam fuiſſe, negari nequeat: regio tamen cultu inceſſiſſe, vel hæc ipſa pictura docere poteſt, tantumque abeſt, ut eidem Ordini nomen aliquando dederit, ut hoc vel ipſi Waddingo nunquam in mentem venerit.

Agnetem non factam eſſe monialem, firmatur. XXVII. Quin ex laudata, atque ab ipſomet adducta epiſtola diſcimus, facultatem a Summo Pontifice petendam fuiſſe, ut monaſterium cum aliis nobilibus matronis, iisdemque ad certum numerum adſtrictis, ingredi, & cum Monialibus familiariter agere poſſet. „Hinc eſt (ait Summus Antiſtes) quod nos tuis ſupplicationibus „inclinati, ut cum ſex matronis honeſtis monaſterium de *Campo* „*regio*, ſororum incluſarum Ord. S. Claræ ingredi, & infra ipſarum clauſuram loqui & converſari ſine aliquo intermedio, & „comedere, & bibere, & intereſſe Ordinis officiis cum eisdem, ac „omnia & ſingula ipſarum habitacula viſitare, & nihilominus, ut „domum, quam inhabitas, eidem monaſterio contiguam poſſis ſub „clausura dicti monaſterii, & eidem clauſuræ adiungi facere, ac exinde tu cum dictis ſex matronis ad easdem ſorores liberum habe„re ingreſſum, dummodo illarum, quæ dicto monaſterio præfue„rint - - - ad id accedat aſſenſus, tenore tibi præſentium indulge„mus.„ Hæc Summus Pontifex Clemens VI. anno quidem iam tum MCCCXLIII. Kal. *Aug.* Unde tamen nemo arguat, fieri potuiſſe, ut Agnetis poſtea mens mutaretur; id enim aſſertori probandum incumberet, ac pictura noſtra, quæ habitum plane regium oſtendit, quæque illo anno, ut diximus, inferior eſt, aperte contradiceret. Veſtes

a) Haselbachius loc. cit.
b) In Gynecæi lib. II. cap. I. p. 43. & apertius in ſummario capitum.

ſtes tamen eiusdem cum monialibus panni nonnumquam geſtaſſe, aut in iisdem ſaltem ſepultam fuiſſe, alibi a) oſtendimus. a

XXVIII. Ultimum huius tabulæ locum occupat protome LEOPOLDI *Probi*, in tabula lignea, atque in ſæpe laudato templo *Kœnigsveldenſi* hodieque viſenda. Dux lorica indutus eſt, ſed a pictore non ſatis perite expreſſa: iuncturæ, nec non & quatuor roſæ, flavum, ſeu aureum colorem præſeferunt, capilli contra coloris ſunt rutilantis, quales etiam in ſummo cranio, cum ſarcophagus eius aperiretur, ad ſex pollices, ſeu dimidium pedem, excreſcentes *Kœnigsveldæ* videre erat, quos in Pinacotheca exhibemus. A collo ſcutum *Auſtriacum*, e fibula aurea dependens, ad pectus deſcendit, in cuius faſcia transverſa, linea quædam admodum tenuis ducitur, repetitas ſiglas S. P. quarum altera ſuper alteram poſita eſt, inter ſe diſterminans: hæ niſi de oppido *Sem-Pach*, ubi Sereniſſimus Princeps anno MCCCLXXXVI. infeliciter occubuit, interpretandæ ſint, aliis diſcutiendas relinquimus. Poterit quoque S*empacenſi* P*rœlio*, aut S*empaci* P*eriit* interpretari.

LEOPOLDI *Probi* effigies. TAB. XVIII. N. 5.

XXIX. Non eſt dubium, quin tabula hæc vere antiqua & coæva ſit, atque adeo veram & ſinceram quoque, quoad per illorum temporum, artiumque ruditatem fieri poterat, imaginem referat. Cum enim *Argovia* iam tum anno MCCCCXV. una cum Regio hoc cœnobio in poteſtatem Confœderatorum *Helvetiorum* venerit, omnino tenendum eſt, tabulam ante hanc epocham confectam fuiſſe; poſtea enim quis eiusmodi anathema ſuſpendiſſet? Illud vero tempus, cum ad ætatem LEOPOLDI proxime accedat, nihil admodum obſtare videtur, quin & ſynchronum eſſe queat. Quare nec adſcripta ſuperne nota chronologica aſſerto noſtro fraudi eſſe poteſt; cum illam a recentiori manu additam fuiſſe, nemo non videat; ad quid enim duplex ille titulus? ſed & diverſas manus eſſe, ex ortographia vocabuli LUBOLDT & LÜPOLZ deſumitur. Huius tabulæ ectypon antiquum, ſed tamen in tela expreſſum, monaſterium quoque *San-Blaſianum* aſſervat, a tabula *Kœnigsveldenſi* non niſi exiguo diſcedens diſcrimine, præcipue in eo poſito, quod ibi in ſiniſtro areæ latere hanc notam: *ætatis ſuæ* 18. præferat, quæ, niſi a ſciolo quodam adiecta fuerit, indicio eſt, *Kœnigsveldenſem* picturam cæde LEOPOLDI multo ſuperiorem eſſe. Id quod tamen antiquitati & authentiæ eius haud derogat; quandoquidem incertum, an hæc noſtra ex illa deſumpta fuerit: lineamenta autem ipſa, eum ætatis minime progreſſæ repræſentent.

Commendatur ab antiquitate.

XXX. De hoc Principe plura ſuo loco; hæc enim occaſione ſpicilegii *Kœnigsveldenſis* duntaxat dicere oportuit. Ceterum, quantum ex hac pictura, nec non ex oſſibus eius, *Kœnigsveldæ* repertis, legere eſt, erat LEOPOLDUS robuſto & amplo corpore, pedes longus ad minimum quinque & ſemis, facie ſucculenta, fronte quadrata, naſo iuſtæ magnitudinis, grandiori tamen potius, quam gra-

LEOPOLDI *Probi* corporis habitus.

a) Taphographia Principp. *Auſtr.* P. II. cap. V. §. XII. p. 37.

gracili, labiis non nihil prominentibus, capillis purpurei, ſeu rubri coloris. Caput denique illi grandius fuiſſe, ex cranio iudicarunt ii, qui cryptam eius *Kœnigsveldenſem* luſtrarunt.

INSCRIPTIONES.

Inſcriptio *Kœnigsbrunnenſis.*

XXXI. Monaſterium *Kœnigsbrunn*, in villa *Brentiana*, Ducatus *Wirtenbergenſis*, Ord. *Ciſtercienſis*, ALBERTUS & ELISABETHA anno MCCCII. fundarunt. Unde ibidem prope ſummam Aram ſequens, lapidi inciſum, epigramma legitur:

ANNO MILLENO TRECENTENO ADDE SECUNDUM,
INCLYTUS ALBERTUS ROMANÆ GLORIA GENTIS
REX DUXQUE AUSTRALI NOTO DE SANGUINE NATUS
ELISABETH CONIUXQUE DUCUM CARINTHIÆ PROLES
ADDUNT ECCE MANUS FORTES UT REGIA REGIS
FUNDAMENTA LOCENT FONTIS QUO CETERA MANANT
PRO MERITIS TANTIS SIT PARTA QUIES UT EORUM
SPIRITUI ANTE DEUM LECTOR PRECIBUS ROGITATO.

a

Diploma fundationis BESOLDUS pridem edidit, a) quod cum *Norimbergæ* anno MCCCIII. Kal. *Maii* datum fuerit, huic noſtræ inſcriptioni, quæ origines illius monaſterii cum anno præcedente componit, derogare videtur. Id quod in monumentis huius generis, id eſt, non minus coævis, quam auctoritate publica poſitis, rarum quid ac ſingulare foret.

In chartis & inſcriptionibus diſtinctio habenda inter *Actum* & *Datum.*

b

XXXII. Quod ut complanetur, cum Cl. P. HANTHALERO b) obſervare iuvat, *iudicium* & *actionem*, ſeu argumentum alicuius chartæ, cum die, qua data & ſignata fuit, non ſemper correſpondere: quin potius non raro contigiſſe, ut inter diem, qua de re, ſeu negotio quopiam actum & deliberatum, & die, qua in confirmationem & auctoramentum eiusdem rei inſtrumentum aliquod datum & obſignatum fuit, plures aliquando menſes, quin fortaſſis integer nonnunquam annus interceſſerit. Quocirca recte admonet: probe attendendas eſſe formulas illas *Actum* --- *Datum* -- ex quibus quippe nonnunquam intelligi, aut prudenter ſaltem dubitari queat, an argumentum diplomatis diei, qua datum & extraditum fuit, ſynchronum ſit, an ſecus?

Firmatur exemplo.

XXXIII. Rem deinde exemplo, a LEOPOLDO VII. cognomento *Glorioſo*, Duce *Auſtriæ*, deſumpto, confirmat: quem, etſi v. Kal. *Aug.* ſeu XXVIII. Iul. anno MCCXXX. vita defunctum fuiſſe, certo conſtet, in gemina tamen charta apud HANSIZ. *Germ. Sacr. tom.* II. p. 331. ſeq. menſe *Aug.* & *Sept.* mortem illius ſubſequente, emanata, poſt Præſules tanquam teſtis adhucdum ſuperſtes ſubſcribitur. Quod igitur ibi, quamvis raro admodum caſu, factum eſt, id etiam

ad

a) Document. rediviv. monaſter. in Ducatu *Wirtemberg.* tom. I. p. 395. nov. edit.

b) Prænot. introduct. ad Faſt. *Campilil.* §. III. n. VI. p. XVII.

ad vindicanda bina hæc monumenta vetera in præſentia, ut ut diverſa ratione, accidiſſe dicendum erit: ut nimirum loco, ad novum monaſterium conſtruendum aſſignato, operisque ad *locanda*, ut inſcriptio loquitur, *fundamenta* conductis, ipſum dotationis diploma, intervenientibus identidem aliis atque aliis remoris, anno primum ſubſequenti conſcriberetur, ſignareturque. Atque hac quidem via cum antiqui lapidis, tum diplomatis auctoritati, optime conſultum iri, certum eſt; quin & dictæ *Hanthalerianæ* obſervationi qualecunque robur accedere, videtur.

XXXIV. Verumtamen ex his nemo ſibi perſuadeat, nos ſententiam HANTHALERI ambabus, ut aiunt, ulnis amplecti. Nimium enim dicit, nec rei diplomaticæ ſatis opportuna. Quis enim tot eius rei exempla vidit, quot ille prætendit? Sane illa ipſa, quam pro obſervationis ſuæ fundamento adducit, chara, regulis, a ſe conſtitutis, non usquequaque reſpondet. Subſcribitur enim: *Acta ſunt hæc apud* S. GERMANUM *Anno Domini* MCCXXX. *menſe Aug.*; & paullo antea: *Teſtes ſunt huius rei* SIFRIDUS *Ratisponenſis Epiſcopus*, . . . LIUPOLDUS *Dux Auſtrie & Styrie*. Unde ex citatis regulis neceſſario concluderes: LIUPOLDUM illi actioni, menſe *Auguſto* habitæ, ſuperſtitem interfuiſſe; quod tamen per mortem eius, iam menſe præcedente ſecutam, dicere haud licet. Aliud ſentiendum foret, ſi ſubſcriptum extaret: *Actum apud* S. GERMANUM XII. v. g. *Iulii*, *& datum* XXIV. v. g. *Aug.* tum enimvero ex dictis regulis recte & appoſite inferretur: negotium illud ante XXVIII. *Iulii* pertractatum, ac menſe dein *Auguſto* publico inſtrumento roboratum fuiſſe. At cum expreſſe de actione, non autem de expeditione loquatur, regulis HANTHALERI tantundem derogatur.

Sed HANTHALERUS notatur.

XXXV. Quare dicendum potius: dicto diplomati manifeſtum ineſſe vitium, ab oſcitantia librarii, aut, ſi mavis, ab infidelitate memoriæ eius profectum; nam diem peracti negotii feliciter illi excidiſſe, inde perſpicuum fit: quod eo, præter conſuetum alias morem, omiſſo, menſem duntaxat appoſuerit. Enimvero diem, niſi per oblivionem, cur omiſiſſet? Atqui ſi diei oblitus eſt, eadem quoque memoriæ imbecillitate quoad menſem labi potuit, atque adeo pro *Iulio*, vicinum ei *Auguſtum*, ſubſtituere. Idem forte dicendum de altero HANSIZII diplomate: at cum illud haud ediderit vir doctus, examini quoque noſtro via præcluſa eſt. Sed hæc hactenus ex occaſione, atque obiter duntaxat; utpote de re, quæ alio & tempore & loco diſputari mereretur.

Noſtra hac de re ſententia.

XXXVI. Duo alia fundationis elogia in eiusdem cœnobii parietibus legenda eſſe, teſtatur CZERWENKA, a) quibus proinde, pro inſtituti noſtri ratione, locus hic denegandus non eſt: primum ſic ſonat:

Aliæ in eodem cœnobio inſcripturæ.

a) Piet. *Auſtr.* lib. II. cap. VII. p. 245.

Regius hic fons eſt, quem primum ab origine viva
Auſtrius ALBERTUS *Romanorum optimus ille*
Rex ſimul & Pater eduxit cum coniuge fida.
Cœnobium coniunxit idem prædivite cenſu,
Ditior ut ſuperas tandem conſcenderet oras.

Alterum ſic habet:

Mille ſibi Titan confecerat aureus orbes,
Saturnus decies, Iupiter atque ſemel,
Cum CHRISTUS *natus pura de Virgine nobis*
Prodiit in lucem, regulaque arxque ſuis.
Laudibus ecce potens ALBERTUS, *prole creatus*
Pannonia, magni Rex pius Imperii:
Et ſata ſtirpe Ducum ELISABETH *iuſtiſſima coniux,*
Quæ Carinthiaca Gente creata fuit,
Fundamenta locant Regis de nomine dicta:
Regia Crene aderat, cænebiumque ſimul.*
Hinc domus illa Dei Reginæ dicitur almæ
BERNHARDOQUE *pio, Numinibusque piis.*

Ex ſupputatione temporis, quo ſecundum Aſtronomorum doctrinam, Sol unius, *Saturnus* triginta, *Iupiter* duorum annorum ſpatio curſum ſuum perficiunt, annum MCCCII. prodire, ex hoc carmine ſcite obſervat Cl. editor; quod quidem cum inſcriptione prima, mox producta, & examinata, pulchre coincidit. Error tamen typographicus eſt, quod apud eundem verſu octavo pro *Quæ*, *Evæ* legatur, ex BRUSCHIO, a) qui idem carmen pariter affert, facile ſublatus.

De tabulis *Kœnigsveldenſibus.*

XXXVII. In templo *Kœnigsveldenſi* duæ obſervantur tabulæ ligneæ, e pariete ſuſpenſæ, altera Meridiem verſus, Septentrionem reſpiciens altera. Quælibet ſex pedes & quatuor digitos longa, tres pedes & duos digitos alta ex ligno, atro colore exaratæ, rubeis quibusdam, & quoad interiorem marginem cœruleis includuntur tendiculis, duos & ſemis pollices latis. Prior illa, quam hic producimus, fundationem monaſteriorum, ab ELISABETHA, uxore ALBERTI I. *Rom.* Regis, in hoc loco, cum recenſu liberorum factam, explanat. Secunda quaſi necrologium *Auſtriæ* Ducum, ibidem ſepultorum, nomina enarrat. De iis egerunt BULLINGERUS in ſua hiſtoria MS. & TSCHUDIUS in chronico *Helvetico.* Ambas pridem interiiſſe, putabat olim doctiſſimus P. STEYERERUS; b) ita edoctus a *R. P. Ildephonſo* SCHLEINIGER noſtro, eo tempore Præpoſito *Clingnovii*; ut qui a STEYERERO rogatus per litteras, iam tum anno MDCCXIII. eo excurrerat, antiquitatis reliquias ibi ſuperſtites collecturus. At qui factum ſit, ut ſe dictæ tabulæ viri alioquin

* A Græco κρήνη, fons.
a) Monaſter. *Germaniæ* Centur. p. 103.
b) Addit. ad ALBERTUM II. col. 4.

quin ſatis perſpicacis oculis ſubducerent, cum ignariſſimis ſcimus. Felicior fuit *R. P. Philippus* GLÜCKER noſter, ea videlicet occaſione, de qua tomo quarto amplius dicendi locus erit.

XXXVIII. Animadvertendum porro, tabulas has non unius eiusdemque eſſe ætatis. Arguitur hoc ex ſcripturæ diverſitate; in notis præprimis chronologicis agnoſcenda. Prior quoque ætatem ſuam perſpicue prodit per verba: FRIDERICUM NUNC ROMANORUM REGEM; unde intra annos MCCCXIV. & MCCCXXX. quorum decurſu ille regnavit, confectam fuiſſe, cenſendum eſt. Alteram anno MCCCLXXXVI. ſuperiorem haud eſſe, inde colligimus; quod cædem LEOPOLDI *Probi* ad diem IX. *Iulii*, eodem anno perpetratam, commemoret. Utriusque exſumere ectypa, atque Lectorum tandem ſubiicere oculis, operæ pretium duximus. Atque prioris quidem, utpote huc ſpectantis, hoc ipſo loco, alterius vero dicto tom. IV. Pro faciliori porro ſcripturæ, ob compendioſam litterarum inflexionem non nihil impeditæ, lectione expoſitionem ſubiungemus.

In earum ætatem inquiritur.

Anno·domini·M°CCCVIII·in·die Beator·Aplor·phi„
lippi·&·Iacobi·occisus·e·Serenissi·dnus·Albertus·Ro„
manorum·rex·filius·Domi·Rudolphi·Regis·Romanoru·
a·filio·fris·sui·Iohe·loco·ubi·positum·est·maius·Altare·qui·vz·Dns·
Albt·in·ipo·die·occisionis·reliqt·decem·libos·supstites·sz·fridicu·
nuc·Rom·Regem·&·Illustres·dnos·Leopoldum·Albertum·Heinricum·
&·Othonem·Duces·Austrie·necnon·&·pclaras·dnas·dnaz·Agnete·
Reginam·ungarie·elizabeth·Ducissam·Lotharingie·Annam·ducis„
sam·presslavie·Guttam·comitissam·de·Öttinge·&·Catharinam·
Ducissam·calabrie·p·cuis·aie·remedio·inclyta·dna·Elizabeth·
filia·dni·Mainhardi·ducis·Carinthie·relicta·pfati·dni·Al„
berti·Regis·vidua·&·Mater·Lib[illegible]orum·Ducum·de·volunta·
te·&·adiutio·eorundem·fundauit·construxit·&·dotauit·h·
dno·mistia·frm·minor·Scis·cu·Choro·&·eclia·&·aliis·Edi„
ficiis·universis.

XXXIX. „Anno Domini MCCCVIII. in die Beatorum Apo-„ſtolorum PHILIPPI & IACOBI occiſus eſt ſereniſſimus Dominus „ALBERTUS, *Rom.* Rex, filius Domini RUDOLPHI, Regis *Rom.* a „filio fratris ſui IOANNE, loco, ubi poſitum eſt maius Altare. Qui „videlicet Dominus ALBERTUS in ipſo die occiſionis reliquit de„cem liberos ſuperſtites, ſcilicet FRIDERICUM, nunc *Rom.* Regem, „& illuſtres Dominos LEOPOLDUM, ALBERTUM, HEINRICUM „& OTTONEM, Duces *Auſtriæ*, nec non & præclaras Dominas, „Dominam AGNETEM, Reginam *Hung.* ELISABETHAM, Duciſ„ſam *Lotharingiæ*, ANNAM, Duciſſam *Breßlaviæ*, GUTTAM, Co„mitiſſam de *Oetingen*, & CATHARINAM, Duciſſam *Calabriæ*. Pro

Contextus Scripturæ.

 „cuius

„cuius animæ remedio inclyta Domina ELISABETHA, filia Domi-
„ni MAINHARDI, Ducis *Carinthiæ*, relicta præfati Domini AL-
„BERTI Regis vidua, & mater liberorum omnium Ducum, de vo-
„luntate & adiutorio eorundem, fundavit, construxit & dotavit
„hæc duo monasteria Fratrum *Minorum*, S. CLARÆ cum choro &
„ecclesia, & aliis ædificiis universis.„

Commentatio in illam.

XL. Plura sunt in hac tabula animadversione digna, ex quibus in præsentia id tantum delibamus: filios ALBERTI superstites, de quorum nascendi ordine non exigua ante difficultas erat, ea serie hic collocatos esse, quam Doctiss. STEYERERUS plurimorum monumentorum veterum auxilio, non minus operose, quam vere ac erudite constituit. a) Hinc non sine ratione auctorem tabulæ etiam fœminas iusto ordine collocasse, putandum est; adeoque e. g. CATHARINÆ, quam plerique Genealogorum AGNETI subiungunt, locus post GUTTAM, Comitissam de *Oetingen*, iure tribuendus erit. Cetera erudito Lectori interim expendenda offerimus.

CAPUT III.

RUDOLPHUS, REX BOHEMIÆ.

§. I.

Breviarium vitæ.

Inter plures ALBERTI I. Reg. *Romanorum* filios RUDOLPHUS, a suavitate morum cognomento *Mitis*, primogenitus erat. Is anno MCCXCVIII. Ducatus *Austriæ* & *Styriæ* a patre, qui tum ad clavum S. Imperii *Romani* sedere cœpit, regendos obtinuit. WENCESLAO *Iuniore*, *Bohemiæ* Rege, militis cuiusdam manu dolose e medio sublato, HENRICUS Dux *Carinthiæ*, sororis eius filius, a *Bohemis* electus est, inconsulto tamen Rege *Romanorum*. Hic igitur regnum vi adortus, deiecto æmulo, RUDOLPHUM hunc nostrum substituit, qui, ducta ELISABETHA, WENCESLAI *senioris* vidua, regnum capessivit, & strenue quoque administravit: inter paucos tamen hoc uno infelix, quod illud vix bene degustatum, dimittere coactus sit, in ipso iuventutis flore, immatura flebilique bonis omnibus morte anno MCCCVII. die III. aut IV. *Iulii*, vivis ereptus. Matrimonia duo contraxit: primum cum BLANCA, PHILIPPI III. Regis *Franciæ*, ex MARIA *Brabantica*, filia, quam sibi anno MCCCI. iunctam, MCCCV. amisit. Alterum cum dicta ELISABETHA, quæ morte eiusdem secundum viduata, vitam anno primum MCCCXXXV. cum morte commutavit. Ex neutra tamen liberos, qui ad adultam ætatem pervenissent, sustulisse fertur. Utriusque hoc capite afferemus imagines, cum prius nonnullas mariti earum viderimus.

II.

a) Loc. cit. col. 2.

II. Quod igitur primo loco afferimus RUDOLPHI III. ſignum, ex *Franciſco* TERTIO eductum fuit. Illud ad imitationem æneorum ſtatuarum, quæ *Oeniponte* in templo *Palatino* ſuperbiunt, effictum fuiſſe, facile perſpicitur. Totus quantus cataphractus eſt, gladio, ac perite elaborato cingulo militari præcinctus, dextra parazonium, ſiniſtra ſceptrum tenet, ſingularis formæ coronam in capite geſtans. Elogium, a *Franciſco* TERTIO tam vorſa, quam proſa oratione imagini ſubiectum, tanti nobis non videtur, ut illud, quamvis ex libro rariſſimo, repetamus. Nihil enim continet notatu dignum, quin & a vero diſcedit; RUDOLPHUM, iam tum anno MCCCIII. obiiſſe, memorans, nulla ex geminis uxoribus ſuſcepta prole: id quod utrumque erroneum eſſe, mox patebit.

Icon RUDOLPHI III. Regis. TAB. XIX. N. 1.

III. Maiori cum attentione ſuſpici meretur icon RUDOLPHI, quæ ex ſæpe laudatis *Kœnigsveldenſis* templi vitris exſumpta, atque in ſupra dictum codicem *Fuggerianum* Bibliothecæ Cæſareæ illata eſt. Pictor coronam auro, pallium viridi, togam vero, & ad humerum replicatam veſtem purpureo expreſſit colore. Patagium denique ac pallii margo pellibus muris *Pontici* exornantur. Barba promiſſa ab arbitrio eiusdem artificis proficiſcitur. Inferne hic olim titulus legebatur:

Eiusdem imago ex vitris *Kœnigsveldenſibus.* N. 2.

ANNO DOM. M. CCC. VII. IIII. NONAS
IULII OBIIT D'NS RUDOLPHUS REX BOHEMIÆ, FILIUS D'NI ALBERTI REGIS ROMANORUM.

IV. Cum huius inſcriptionis ſententia plerique, quantum quidem ad annum emortualem, Scriptores conſentiunt cum editi, tum manu duntaxat exarati: niſi quod hiſtoria *Auſtralis Freheriana* a) annum eius ſeculi XVII. & Anonymus *Carthuſianus Gemnicenſis* b) annum MCCC. manifeſto ſeu typothetæ, ſeu calami errore prodant. At de die emortuali non par inter eos conſenſus. Auctor chronici *Salisburgenſis* c) rem circa feſtum S. IACOBI, quod in diem XXV. *Iulii* incidit, eveniſſe affirmat. Chronicon *Zwetlenſe* recentius d) inſcriptionem hanc noſtram uno die prævertit, quocum facit BALBINUS e) & CZERWENKA, f) ac alii nonnulli, tam veteres, quam iuniores, *Vigiliam* S. UDALRICI, id eſt tertiam *Iulii*, expreſſe nominantes. Cum alii contra, ut Anonymus *Leobienſis*, g) auctor ſuppar, chronicon item *Lambacenſe*, nec non necrologium monaſterii *Fratrum Minorum* Conventualium *Wiennæ*: præſertim vero HORNECKIUS, h) auctor ſynchronus, cum hac noſtra inſcriptione facientes, pro die RUDOLPHO fatali non *Vigiliam* S. UDALRICI, ſed

In diem emortualem inquiritur. a b c d e f g h

a) *Rer. Germ.* tom. I. p. 489.
b) Inter Scriptor. *Rer. Auſtr. Hier.* PEZ. tom. II. col. 375. a.
c) Ibid. tom. I. col. 403. b.
d) Ibid. col. 534. c.
e) Miſcellan. Dec. I. Lib. VII. Sectione I. cap. 34.
f) CZERWENKA l. c. lib. II. cap. XI. p. 267.
g) Inter laudati PEZII Scriptor. tom. I. col. 890. a.
h) Chron. *Auſtr.* cap. DCCLXXXII. p. 788. col. 1. & cap. ſeq. p. 789. col. 2.

TAB. XIX.

ſed diem feſtum ipſum aſſignent. In hac auctorum diſcordia dolendum, ſepulcrum RUDOLPHI, unde ſpes certa affulſiſſet eruendi id, quod a vero propius abeſt, intercidiſſe. Nos, quamvis inclinet animus, HORNECKIO accedendi, in re tamen dubia nihil ſtatuimus, id ſolum conicctantes: RUDOLPHUM fortaſſis ſub mediam noctem interiiſſe; quod tempus cum dubium ſit, cuinam diei adſcribendum veniat: haud ſecus, ac circa diem emortualem MAXIMILIANI I. Imp. factum fuiſſe, alibi animadvertimus, dubias quoque reddidit auctorum relationes. Simile exemplum infra afferemus. Sunt etiam, qui mortuis poſt Veſperas huius diei, in necrologiis tanquam diem fatalem aſſignent ſequentem, uti ibidem monebimus.

Schema ſtatuæ RUDOLPHI III. Regis *Bohem.* N. 3.

V. Sequitur ſtatua ex niveo marmore, eidem RUDOLPHO noſtro in Auguſta Bibliotheca *Vindobonenſi* loco quarto dedicata, ſcalptore STRUDELIO, de cuius generis imaginibus videri poſſunt dicta ſuperius cap. I. num. 3. ad tab. XV. p. 12. In baſi titulus legitur: RUDOLPHUS REX BOH.*emiæ*, quo, ut diximus, anno MCCCVI. auctus, haudquaquam integro anno fruitus eſt; quippe quod prædeceſſor illius die IV. *Aug.* eiusdem anni a) RUDOLPHUS contra III. vel IV. *Iulii* anni ſequentis extinctus fuerit. Sed ea de re mox plura.

RUDOLPHUS III. non fuit a patre *Bohemis* Rex intruſus.

VI. Sunt porro, qui ALBERTUM dando, aut, ſi mavis, intrudendo filium ſuum *Bohemis* Regem, nimium ſibi ſumpſiſſe, ac Imperiali poteſtate abuſum fuiſſe, criminantur. At iniuſte admodum; quandoquidem RUDOLPHO non minus, quam eius fratri FRIDERICO *Pulchro* ſua in Comitiis *Bohemicis* ſuffragia fuiſſe legimus. „Tobias BRECHINUS (inquit DUBRAVIUS b) Regni *Bohe-*„*miæ*, ut vocant, Camerarius ... cum prius RUDOLPHUM nomi-„naſſet, nominavit fratrem eius FRIDERICUM. Quo audito, Cruſ-„ſina LYCHTEMBERGUS: Quouſque tandem, inquit, nobis inge-„res tuos *Germanos*? (quippe a *Germanis* oriundus erat THOBIAS) „Regum noſtrorum parricidas? nec plura locutus, ſtringit gladium, „& THOBIAM transfodit.„ Et nonnullis interiectis: „Ita ad HEN-„RICUM regimen tunc defertur: Quod ille tamen diu retinere „haud potuit, Cæſare acriter inſtante, ne filius ſuus, QUI PRIO-„RES PARTES IN SUFFRAGIIS TULERAT, poſteriores in acquiren-„do ferret.„ Hæc DUBRAVIUS, cui adſtipulatur HORNECKIUS c) diſerte aſſerens, *Bohemos*, *Moravos*que ALBERTO, poſteriſque illius, ius ſucceſſionis in regnum *Bohemiæ* ultro obtuliſſe, datiſque ac ſignatis diplomatibus numero quatuor roboraſſe: idem ius viciſſim quoad Ducatum *Auſtriæ* & *Styriæ* petentes, obtinenteſque. Porro ſi verum eſt, quod DUBRAVIUS memorat, TOBIAM de *Brechingen* in

a) Teſtante Chron. *Clauſtro-Neoburg.* & *Zwetlenſi.* recent. loc. cit. col. 478. b. & 534. c. cum contra chron. *Salisburg.* col. 402. d. *ſecundo Nonas* pro *prid. Non. Aug.* recte quidem, ſed more alias inſueto, legat.

b) DUBRAVIUS Lib. XIX.

a) Chron. *Auſtr.* cap. DCCLXXVI. pag. 777. ſeqq.

in iis Comitiis occiſum fuiſſe, ſequitur: ut ea ante diem primum *Novembris* anni 1306. habita haud fuerint; quandoquidem charta extat a) eodem anno & die data, cuius initium hoc eſt: *Nos* IOANNES *Dei gratia Epiſcopus Pragenſis*, HEYNCO *de Duba*, THOBIAS *de Bechingen.* Quare RUDOLPHI regimen breve admodum fuiſſe, oportet.

TAB. XIX. a

VII. Huius RUDOLPHI animi potius, quam corporis habitum Anonymus *Leobienſis* b) auctor ſuppar, his verbis adumbrat: „RUDOLFUS juvenis, bonis pollens moribus, omnibus gratum ſe exhibuit, & placabilem: juſtis amicabilem, injuſtis terribilem & crudelem; nihil tamen temerarium agebat, ſed maturo conſilio omnia diſponebat.„ Debilem porro viribus corporis fuiſſe, teſtatur *Chriſtophorus* HOFFMANNUS c) Benedictinus *Sanct-Emmeramenſis*; indeque factum fuiſſe, coniectat, ut menſa eius haudquaquam epulis, ceterorum Principum more, exquiſitis, ſed *cibis frugalibus*, ac *pulmentaribus* potiſſimum inſtrueretur; quippe quod alios ventriculus eius præ debilitate ferre nequiret.

Eius animi dotes. b c

VIII. Greſſum iam facimus ad coniugem RUDOLPHI, BLANCAM, PHILIPPI III. Regis *Franciæ*, ut diximus, filiam, ac PHILIPPI *Pulchri* ſororem: non filiam, ut quidam cum P. LEQUILLE voluerunt. d) Eius imago, quam hic producimus, ex tomo II. aliquoties laudatæ, & adhuc laudandæ collectionis Sereniſſimi Principis EUGENII deprompta eſt. Extat quoque in *Franciſci* TERTII pinacotheca, ſcalptore *Caſpare* PADUANO, ſed ubi integra ſtatura exhibetur. Veſtem oblongam, ſtriis cancellatam, ac pro ornatu capitis apicem in conum deſinentem, geſtat, pro more eius ætatis in *Gallia*, ut alibi diximus, e) paullatim recepto. Zona quoque circumcingitur, pro eorundem temporum conſuetudine; ut adeo iconem hanc genuinam eſſe, vix dubitari queat. Auctoramentum quoque accipit ex alia imagine, ſigillo teſtamenti eius, a nobis tomo I. horum Monumentorum pag. 221. producti, impreſſo, & ibidem ære excuſo, quæ huic, uno hoc notabili diſcrimine, ſimilis eſt: quod ibi loco apicis velum, quod a capite ad pedes uſque defluit, gerat, more utique non *Gallico*, ſed *Bohemico*; quo in regno citatum teſtamentum anno MCCCIV. die XXII. *Septembris* datum & obſignatum fuit.

BLANCA, prima RUDOLPHI III. uxor. N. 4. d e

IX. Conciliavit RUDOLPHO hanc coniugem ALBERTUS ipſe pater, quo ille & PHILIPPUS IV. Rex *Francorum*, apud *Quatuor Valles*, vulgo *Quatrevaux*, convenientes, ac perpetuum

Quo tempore nuptias cum ea celebrarit? deque liberis ex illa genitis.

a) Apud GOLDASTUM in append. Document. *hiſt. Bohem.* illuſtrantium §. 13. pag. 27. teſtante PFEFFINGERO ad VITRIAR. tom. III. p. 870. col. 2.

b) Inter PEZII Scriptor. *rer. Auſtr.* cit. tom. I. col. 885. d.

c) Ap. eund. tom. II. col. 1106. b.

d) Conf. Inſtrumenta mox citanda.

e) Sup. cap. I. ad tab. XVI. n. 4. p. 17.

Tab. xix.

tuum concordiæ & amicitiæ, mutuique auxilii fœdus firmantes, ad maius eiusdem robur, nuptias Blancæ decreverunt, non multo poſt celebrandas. Extant ea de re varia inſtrumenta apud Leibnitium a) in unum velut faſculum collecta. Unde *Francicis* Scriptoribus, quos inter, quid ibidem a duobus Regibus geſtum ſit, haud convenire, teſtatur Cl. Montefalconius, b) lux quædam accendi poterit. Inierunt & tractatum alterum, de contrahendo matrimonio inter unum ex filiis Regis *Franciæ*, & unam ex filiabus Regis *Romanorum*: ſed is, incertum, qua de cauſſa, poſtea interverſus eſt. Acta ſunt hæc anno Domini MCCXCIX. die vero VIII. menſis *Decembris*: ipſis nuptiis in annum ſequentem dilatis, ac *Lutetiæ Pariſiorum* magna cum pompa celebratis. Nam etſi chronicon *Salisburgenſe*, c) Anonymus *Zwetlenſis* d) & Steronis Annales, e) illis annum ſequentem MCCCI. aſſignent: maiorem tamen fidem arbitrandam ducimus Hiſtoriæ *Auſtrali* f) *Gerardo de* Roo, g) nec non Greysen, Guillimanno, & Alberti *Contracti* continuatori apud Cl. Steyrerum in collectaneis, qui dictas nuptias an. MCCC. peractas fuiſſe, uno ore affirmant. Sterile fuiſſe matrimonium, plerique autumant, ſed falluntur; cum ex Horneckio, auctore ſynchrono, certum ſit, Blancam ex puerperio obiiſſe. h) In MS. quoque *Tulnenſi* legimus, Rudolphi binas infantes in eodem monaſterio ſepultas fuiſſe, quarum unam ſaltem ex Blanca editam fuiſſe, exinde perſpicuum fit; quod alteri uxori Elisabethæ, vix ultra dimidii anni ſpatium (ut ex calce num. ſuperioris VI. apparet) coniunctus fuerit. Hinc *Gerardus de* Roo, ubi de Rudolphi noſtri coronatione agit, i) recte ſubiungit: *Uxor eius* Blanca *ante annum, abſque ulla prole*, id eſt, superstite, *obierat Viennæ: ubi ad Minores ſepulchrum eius viſitur.* An porro ambæ hæ proles primæ huic uxori, an vero altera cum Lazio k) ſecundæ tribuenda ſit, de hoc equidem nihil certi afferre poſſumus. Iam vero in mentem venit ſepulcrum Blancæ, ubi unacum infantulo, e lapide exſculpto, hodieque cernitur. At ea de re videndum erit tomo IV. horum Monum. l)

Elisabetha, altera Rudolphi III. uxor.

X. Altera Rudolphi *Bohemici* uxor Elisabetha, ſeu Rixa nomine, Premislai II. Regis *Poloniæ* filia, ac Wenceslai IV. ſeu *Maioris*, vidua erat. Hanc ſibi Rudolphus, deſignatus Rex *Bohemiæ*, ſuaſu Ordinum elegit, data tamen ab ipſis, quod Horneckius, auctor coævus, m) annotat, inter quinque Regias Principes,

a) Cod. Iur. Gent. P. I. p. 40. n. XXIII.—XXVI. & Dumont. Corps diplom. tom. I. P. I. p. 323. ſeq.

b) Monumens de la Monarch. *Franc.* T. II. p. 195.

c) Inter ſæpe cit. *rer. Auſtr.* Scriptor. R. P. Pezii tom. I. col. 396. c.

d) Loc. cit. col. 990. c. at verbis ſubdubiis.

e) Inter. Freheri Scriptor. *rer. Germ.* a Struvio editos tom. I. p. 580.

f) Ibid. p. 486.

g) Annales *Auſtr.* p. 69.

h) Loc. cit. cap. DCCXLVI. p. 733. col. 2. ubi tamen annus mortis eius MCCCXII. male legitur, ut tomo IV. videbimus.

i) Loc. cit. p. 74.

k) Lazius lib. III. chron. *Wienn.* p. 24. verſ. *Germ.*

l) P. I. cap. VII. p. 149. ſeq.

m) Loc. cit. cap. DCCLXXIV. col. 1. & 2.

pes, quarum duæ Viduæ, Virgines reliquæ erant, libera optione. Defuncto marito animum ad cœlestia advertens, monasterium in *Moravia*, prope *Brunnam* civitatem, *Sala B. M. Virginis*, vulgo *Marien-Saal*, Ordinis *Cistercienfis*, appellatum, suis excitavit sumptibus, atque egregie etiam dotatum, Virginibus inhabitandum tradidit: cuius initium ad annum MCCCXXIII. a plerisque refertur. Obiit ELISABETHA anno Domini MCCCXXXV. in eodem monasterio sepulta.

TAB. XIX.

XI. Imago, quam hic producimus, ex thecis Serenissimi Principis *de Sabaudia* tom. II. p. 55. desumpta est. Exhibetur quoque a *Francisco* TERTIO, sed integro corpore, adiecto etiam hoc elogio: RUDOLPHUM *vere felicem dicas, qui* ELISABETHAM *sibi in uxorem delegerit, quæ genere illustris, illustrem quoque virum reperit, quo Bohemia lætata, magna suæ lætitiæ signa in manibus hominum edidit.* Additur & tetrastichon, sed, pro more, vere poeticum, formam ac staturam corporis eius ultra modum extollens, silentibus tamen de ea Scriptoribus antiquis.

Eius icon. N. 5.

CAPUT IV.

FRIDERICUS PULCHER,

REX ROMANORUM,

ALBERTI I. CÆSARIS FILIUS ALTER.

§. I.

FRIDERICUS, ab insigni corporis specie, morumque elegantia, cognomento *Pulcher*, ALBERTI I. filius, nascendi ordine secundus, fratri RUDOLPHO, ad dignitatem Regiam evecto, in Ducatu *Austriæ* & *Styriæ* successit. Mortuo HENRICO VII. Imp. nullum non movit lapidem, ut ab Electoribus Imperii clavo præficeretur. Sed his inter se diffidentibus, LUDOVICUM *Bavarum* rivalem accepit, quicum diu varia, ac propitia ut plurimum fortuna decertans, decretoria tandem ad *Mühldorfium* in *Bavaria* pugna, victus, captusque est. Hinc in arcta ac illiberabili custodia triennio fere detentus, Principum tandem ac virorum quorundam religiosorum opera cum LUDOVICO an. MCCCXXV. ineunte mense *Septembri*, in gratiam eo successu rediit, ut ex pactis, solemniter initis, ambo æqua deinceps potestate imperarent. At non nimis longum post hæc FRIDERICI fuit Imperium; ut qui carceris squallore enervatus ac paullatim consumptus, anno MCCCXXX. ad cœleste imperium abiit: Princeps, si quis alius, meliori fortuna dignus.

Breviarium vitæ.

II. Coniuges FRIDERICO nonnulli duas, alii etiam tres tribuunt: sed, ut ex dicendis patebit, unam duntaxat duxit, ELISABETHAM *Arragonicam*, quam anno MCCCXV. mense *Ianuario Basileæ*

Eiusque uxoris ELISABETHÆ *Arragonicæ.*

Tab. xix. *leæ* ingenti cum pompa celebratis nuptiis ductam, ibidem quoque Reginam *Romanorum* coronari fecit. De ea memoriæ proditum eſt, quod toto illo tempore, quod maritus in captivitate conſumpſit, precibus, inedia, vigiliis, aliisque piis & Chriſtianis operibus DEUM placare, ac pro libertate eius adeo ardenter flectere ſtuduerit; ut continua lacrymarum vi præſentiſſimum cæcitatis periculum, quin ſecundum alios, cæcitatem ipſam incurrerit: ut adeo vehementer iniurii ſint, qui illi unquam in mentem veniſſe ſcribunt, ut FRIDERICUM captivum magicis artibus, immiſſo ſcilicet malo genio, liberare tentaverit. Obiit eodem, quo maritus anno, poſtquam eidem aliquot genuiſſet liberos, de quibus commodius tomo quarto.

Protome FRIDERICI *Pulchri* Imp. N. 6.

III. Inter FRIDERICI imagines cumprimis ſuſpiciendam putamus protomen eiusdem, ex *Heræana* collectione, cui in Auguſta *Vindobonenſi* Bibliotheca locus eſt, eductam. Vultum præſefert ſerenum, ac iuvenilem, capilli ad humeros deſcendunt, togam geſtat, ut videtur, oblongam, ſubductis muris Pontici pellibus, tali fere modo, quali illum in ſigillo tomi horum monumentorum primi tab. v. num. vi. conſpeximus, qualique a Cl. KOELERO & BAUMANNO a) exhibetur; id quod argumento eſt, typum hunc ex vero ac genuino veteri archetypo profluxiſſe.

Alia eius effigies. N. 7.

IV. Aliud prorſus ſentiendum eſt de protome ſequenti, a *Iacobo* ab HEYDEN chalcographo æri inciſa. Imitatus eſt auctor *Franciſcum* TERTIUM, qui Cæſarem hunc integra corporis forma, coronatum, & cataphractum, ac dextra baculum, ſiniſtra vero ſceptrum gerentem, nec non gladio accinctum, pallioque Imperatorio ornatum, repræſentavit. Sed unde caput duntaxat & pectus mutuatus eſt. Myſtacem præterea affinxit, a quo tamen barbæ cultu tantum non abhorruiſſe videtur formoſiſſimus Imperatorum; quemadmodum id non modo ſigilla & nummi, a nobis alibi adducti, teſtantur; ſed & ex eo evincitur, quod liberatus e carcere, atque *Wiennam* redux, barbam, ut loquitur auctor hiſtoriæ Ducum *Styriæ*, b) triennio intonſam, tum primum depoſuerit, cum ærumnas ſuas, populo e vultu legendas, oſtendiſſet: quam barbam, ſubinde depoſitam, CAROLO *Hungariæ* Regi transmiſit.

Statua eiusdem. Tab. xx. N. 1.

V. Quæ inſequitur ſtatua, ex *Iacobi* SCHRENCKII armamentario *Ambraſiano* deſumpta eſt, ubi FRIDERICUS armatus, ac corona & pallio *Cæſareo* ornatus, dextraque parazonium, ſiniſtra ſceptrum gerens, eleganter repræſentatur. Non abhorret, hæc oris ſpecies ab ea, quam tabula præcedenti num. 6. vidimus: id quod indicio eſt, eam ab editore ex genuino antiquitatis monumento exceptam fuiſſe.

VI.

a) Voluntar. Imp. confort. inter FRIDER. *Auſtr.* & LUDOV. *Bav.* p. 106. edit. ſecund.

b) P. I. p. 182. ex Anonym. *Leob.* Scriptor. *rer. Auſtr. Hier.* PEZ. tom. I. col. 925. d. & HASELBACH ap. eund. tom. II. col. 788. c.

VI. Non valde diſſimili modo FRIDERICUS a *Franciſco* TERTIO quoque adumbratus fuit, cuius hæc ſtatua præſens ad genium ſtatuarum, quæ *Oeniponte* templum *Palatinum* exornant, effićta eſt. Omnia tamen arbitrium artificis redolent: ac gladii præſertim FRIDERICI tempore nondum a poſteriori viri parte, ut plurima veræ ac genuinæ antiquitatis monumenta docent, geſtari ſolebant.

Alia eius ſtatua. TAB. XX. N. 2.

VII. Ceterum corporis ac animi, quæ in FRIDERICO eluceſcebant, dotes, præſtantiſſimas fuiſſe, Scriptores paſſim loquuntur. Brevis eſt HASELBACHIUS, a) cum ait: *Iſte erat vir Princeps in omnibus agendis modeſtus, & providus, procerus ſtatura, & decorus aſpectu:* quibus verbis, quantum ad corpus attinet, imagines quoque noſtræ reſpondent, Principem inſigni venuſtate præditum oſtendentes.

FRIDERICI *Pulchri* corporis & animi dotes.

VIII. REINALDI Ducis *Geldriæ* filiam, tanquam FRIDERICI *Pulchri* ſponſam, hunc in modum repræſentat *Franciſcus* TERTIUS, integro tamen corpore. Quanquam autem optimo editori fidem omnem abiudicare, religioni ducamus, veſtium tamen genus, ac reliquus ornatus, recentiora ſunt, quam ut ad ISABELLÆ tempora referri queant. De ea porro *Hiſtoria Ducum Styriæ* hæc refert: „Antequam cum ELISABETHA in manus conveniret (FRIDERICUS) ſibi aliam ELISABETHAM, REINOLDI *Geldriæ* Comitis filiam deſponderat; ſed, patre LUDOVICI partes amplexo, nuncium miſit, quæ dein repudii dolore ægra *Greſſentalii* in Monaſterium ſe abdidit. b)„

Eius ſponſa, nec non & eius uxor. N. 3.

IX. Ita laudatæ auctor hiſtoriæ, ſicubi tamen, ut id obiter moneamus, haud dubie in errore verſatur, quando ſponſam ideo reiectam fuiſſe, ſcribit, quod pater eius LUDOVICI IV. partibus adhæſerit. Ut enim *Anonymus Leobienſis*, loco deinceps excitando, perſpicue tradit, de matrimonio cum ISABELLA *Arragonica* iam tum anno MCCCXIII. agi cœpit: quo tempore tantum abeſt, ut FRIDERICUM inter & LUDOVICUM *Bavarum* quidquam diſcordiæ foveretur, ut nova potius anno ſequenti inter illos, quod idem Anonymus teſtatur, c) firmaretur amicitia: qua quidem id conſecutus eſt FRIDERICUS, ut, de futura electione ſibi proſpiciens, RUDOLPHUM, Comitem *Palatinum Rheni*, LUDOVICI *Bavari* fratrem, in ſuas etiamnum, quoad futuram electionem, partes traheret. Qua de re extat inſtrumentum apud DUMONTIUM. d) Porro cum HENRICUS Cæſar anno MCCCXIII. die vero XXIV. *Auguſti* ad plures abierit, quis, quæſo, ſibi perſuadeat, eodem fere momento, ob conſequendam Imperii ſummam, inter laudatos Principes exarſiſſe diſſidium? Quodſi igitur huius repudii cauſſa aliqua in ſchiſmate illo Impe-

Auctor Hiſtoriæ Ducum *Styriæ* notatur.

a) Loc. cit. col. 784. b.
b) P. I. p. 184.
c) Nec non chronicon LUDOVICI IV. inter Script. a laudato PEZIO editos tom. II. col. 418. d.
d) Corps Dipl. tom. I. P. II. p. 3.

Tab. XX.

Imperii quærenda eſt, dicendum potius videtur: Comitem *Geldrenſem* vindictæ ergo, ob repuditatam filiam, conceptæ, in LUDOVICI partes transiiſſe. Sed hæc ad eruderandam magis magisque rerum præteritarum veritatem.

Schema ſtatuæ eiusdem uxoris. N. 4.

X. De hac quoque ſtatua, ex eodem auctore educta, idem prorſus ſentiendum eſt, ac de priori; quandoquidem nec hic quidquam occurrit, quod tantam antiquitatem præſeferat, quantam iure deſiderare poſſemus. Quare fides ſit penes auctorem.

Protome eiusdem. N. 5.

XI. Maioris forte auctoritatis eſt protome ſequens, ex ſupplementis ad *Gerardum* de Roo excepta; quanquam pallium, interne pellibus munitum, nonnihil elegantius appareat, quam ut ad ea tempora referri poſſe videatur. Singularis formæ eſt calantica. Pectus lapide pretioſo ornatur.

De nuptiis FRIDERICI *Pulchri* cum ELISABETHA.

XII. De nuptiis huius Principis cum FRIDERICO agit quoque inter multos alios *Anonymus Leobienſis* ad annum MCCCXIII. & MCCCXV. unde, cum inſimul ſtaturæ eius formam adumbret, nonnulla exſcribere iuvat: „ Interea FRIDERICUS Dux (ait) quia con„thoralem non habuit, Abbatem S. LAMPERTI cum nobili viro „*Rudolpho* de LYCHTENSTEIN --- in *Arragoniam* pro filia Regis, „quæ dicta eſt ELIZABETH, deſtinavit: quæ fuit tunc juvencula, „ſpecioſa & bonis moribus decorata, ut puta clari ſanguinis, quem „fama pulcritudinis & virtutis traxerat in amorem. „ Hæc ille; unde facile patet, quid ſentiendum ſit de opinione R. P. LE QUILLE, FRIDERICO huic noſtro tres omnino uxores tribuentis: primam hanc, de qua agimus, ELISABETHAM: ſecundam CHUNEGUNDEM, LUDOVICI *Bavari* filiam, quam, cum e carcere liberatus fuiſſet, duxiſſe obtendit: deceptus forte ex male intellecto chronico *Mellicenſi*, a) quod pacificationem Cæſarum matrimonio filiæ FRIDERICI cum filio LUDOVICI (LUDOVICO nempe *Romano*) roboratam fuiſſe, memorat, id quod tamen nunquam conſummatum fuit: tertiam primæ cognominem, ſupra memoratam *Geldram*. Cum enim ſatis conſtet, ISABELLAM *Arragonicam* FRIDERICO ſuperſtitem, ac ultimam illam ante nuptias repudiatam fuiſſe; ſuperfluum videtur, ut multis hæc refutemus; quandoquidem tertiæ locus haud ſupereſt. Verbo: plures una FRIDERICI uxores nec veteres Auctores, a Cl. P. *Hier.* PEZIO editi, nec idoneus quispiam ex recentioribus agnoſcit.

INSCRIPTIONES.

Inſcriptiones de FRIDERICO *Pulchro* Imp. in Carthuſia *Maurbacenſi*.

XIII. In fronte portæ magnæ Carthuſiæ *Maurbacenſis* hoc legitur diſtichon:

HANC REX CARTHVSIAM FRIDERICVS NOMINE PVLCHER
CONDIDIT AVSTRIACVS, RELIGIONE PIVS.
ANNO MCCCXIII.

Ce-

a) Inter PEZII Scriptor. tom. I. col. 246. a.

Celebris hæc *Carthuſia* a FRIDERICO *Pulchro*, cum conſenſu ſuorum fratrum LEOPOLDI, ALBERTI, HENRICI & OTTONIS, indigitato in inſcriptione anno fundata, *Vindobona* ſecundo circiter milliario in occiduum ſolem ſita eſt, ſilva, quam ab eadem urbe, vulgo *Wienner-Wald* vocant, undique cincta. De ea abunde egerunt CZERWENKA a) & BAUMANNUS, b) ac præſertim P. *Leopoldus* BRENNER, Prior *Maurbacenſis*, c) unde ceteri ſua arva rigarunt. Addendus vel maxime ſæpe laudatus P. *Hier.* PEZIUS in obſervationibus præviis ad eundem BRENNERUM.

a b

c

XIV. Ibidem in pariete, Bibliothecam introeuntibus oppoſito, tabula picta obiicitur, ad hiſtoriam pacificationis Auguſtæ, a LUDOVICO & FRIDERICO anno MCCCXXV. initæ, ſpectans, ac Priorem *Maurbacenſem*, GODFRIDUM nomine, d) utrique Auguſto, in pacti fœderis firmamentum, ex una eademque hoſtia, in duas partes diviſa, Sacram Euchariſtiam præbentem, repræſentans. Editur ea, ære expreſſa, in dicto BAUMANNI opere p. 69. ſed unde intelligas, picturam ſeculo XV. ſuperiorem haud eſſe, quin ad tempora, noſtris proxima, reponendam. Vera tamen eſt hiſtoria, ac in laudato libro, cuius auctor, quoad primam ſaltem editionem, præcipuus Celeber. KOELERUS eſt, ex genuinis antiquitatis documentis, multis modis demonſtrata. Quare ſequens hexaſtichon dictæ tabulæ merito ſubſcriptum fuit:

Inſcriptio altera.

d

Bella gerit Boius LUDOVICUS *cum* FRIDERICO
Auſtriaco, Imperii hæc bella corona movet,
Carthuſianus agit GODEFRIDUS *pacat utrumque,*
Diviſo Chriſti corpore myſta cibando.
Poſt pariter regnant FRIDERICUS *cum* LUDOVICO,
Imperiumque ſimul Cæſar uterque gerit.

Hæc de Prioris *Maurbacenſis* in diſcordia hac componenda dexteritate inſcriptio, cui magno conſenſu Auctores adſtipulantur antiqui. Multa tamen præter ipſum ad hanc ipſam Principum pacem contuliſſe Priorem quemdam *Auguſtinianum* legimus apud Auctorem æqualem, ac fide dignum, e) quique adeo merito in huius laudis conſortium admittendus eſt.

e

CA-

a) Piet. *Auſtr.* L. II. cap. XXIII. p. 327. 338. ſeqq.

b) De voluntario inter FRIDER. & LUDOV. Impp. conſortio p. 19. ſeqq.

c) Inter citat. Doctiſſ. PEZII Scriptores tom. II. col. 388. ſeqq.

d) Conf. laudat. BRENNER col. 344. b. c. & Anon. *Leob.* col. 925. b.

e) Ibid. tom. I. col. 1003. d.

CAPUT V.

LEOPOLDUS GLORIA EQUITUM, HENRICUS PLACIDUS, ET OTTO HILARIS, ALBERTI I. REGIS ROMANORUM FILII.

§. I.

Breviarium vitæ.

FRIDERICUM *Pulchrum* Cæſarem, ordine ætatis, frater eius LEOPOLDUS excipit, ob inſignem in bellica arte ſcientiam ac fortitudinem *Gloria Equitum* dictus. Ad hanc vero conſequendam laudem, ampliſſimam ei in prima etiamnum ætate occaſionem præbuit mors patris violenta, quam quidem acerrime ultus eſt: cum primis vero perpetuum inter duos Imperii *Romani* competitores, FRIDERICUM ac LUDOVICUM diſſidium, quorum alterum mira fidelitate atque conſtantia tuitus, alterum tanta pertinacia perſecutus eſt, ut æmulis licet in gratiam redeuntibus, a cœptis tamen nunquam deſiſteret, implacabilis LUDOVICI hoſtis ad extremum uſque halitum perſiſtens. At vero quod nomini gloriam hoc idem corpori exitium attulit; ut quod perpetuis curis ac laboribus fractum, fatis immaturis cedere debuit, anno CHRISTI MCCCXXVI. prid. *Kalend. Martii*, annoque circiter ætatis quarto & triceſimo, ut mox dicemus. Uxores ei nonnulli duas tribuunt, quos tamen falli alibi docebimus. Unicam quippe habuit, CATHARINAM, ex AMADEO V. *Sabaudiæ* Comite, natam: ex qua duas ſuſtulit filias, quarum maior CATHARINA Domino de CUSSIN, vel COUCY, *Gallo* nupſit, minor AGNES, BOLESLAO Duci *Suidnizio* & *Iaurinenſi* in *Sileſia*. Obiit CATHARINA, earum mater, anno poſt mortem mariti decimo, id eſt CHRISTI MCCCXXXVI. ultimo *Septembris*.

Icon Ducis ex vitris templi *Campi-regienſis*. TAB. XXI. N. I. a

II. Inter huius tabulæ imagines primi ordinis media LEOPOLDUM hunc noſtrum ſtatuit, ex vitris templi *Campi-regienſis* exceptum, atque in non ſemel laudato illuſtr. *Iac.* FUGGERI codice aſſervatum. Pallium eius rubrum eſt, faſciæ ab humeris albæ, toga cœrulea: calcei ſuperne aperti ſunt, pro more illorum temporum tam in *Gallia*, a) quam *Germania* uſitato: capillos oblongos, nec non & barbam alit prominente ſub naribus myſtace, quam ab artifice haudquaquam confictam fuiſſe, ſed Principi bellicoſiſſimo, dum viveret, ita placuiſſe cenſendum eſt. Inferne hoc epigramma legitur:

ANNO DOMINI M. CCC. XXVI. PRID.
CALEND. (ſupple *Martii*) OBIIT DN'US
LEOPOLDUS DUX AUSTRIÆ, FILIUS
DN'I ALBERTI ROM. REGIS.

a) Conf. Cl. MONTFAUCON. *Monum. Franc.*

De

Tab. XXI. a b c d e

De hoc die & anno emortuali ſatis equidem conſtat, rem pluribus, iisque maximam partem coævis Scriptoribus, conſtanter affirmantibus; a) unde fides haud decernenda eſt chronico *Elwangenſi*, b) mortem LEOPOLDI ad an. MCCCXXIV. vel XXV. referenti, aut chronico *Salisburg.* c) id in annum MCCCXXVIII. differenti. Nec denique Anonymo *Zwetlenſi*, d) qui annum MCCCXXVI. quidem recte, diem autem *Pridie Kal. Maii*, ſeu triceſimum *Aprilis*, errore typographico, ponit, cum alibi e) duplici peccato, aut certe lapſu memoriæ, LEOPOLDUM 1316. *apud* SALEZBURCK (an non ſcribere voluerit *Strasburg?*) *in media Quadrageſima* obiiſſe memoret.

Æra nativitatis eiusdem. f

III. De die natali apud antiquos non æque certi quid reperiundum eſt: bene vero Clar. STEYERERUS notat, f) LEOPOLDUM natum eſſe anno circiter MCCXCII. teſtante, ut pergit, chron. *Auſt. MS.* Domus Profeſſæ S. I. *Viennæ* p. 232. quod poſt narratam cædem ALBERTI patris, anno MCCCVIII. patratam, ſubiungit: Ducem LEOPOLDUM, ALBERTI filium, tum temporis vixdum annos decem & ſex natum fuiſſe. Id ſi veritate, ut vix dubitandum, nititur, vitam LEOPOLDUS ad annum circiter ætatis quartum & triceſimum perduxiſſet, non vero ad triceſimum nonum, ut in hiſtoria ſua *MS.* vult GUILLIMANNUS, aut, qui eum excerpſit, LEQUILLEUS.

Alia eius protome. N. 2.

IV. Protome LEOPOLDI, auctore *W.* KILIAN, in ſæpe laudata Sereniſſimi Principis EUGENII collectione, tom. II. p. 56. reperta. Simile ſchema, ſed maiori forma, apud BIRCKENIUM quoque p. 299. conſpicitur. Ornatu Ducali inſignitus comparet, & circa collum ſupra patagium torques circumducitur, quaſi cuiusdam Ordinis Equeſtris inſigne: qualia ornamenta Principibus hac tempeſtate in uſu fuiſſe, ex infra dicendis intelligere erit. Ceterum negandum non eſt, magnam huic Protome cum præcedenti imagine eſſe ſimilitudinem.

Corporis & animi habitus Ducis LEOPOLDI, g h

V. Hunc Principem *magnum & proceræ ſtaturæ* virum fuiſſe, affirmat HASELBACHIUS, g) ſed haud dubie perperam; cum auctores LEOPOLDO propiores, aut ſi mavis, fide etiam digniores, contrarium nos edoceant. Hos inter computamus Anonymum *Leobienſem*, h) qui de morte eius, *Argentinæ* eveniente, cum egiſſet, hæc ſubiicit: „Hic cum excellentis, ſed agilis corporis miles „fuit, animi magni, cordis intrepidi, ſicut STATIUS dicit de TY-

DEO:

a) Anonym. *Leob.* ap. *Hier.* PEZ. tom. I. col. 926. c. *Vitus* ARENPECKIUS. Ibid. col. 1242. a. HASELBACH. ap. eund. tom. II. col. 789. a. aliique.

b) Inter FREHERI Scriptor. *rer. Germ.* tom. I. p. 681. edit. STRUV. Et ex edit. Doct. P. *Bern.* PEZII tom. IV. *Theſ. Anecdot.* P. III. col. 777. ubi annum 1324. legimus.

c) Ap. *Hier.* PEZ. tom. I. col. 410. c.

d) Ibid. col. 992. b.

e) Ibid. col. 991. a.

f) Addit. ad ALBERT. II. col. 5.

g) Loc. cit. col. 789. a.

h) Loc. cit. col. 926. c.

Tab. XXI.

„ DEO: *Maior in exiguo regnabat corpore virtus,* quem HOMERUS „ minorem corpore, sed armis fuisse asserit fortiorem. Et SENECA „ dicit: *Exire potest de humili corpore & deformi animus generosus & „ magnus, nec deformitate corporis animus defœdatur.* „ Hæc Anonymus: ubi tamen advertendum est Lectori, verba: *cum excellentis*, in mendo cubare, substituendumque: *parum, haud, haud sane, minime excellentis*, aut quid simile: utpote cum exemplum TYDEI & adducta ab eo SENECÆ verba, hanc emendationem non admittant solum, sed etiam exigere videantur.

Idoneis testibus firmatur.

VI. Quid? quod, hoc ipsum testimonium, sed emendatius apud continuatorem *Martini Poloni*, a) totidem fere verbis hunc in modum legamus: *Anno sequenti videlicet* MCCCXXVI. *moritur Dux* LEOPOLDUS, *vir* NON EXIMII *corporis, sed valde agilis, magni cordis & intrepidi, quem* FREDERICUS *& alii fratres sui immenso eiulatu planxerunt.* De tenuitate corporis eius testatur quoque *Io.* VITODURANUS, b) loco adprime huc faciente, & luculento. Enimvero cum de colloquio, quod CAROLUS IV. Rex *Franciæ* cum LEOPOLDO nostro in *Campaniæ* oppido, quod *Barra super albam*, ut ait Anonymus *Leobiensis*, c) dicitur, & *Monasterii Clarevallensis* est, habito, non nulla retulisset, hæc demum, ad staturam LEOPOLDI pertinentia, subiicit VITODURANUS: *Sed cum Rex Franciæ Ducem* LUPOLDUM *progredientem ad se, ante non sibi cognitum, præ cæteris comitivæ suæ gracilem &* PARVÆ STATURÆ, *vestitum tunica grisea, coopertumque capite virgato, seu acuto pileo, aspiceret, mirari ultra modum tacitus intra se, ac verbotenus coram familia sua se deducente ... cœpit, dicendo: Divini muneris est, non humani, quod tam exiguus homo in corpore, tam magno robore vigeret, & tantæ potestatis, magnanimitatis, & famæ magnificentia per plura orbis climata præpolleret.* His VITODURANI verbis, quam antea adducti HASELBACHII, plus utique tribuendum; ut qui non modo coævus est, sed Ducem, ut forte sæpius, ita cum primis anno MCCCXV. cum ex infelici cum *Suitensibus* prœlio rediret, se vidisse pluribus interiectis d) testatur.

Tertia eius effigies. N. 3.

VII. Ultima hæc imago auctorem *Lucam* KILIAN (sic enim in tabula quadam, æri incisa, legendum coniicimus) habet. Sistitur ab eo in forma maiori cataphractus, qualiter revera tantum herorem decebat. Capitis tegmen singulare est, ad illum haud dubie vestimentorum neglectum pertinens, quo de num. superiori *Ioannem* VITODURANUM differentem audivimus. Leo *Habsburgicus* imagini haud imperite additur abs pictore; cum LEOPOLDUS Comitatum *Habsburgicum*, cum reliquis *Sueviæ* (sic enim tractus *Argoviæ* ac *Thurgoviæ* subinde audiebat) & *Alsatiæ* ditionibus guber-

a) In *Ioan. Georg.* ECCARD. corp. Histor. med. ævi tom. I. col. 1446.

b) In Thesaur. Hist. *Helv.* p. 18. col. 2.

c) Loc. cit. col. 924. c. Conf. ALBERT. *Argent.* p. 123.

d) Loc. cit. p. 26. col. 1.

bernabat: in ſigillo tamen, a nobis alibi exhibito, ſcutum *Auſtriacum* cum faſcia oſtentat, hoc adſcripto titulo: LVPOLDVS DEI GRATIA DUX AUSTRIÆ ET STIRIÆ COMES DE HABSBVRG ET KIBVRG, LANDGRAVIVS ALSATIÆ. TAB. XXI.

VIII. Locus hic foret, imaginem quoque coniugis eius CATHARINÆ proferendi, ſed qualem nulla uſquam diligentia reperire erat. Quin ex mente nonnullorum Scriptorum a) non tam una, quam duæ admodum coniuges, quarum altera HENRICI VII. Imp. altera primæ cognominis, AMADEI V. Comitis *Sabaudiæ*, filia fuerit, ſollicitos nos tenere debuerant. Sed falluntur oppido. Ut enim paullo ſuperius animadvertimus, LEOPOLDUS noſter non ante annum MCCXCII. in hanc lucem editus eſt, &, ut contractus eius matrimonialis teſtatur, b) CATHARINÆ *Sabaudæ*, quæ illi longo, ut diximus, tempore ſuperſtes erat, iam tum anno MCCCX. XII. Kal. *Maii* fidem dederat. Quis autem ſibi perſuadeat, adoleſcenti vixdum annos quindecim aut ſedecim nato, iam tum de ſecunda uxore proſpiciendum fuiſſe? Acceſſiſſet præterea ex ſecundis eiusmodi nuptiis conſanguinitatis vinculum, in gradu ſecundo. Atqui venia eius, ſeu *diſpenſatio*, quam vocant, a ſummo Pontifice impetrata, eius naturæ fuiſſet, quæ Scriptoribus antiquis argumentum præbuiſſet, rem ad poſterorum propagandi memoriam. Quod quidem cum factum haud fuerit, contraria tenenda eſt opinio. Sed en tibi ſchema:

Uxor LEOPOLDI *Glorioſi*, eiusque progenies.

GUIDO, Comes *Flandriæ*,

MARGARITA Maritus HENRICUS VII. Imp.	MARIA. Maritus AMADEUS V. Comes *Sabaudiæ*.
CATHARINA. Maritus LEOPOLDUS *Glorioſus*, Dux *Auſtriæ*.	CATHARINA. Maritus LEOPOLDUS *Glorioſus*, Dux *Auſtriæ*.

IX. Error forte inde enatus eſt, quod nonnulli pro uxoris HENRICI ſorore, quæ coniugis LEOPOLDI mater erat, ſororem ipſam acciperent, uti id revera facile accidere poſſet, qui hæc HASELBACHII verba: LEOPOLDUS, *qui* CATHARINAM, *Comitis Sabaudiæ a matre Brabantina, ſibi ſociavit uxorem, ſororem uxoris* HENRICI VII. *Comitis de Luzelburg* c) mente non nihil vaga legeret. Quid? quod Anonymus *Leobienſis* d) re ipſa hallucinatur, cum ſcribit: *Imperator* (HENRICUS VII.) LEUPOLDUM *diligens pro virtute* (quam ſcilicet exhibuerat, illum in tumultu, *Mediolani* exorto, præſentiſſimo vitæ diſcrimini eripiens) *in die Epiphaniæ aureo cipho*,

Aberroribus vindicata.

a) GANS. in *Arboreto*. P. LEQUILLE P. I. p. 261. LAZIUS in Commentario. p. 222.

b) Apud DUMONT. Corps Dipl. tom. I. P. I. p. 356.

c) L. c. col. 746. c.

d) L. c. col. 902. a.

TAB. XXI.

cipho, (ſcypho) *pleno florenis aureis honorat, ſororisque ſuæ, Comitis Sabaudiæ filiam,.* KATHERINAM *nomine, conjungi in matrimonium procuravit.* Nimirum *uxoris ſuæ ſororis filiam*, ſeu quod idem eſt, *uxoris ſuæ neptem ex ſorore*, ſcribere voluerat. Omittimus, ut in re perſpicua, cetera, quæ adverſus hoc aſſertum afferri poſſent, argumenta.

Breviarium vitæ HENRICI *Placidi*, Ducis *Auſtr.*

X. Inter ALBERTI I. filios HENRICUS ab elegantia & ſuavitate morum *Placidus* dictus, quintum ſibi locum vendicat. Is cum non minus, ac fratres ſui, rei militari addictus eſſet, poſt varias, vario fortunæ eventu, tam in *Italia*, quam *Germania*, expeditiones, infauſto tandem ad *Müldorfium* prœlio captus, IOANNI Regi *Bohemiæ* cuſtodiendus traditur: ab hoc coniectus in vincula ac longo tempore illiberaliter habitus, liber tandem, ſed non ſine ingenti lytro, dimiſſus eſt. Exinde vero proſpera valetudine nunquam uſus, atque adeo lenta velut morte abſumptus, an. MCCCXXVII. die III. *Februarii* ad plures abiit. Matrimonio ſeſe admodum adoleſcens cum ELISABETHA de *Virnenburg* obſtrinxit, nullis tamen ſuſceptis ex ea liberis. Obiit illa anno MCCCXLIII. die XIV. *Septembris.*

Eius icon *Kœnigsveldæ.* N. 4.

XI. In monaſterio *Kœnigsveldenſi*, ſæpius memorato, etiam Ducis HENRICI imago olim extabat, quam hic ex tomo I. codicis MS. *Fugeriani*, in Auguſta Bibliotheca *Vindobonæ* aſſervati, fol. 235. averſa pagina eductam, repræſentamus. Caputium a collo ad tergum deſcendens, pariterque cinctorium colore cœleſti expreſſa ſunt, pallium purpureo, toga flavo nitent pigmento. In calce vitri legere erat:

ANNO DOMINI M. CCC. XXVII.
III. NON. IAN. OBIIT DN'S HENRICUS DUX AUSTRIÆ, FILIUS
DN'I ALBERTI REGIS ROM.

In hoc inſcripto mendum reperiri, vix eſt, quod dubitemus. Scriptores enim plerique, diem HENRICI extremum recenſentes, III. Non. *Februarii*, non *Ianuarii*; utque omnis errandi locus evitaretur, memorato quoque ut plurimum feſto S. BLASII, quod in eum diem incidit, conſtanter ponunt. a) Accedit apocha MAURITII Abbatis, totiusque Conventus Eccleſiæ B. MARIÆ *Scotorum Wiennæ*, qua ſe obſtringunt, quotannis in feſto S. BLASII, Ducis HENRICI defuncti anniverſarium celebrandi: b) probabili certe argumento, præfatos auctores nobis vera tradidiſſe. Vitium hoc, quo minus authographo, ſed oſcitantiæ potius excerpentis, tribuamus, tempus & locus poſtulant, quo pictura & poſita & confecta eſt, ipſa vi-

a) Hiſt. *Auſtr.* ap. FREHER. tom. I. p. 489. & Scriptores a Cl. P. *Hier.* PEZIO editi, nobisque ſæpe laudati.

b) Reperiebatur olim hoc inſtrumentum in Archivo Archiducali *Wiennenſi* ſcrinio $24\frac{66}{66}$. titulo *Fundationes.* Datum & actum anno Domini Milleſimo, trecenteſimo, triceſimo, in die decollationis beati *Ioannis* BAPTISTÆ. Eam nos num. VII. volum I. huius tomi edendam curavimus.

videlicet *Hungarorum* Regina AGNETE (cui utique dies fatalis fratris ignotus esse haud poterat) omnia inspiciente ac explorante: optandum tamen foret, ad exputanda tam hæc, quam alia dubia, monumenta *Kœnigsveldensia* maximam partem non interiisse.

TAB. XXI.

XII. Extat hæc protome HENRICI apud BIRCKENIUM, cuius habitus, quousque ævo illi respondeat, aliis dispiciendum relinquimus. Capitis tamen ornatus parum abscedit ab illo tegumenti genere, quo LEOPOLDUM *Gloriosum* se obtegere consuevisse, paullo superius ex VITODURANO didicimus. HENRICUM *virum elegantis formæ* fuisse, idem VITODURANUS testatur. a) Corpore etiam procero incessisse, loculus eius funereus, *Kœnigsveldæ* repertus, indicat; ut quem, sex pedes pollicesque sesqui tertios habentem, sceleton eius fere æquabat. Caput denique nonnihil grandius ibidem observatum est, quod cum hic loci, id est, in imagine *Campi-regiensis*, vix appareat, conjecturæ locum dat: pictorem, sive illum ad germanam, sive fictitiam oris speciem expresserit, ad maciem, ex carceris miseria obortam, intendisse. Hanc illi namque acerrimam accidisse, eventus, mors scilicet præmatura, edocuit.

Alia eius protome. N. 5.

a

XIII. Hinc tamen minime opus est, ut cum BALBINO b) captivitatem eius tribus annis durasse dicamus; quandoquidem diploma, in collegio S. I. *Vindobonensi* asservatum, c) & a nobis in Clariss. STEYERERI collectaneis repertum, omnino contrarium edocet: hoc enim cum die lunæ post festum Paschæ anno MCCCXXIV. datum fuerit, manifestum fit, BALBINUM fuisse deceptum; cum satis constet, prœlium *Müldorfense*, seu *Amphingense* an. MCCCXXII. die primum 28. *Sept.* accidisse: ex quo tempore usque ad Pascha anni MCCCXXIV. quæ tum in XV. *Aprilis* inciderat, non multum ultra sesqui annum effluxit. Sed & maturius longe libertati restitutum fuisse Principem, auctores veteres, iique maximam partem coævi, testantur, quos inter sæpe laudatos Anonymum *Leobiensem*, Chronicon *Claustro-Neoburgense*, nec non & HASELBACHIUM, nominare iuvat: qui libertatem illi anno MCCCXXIII. redditam fuisse, uno velut ore affirmant.

Achronismus circa captivitatem HENRICI.

b c

XIV. Interim tamen rem paullo aliter refert chronicon monasterii *Aulæ Regiæ*. d) HENRICUM nempe anno MCCCXXIII. in festo Nativitatis CHRISTI Domini *Pragam* venisse, moxque postridie eius diei continuato itinere rediisse *Wiennam*, ut fratribus duras cum Rege *Bohemiæ*, pro recuperanda libertate initas conditiones proponeret. At his illas acceptare renuentibus, in die B. MATHIÆ, ut ne fidem falleret, *pristinæ captivitati se mancipare cœpisse*, ac primum deinde in festo S. BARTHOLOMÆI, opera CAROLI, *Hungariæ*

Locus ex chronico monasterii *Aulæ Regiæ* discutitur.

d

a) Loc. cit. p. 27. col. 1.
b) Dec. I. Lib. VII. Sect. II. cap. I. p. 146.
c) Edimus illud in tomi huius vol. 1. num. IV.
d) Inter Rerum *Bohemicar.* Script. antiquos, a FREHERO editos, cap. XII. p. 40.

Tab. XXI. a

riæ Regis, integræ reſtitutum fuiſſe libertati. Idem teſtatur PESSINA in *Marte Moravico.* a) Verum enimvero narratio hæc cum mox laudata HENRICI charta non optime cohærere videtur; qui enim fieri poterat, ut inſtrumentum quoddam die XVI. *Aprilis Wiennæ* conderet, qui iam tum in feſto S. MATHIÆ caſtro *Burgilino*, ubi nimirum locus captivitatis erat, ſeſe reddere inſtituebat? Aut ergo Princeps noſter *Wienna* diſceſſit ſerius, aut dictæ narrationi cum vero nonnihil falſi aſperſum eſt. Poſſunt tamen adducta verba, quibus ſe *priſtinæ captivitati reſtituere cœpiſſe* ait, apte etiam ita accipi: ut in feſto S. MATHIÆ eius anni redeundi conſilium ceperit, poſt Paſcha autem reipſa redierit.

Elisabetha, uxor Henrici *Placidi*, Ducis *Auſtr.* N. 6.

XV. HENRICO ſubiungimus ELISABETHAM, coniugem eius, cuius hæc protome a *Gerardo* de ROO, in cuius continuatione ligno inciſa reperitur, edita fuit. Tunicam geſtat, ſplendide ornatam, cum capitis tegumento ſingulari. Hanc R. P. LEQUILLEUS unacum CUSPINIANO filiam RUPERTI *Palatini* facit, ac HENRICO aliam quoque ISABELLAM nomine, IOANNIS, Comitis *Friburgenſis*, filiam tribuit. b) Sed fallitur pro more, ac primum quidem; quia nemo ex antiquis ei ſuffragatur, quin tam veteres, quam recentiores, de ſola ELISABETHA, filia RUPERTI, Comitis de *Virnenburg* (quanquam vocabulum iſthoc apud nonnullos male expreſſum ſit) non *Friburg*, mentionem iniiciunt.

b

Secundas nuptias non habuiſſe, oſtenditur.

XVI. Deinde per ætatem HENRICI fieri nequibat, ut aliquando de ſecundis votis cogitaret. Natus eſt enim, ut inferius in ALBERTO II. oſtendemus, circa annum MCCXCIX. ac dictæ ELISABETHÆ (quæ illi ad an. usque MCCCXLIII. ſuperſtes erat) iam tum an. MCCCXIV. teſte Anonymo *Leobienſi*, atque ea conditione deſponſatus fuit, ut HENRICUS, Archiepiſcopus *Colonienſis*, FRIDERICO *Pulchro* in proxime ſuſcipienda Regis *Romanorum* electione ſuum deferret ſuffragium: c) unde ergo primis nuptiis locus? Verba Anonymi, cum hæc haud parum illuſtrent, digna ſunt, quæ exſcribantur: „ Miſit (FRIDERICUS) & ad HAINRICUM Epiſco„pum *Colonienſem* (ait) cum quo ſimiliter convenit, ita ut HAIN„RICUS Dux, frater eius, RUPERTI, Comitis de *Wyrenburg* (Vir„nenburg) filiam fratris Epiſcopi, duceret in uxorem ... & ſic Ju„venis cum juvencula nuptias in illis partibus ſolemniter celebravit, „ibique ad aliquot tempus remanſit. „ Poſtremo rem conficit diploma FRIDERICI *Pulchri*, quo cum reliquis ſuis fratribus anno MCCCXIV. IX. Kal. *Aug.* conſenſum præbet in dotem, ab HENRICO ſponſæ ſuæ aſſignandam, quod proinde edere, operæ pretium duximus. d) Sed deceptus fortaſſis eſt LEQUILLEUS affinitate nominum, ELISABETHAM & ISABELLAM diverſa vocabula exiſtimans. Omittimus porro *Palatinos* Scriptores, qui RUPERTUM I. ſine

c

d

a) Lib. IV. cap. I. p. 404.

b) Piet. *Auſtr.* p. 261. ubi & alia ſphalmata occurrunt.

c) Anonym. *Leob.* l. c. col. 911. a. Add. ſi lubet. ARENPECK. ibidem col. 1238. a.

d) Vol. huius tomi I. num. III.

Tab. XXI.

ſine liberis obiiſſe, alterum vero huius nominis anno primum MCCCXC. ad Electoratum evectum fuiſſe teſtantur: cum e contrario RUPERTI, Comitis de *Virnenburg*, in eo ipſo inſtrumento mentio fiat, quo laudatus Archiepiſcopus FRIDERICI partes tuendi fidem obſtrinxit; a) ut adeo omnia apte cohæreant.

Retractatio noſtra de familia ELISABETHÆ.

XVII. Ex his vero codicem *Baſileenſem*, cuius auctoritate aliquando decepti, ELISABETHAM iſthanc ex Comitibus de *Froburg* prognatam fuiſſe, coniecimus, b) haud illubenter emendamus, ultro agnoſcentes: aut illum falſa narrare, aut minus fideli & accurata manu, vel ſcriptum, vel exſcriptum fuiſſe.

An ſponſam habuerit aliam ELISABETHAM Regis Hung. filiam?

XVIII. Præter has duas, etiam tertiam, non quidem uxorem, ſed ſponſam, eamque filiam ANDREÆ III. Regis *Hungariæ*, ELISABETHAM item nomine, HENRICO noſtro tribuit, quæ illius vitam deſcripſit, monialis quædam monaſterii *Thoſani* in *Helvetia*, ſeu *Thurgovia*, ubi ætatem ſancte traduxiſſe, ac in vita & poſt mortem miraculis coruſcaſſe refertur. c) Ibi ſiquidem legimus, anno MCCXCVII. natam, atque ab AGNETE noverca, cum bona mariti gratia *Wiennam* deductam fuiſſe, *ibi inter fratris ſui liberos educandam.* ANDREA deinde anno MCCCI. ad plures abeunte, *relictam eius* AGNETEM *Proceribus perſuaſiſſe, ut* ELISABETHA *deſponſaretur* HENRICO, *Duci Auſtriæ*, *fratri ſuo*, *transſcripta in ipſam dote propria*, *quæ ad trecenta Hungaricorum millia numerabatur.* Sed & ALBERTO quoque ad *Vindoniſſam*, *Helvetiæ* caſtellum, cœſo, eius mortem ulturam Reginam, cum privigna in *Hungariam* rediiſſe: cædis reos non ſolum, *ſed eorum etiam viduas, liberosque innoxios & conſanguineos pleroſque cum fratribus ſuis*, *Auſtriæ* Ducibus, in mortem tradidiſſe, terras autem & caſtella eorundem incendiis populationibusque vaſtaſſe. Ob hoc ergo facinus AGNETEM unacum privigna compunctam, *reſtaurando Kœnigsveldenſi* monaſterio operam dediſſe. Indeque AGNETEM in ſpem veniſſe, ut illa, id eſt, ELISABETHA, ibidem ſtatum amplecteretur religioſum: ſed loco ei non ſatis arridente, permiſſum fuiſſe, *ut in Suevia inter confœderatos eligeret cœnobium, in quo ſervire Deo & vitam finire vellet.* Elegiſſe igitur monaſterium *Thoſanum* in *Thurgovia*, ubi anno ætatis tertio decimo ſacrum Prædicatorum Ordinis habitum prima ſumpſerit, interiectisque hebdomadis non amplius quindecim, volente & iubente Regina noverca, ritu ſolemni votorum ſponſione ſe ſe obſtrinxerit.

Narratio facti.

XIX. Pergit deinde laudata Monialis, ſed verbis interpretis: „Non multum a memorata ELISABETHÆ profeſſione temporis „effluxiſſe, quando Dux *Auſtriæ* HENRICUS in has partes (*Argo*-„*viam* & *Thurgoviam* nempe) venit, eo conſilio: ut deſtinatam „ſibi

a) Apud. DUMONT. Corps. Dipl. Tom. I. P. II. p. 4. n. IX.

b) Geneal. Dipl. T. I. Lib. III. c. II. §. VII.

c) Apud BOLLANDUM ad diem 6. *Maii* pag. 123. ex *Henrici* MURERI *Helvetia Sancta.*

Tab. xxi.

„ ſibi pridem ſponſam, uxorem acciperet. Cum igitur eandem „ præter opinionem ſuam videret ſacro velo præpropere donatam, „ ac Deo conſecratam, adeo vehementer excanduit, ut detractum „ e capite illius velum conculcarit pedibus; deinde ad blanditias „ converſus, niſus eſt eidem perſuadere, ut, poſthabita nova pro„ feſſione, ſecum in *Auſtriam* rediret. „ Sed ſpatio ad deliberandum petito & obtento, ingenti certamine agitatam fuiſſe: conſiderantem, ſe patris ſui heredem eſſe unicam, excuſabilesque videri nuptias, cum quibus ipſa Regni pacem ſtabiliret, ipſum ſibi vindicando, pro quo alias exſtituræ eſſent graves diſſenſiones, & bella inter competitores cruenta. At Henricum nihilominus repulſam paſſum, indignabundum abiiſſe: illam vero poſt eiusmodi pugnam, relatamque victoriam, virgineum ſuum corpus & florem ætatis novo voto dedicaſſe, atque annis deinceps viginti octo in omni caſtimonia perſeveraſſe.

Refellitur ob achronismos,

XX. Verum enimvero multa ſunt in hac narratione adeo hiulca, ac depravata, ut quà ratione combinari queant, nemo facile dicat. Inprimis enim, quo, quæſo, pacto Elisabetha anno primum MCCXCVII. naſci potuit; quando ſupra iam oſtenſum eſt, matrem eius anno præcedenti, aut certe maturius defunctam, Agnetem vero Regi Andreæ iam tum anno MCCXCVI. coniunctam fuiſſe? Deinde, quinam illi fratris Reginæ liberi ſunt, quibuscum Elisabetha trimula, aut quadrimula etiam, *Vindobonæ* inſtitui debuerat; quando conſtat, natu maximum eorum Rudolphum vixdum anno MCCC. matrimonium iniiſſe, reliquos autem fratres tum innuptos fuiſſe: quin per ætatem de nuptiis nondum cogitaſſe? Qua etiam fiducia monaſterium *Kœnigsveldenſe* reſtauraſſe dicitur, quando illud eo tempore nondum extabat, ac cauſſa duntaxat & occaſione cædis *Albertinæ* poſtea conſtructum fuit? Et quomodo Elisabetha ob effuſum nobilium ſanguinem compuncta refertur; quæ facinoris per ætatem; utpote annum duodecimum nondum excedentem, particeps eſſe nequibat? Eſt præterea vix credibile, Agnetem, patris cædem vindicaturam, ad *Hungaros*, hoſtes olim ſuos, & a quibus cuſtodiæ tradita fuerat, ſe contuliſſe. Nec denique percipi poteſt, qua ratione iam tum anno MCCCI. Proceribus *Hungariæ*, a quibus tamen ut hoſtis habebatur, nomenque *Auſtriacum* inviſum, prætenſum illud matrimonium perſuadere potuerit.

ac ob ætatulam utriusque ſponſi:

XXI. Accedit utriusque ſponſi ætatula tenera nimium, & quæ, ſi morem ſaltem communem & uſitatiorem intueamur, nubendi conſilia reſpuat. Etenim ſponſa ex Anonymæ calculo an. MCCXCVII. nata, ætatis tum annum quartum, Henricus vero an. MCCXCIX. eoque iam bene adulto effuſus, annum ætatis ſecundum egiſſet, aut ad ſummum tertium inchoaſſet. Eiusdem commatis eſt, quod de nimium properata, & ad coactionem propius ſpectante voto-

votorum nuncupatione narrat. Etsi enim ante Concilium *Tridentinum* votorum nuncupatio ea ætate prohibita haud fuerit, probationis tamen tempus ad unius minimum anni spatium extendi oportuerat, iubente paullo ante eam tempestatem ALEXANDRO IV. Summo Pontifice. a) Postremo, quis AGNETIS erga HENRICUM fratrem & privignam animum ita immutavit, ut, quod prius matrimonium persuasit, idem non sine gravi sponsi iniuria & ira, ac subdole etiam impediret?

TAB. XXI.

a

XXII. Maiori insuper difficultate laborant cetera: *non multum a memorata* ELISABETHÆ *professione*, HENRICUM *Thosam* venisse contenditur; idque *eo consilio, ut destinatam sibi pridem sponsam, uxorem acciperet:* quasi vero tum temporis licitum esse potuisset, anno ætatis undecimo ineunte uxorem accipere. Id autem hac ætate voluisse HENRICUM, ex calculo auctoris consequitur. Etenim si anno ætatis XIII. monasterium ingressa est ELISABETHA, solemnis votorum sponsio, utpote statim secuta, in annum eius seculi decimum incidisset, qui est annus ætatis HENRICI ad summum undecimus; maxime si, quod integritati anni probationis deerat, annis ætatis HEINRICI subtrahatur. Statim autem, ut solennitas ea peracta est, supervenisse, cum ex verbis auctoris, tum ex locis duobus aliis intelligitur. Quemadmodum enim cap. I. num. 7. ait: ELISABETHAM *post relatam illam* de Principe nostro *victoriam, in suscepto semel sancto proposito* annos duodetriginta perseverasse, ita de exitu ex hac vita cap. III. num. 25. disserens, toto eiusdem monasticæ vitæ spatio annos illi haud plures computat: id quod dicere non poterat, nisi HENRICUM illico post susceptam ac iuratam ab ea religionem advolasse putasset.

Nec non ob alios achronismos.

XXIII. Absurda præterea sunt, quæ de iniecta Virgini Reginæ quasi vi, detracto & conculcato sacro velo, aliisque eiusmodi ineptiis fabulatur: HENRICO nostro tanto minus affingendis; quod teneram eius ætatem non solum superassent, sed & a Principe, *Placidi* aut *Mitis* agnomen a suavitate & elegantia morum sortito, nimium quantum alienum fuisse existimandum sit.

Item ob absurditatem historiolæ.

XXIV. Ultimus error, ab actorum illorum editore, doctissimo Patre PAPEBROCHIO, quoque agnitus, circa deliberationem Virginis, quam de *adeunda hereditate regni Hungariæ*, cavendisque in eo per hoc matrimonium summis periculis, dissensionibus & bellis, versatur. Quis enim nescit, CAROLUM *Hungariæ* Regem, eo, quo hæc acta dicuntur, tempore regnum suum quiete & citra ullius contradictionem possedisse? Quin certo certius est, nullam unquam, quando cum LADISLAO seu WENCESLAO *Bohemo*, & OTTONE *Bavaro* de regno intercedebat contentio, ELISABETHÆ factam fuisse mentionem. b) Et quodnam demum illius ad regnum electitium ius esse poterat? XXV.

Aliasque hallucinationes.

b

a) Vid. *Lud.* THOMASSIN. vet. & nov. Eccles. disciplinam P. I. Lib. III. cap. XLVIII. p. m. 745.

b) Vid. P. de REVA loc. cit. Centur. IV. p. 637. seqq.

Bini alii eiusdem Anonymæ errores. TAB. XXI.

XXV. Alias Anonymæ hallucinationes, ut huc minus pertinentes, haud quidem inviti miſſas facimus. Sed liceat tamen duas admodum in Eruditi Lectoris gratiam obiter, & velut in transcurſu addere. Cap. I. n. 2. ait, primam ANDREÆ uxorem FENNAM, (FENEMAM) natam *Siciliæ* Reginam fuiſſe: qua in re & ſupra laudatus aſſentitur PAPEBROCHIUS, patrem illi MANFREDUM Nothum ex coniectura aſſignans. Sed certum eſt, primam ANDREÆ coniugem fuiſſe *Gloggoviæ* Ducis filiam, ut ſupra oſtenſum eſt. Capite deinde III. n. 25. ELISABETHAM die VI. *Maii* anno ætatis primo & quadrageſimo obiiſſe aſſerit; id quod in annum Domini MCCCXXXVIII. incurrit. At cum certum ſit, eam ante annum MCCXCVII. natam, ex calculo autem auctoris, non ante annum eius ſeculi decimum, monaſterium ingreſſam fuiſſe, eidem ætas paullo maior tribuenda foret.

Noſtra hac in re ſententia & concluſio.

XXVI. Hæc ad vindicandum a tanta inſimulatione Principem noſtrum, abiudicandamque eidem ſponſam tertiam, non vero ad Beatæ ELISABETHÆ acta elevanda, quæ utique, periculo hoc critico non obſtante, ſua tamen, quoad cetera, niti veritate, tanto minus dubitandum eſt, quanto magis quid Virgini veſtali, hiſtoriam, medio præſertim ævo, adornanti, indulgendum eſt; ut a quo ſcribentium genere iuſtam rationem temporum, rerumque circumſtantium deſignationem, maxime ubi ad regna longinqua excurrendum eſt, fruſtra exigas. Quemadmodum igitur tanquam vera & ſincera acceptari omnia nullo modo poſſunt; ita ob id etiam cetera, præſertim vero, quæ illi cognita eſſe poterant, tanquam conficta reiicere, plane iniurium foret.

OTTONIS D. *Auſtr.* ALBERTI I. Imp. filii breviarium vitæ.

XXVII. OTTO, a frontis animique alacritate ac promptitudine *Hilaris*, ſeu *Iucundus* appellatus, inter ſæpius memoratos ALBERTI filios, qui ad adultam ætatem pervenerunt, naſcendi ordine ſextus & ultimus erat. Hic ſcientiæ militaris haud ſecus, ac ceteri eius fratres, peritus cum eſſet, rem, cum anno MCCCXXXI. *Columbariam* in *Alſatia* obſidens, tum alibi, quavis oblata occaſione, egregie geſſit: atque tum præcipuam apud poſteros ſuæ Gentis ſibi laudem adeptus eſt, cum *Carinthiam* Ducatum, morte HENRICI Ducis, anno MCCCXXXV. prid. Non. *Aprilis* defuncti, ad imperium relapſum, ſua potiſſimum induſtria Auguſtæ Domui aſſeruit. Obiit anno MCCCXXXIX. inter decimum quartum & decimum tertium Kal. *Martii*: cum pridem ante inſigne Ordinis *Ciſtercienſis* monaſterium, quod *Novum Montem* appellant, in *Styria* fundaſſet. Uxores duas duxit: primam ELISABETHAM nomine, STEPHANI, Ducis *Bavariæ inferioris*, filiam. Hæc illi FRIDERICUM & LEOPOLDUM genuit, atque anno MCCCXXX. die XXV. *Martii* ex hac vita deceſſit. Alteram, nomine ANNAM, IOANNIS *Luxemburgici*, *Bohemiæ* Regis, filiam, quam anno quidem MCCCXXXI. ſibi deſponſam, ſed per ætatem anno primum MCCCXXXIV. ductam, anno MCCCXXXVIII. amiſit.

XXVIII.

XXVIII. Tertium in hac tabula ordinem OTTONIS imagies efficiunt: & primo quidem exhibetur, ut olim in vitris templi *Kœnigsveldensis* expressus, in multoties laudati *Fuggeriani* operis tomo I. fol. 236. asservatur. Induitur tunica talari viridi, ac pallio coccineo, subductis pellibus muris *Pontici*: porro velum retro fluitans, seu caputium potius, albi coloris est, calcei vero superne decisi, quales pro more eius ætatis etiam LEOPOLDUM gestasse diximus. Inferius scriptum erat:

Icon OTTONIS ex vitris *Kœnigsveldensibus*, cum inscriptione. TAB. XXI. N. 7.

ANNO DOMINI M. CCC. XXXIX.
XIII. CAL. MART. OBIIT DN'S
OTTO DUX AUSTRIÆ, FILIUS
D'NI ALBERTI REGIS ROM.

Huic inscriptioni nonnulli tam ex antiquis, quam recentioribus, contradicunt, quorum prioribus necrologia duo *Græcense*, & Parochiæ *Neostadiensis*, ut ut haud coæva, nec non sæpe laudatos *Vitum* ARENPECKIUM & HAGENUM adnumeramus, qui omnes annum MCCCXL. aut L. produnt: quos ex iunioribus secuti sunt GEBWILERUS, CUSPINIANUS, *Pontus*que HEUTERUS, qui annum omnino MCCCXLV. ponit, aliique; quin ipse *Gerardus* de ROO aliam ingressus viam, mortem Principis anno uno prævertit.

XXIX. At inscriptionem vera docere affirmant ceteri, iique auctoritate nonnihil superiores: nosque, ut in re minime dubia longiores ne simus, Lectori Erudito chartas duntaxat duas inspiciendas offerimus. Prima conventionem continet inter EDUARDUM III. Regem *Angliæ*, & ALBERTUM ac OTTONEM, Duces *Austriæ*, de præstando mutuo auxilio 200. galeatorum, & de invadendis terris Ducis *Burgundiæ*, subscriptam apud *Antverpiam* MCCCXXXIX. die XVI. *Febr.* a) Altera ab Abbate S. *Crucis in Austria*, WULFINCH nomine, anno eodem in *Dominica Palmarum*, atque de solennibus exequiis pro anima defuncti Ducis OTTONIS, quotannis celebrandis, agit; b) ut adeo certum sit, Principem nostrum circa sextum & decimum *Febr.* anno MCCCXXXIX. vitam & spiritum adhuc duxisse, & illo tamen ante dictum diem *Palmarum* anni eiusdem, qui tum in XXI. *Martii* inciderat, fuisse privatum. His addi possunt instrumenta alia apud STEYERERUM c) reperiunda, ex quibus, quod volumus, facile eruitur.

Cuius veritas duabus chartis illustratur.

a

b

c

XXX. Maiori contra difficultati subest dies emortualis. Hanc enim Anonymus *Leobiensis*, d) & HASELBACHIUS, e) quin & *Martini*

Dies emortualis anceps.

e d

a) Apud DUMONT Corps Dipl. tom. I. P. II. p. 172. & RYMER tom. V. p. 99. Eo enim anno chartam datam fuisse, ex eo patet, quod EDUARDUS ante id tempus *Belgium* haud viderit.

b) Chartam hanc num. VIII. Vol. huius tomi primo edimus.

c) In Addit. ad ALBERTUM II. col. 124. 127. & 128.

d) Inter sæpe laudatos *rer. Austr.* Scriptor. a Cl. PEZIO editos T. I. col. 955. d.

e) Apud eund. tom. II. col. 798. c. d.

Tab. XXI. a b c d e f g

tini Poloni Continuator a) ad IV. Kal. *Martii*: Necrologium vero monasterii *Minor. Conventualium Wiennæ*, b) *Henricus* Gundelfinganus, c) chronicon *Zwetlense* recentius, d) nec non chronica *Australis* e) ad XIV. Kal. eiusdem consignant. Cum nostra inscriptione contra facit Necrologium monasterii *Wettingensis*, f) *Campo-regio* vicini, Paltramus g) in chronico, Continuator chronici Alberti *Contracti*, Liber Anniversar. Carthusiæ *Gemnicensis* MS. nec non & Schoenlebenius in *Ephemeridibus*.

Nostra de ea opinio,

XXXI. In hac tanta Scriptorum etiam coævorum discordia verum attingere, pronum haud est. Quod si tamen nostram opinionem interponere licet, inprimis Anonymum *Leobiensem*, aliosque de IV. Kal. *Martii* loquentes, parvo labore conciliamus, dicendo: numerum denarium fortassis oscitantia librarii omissum esse, reliquos autem Anonymi illius opere usos, errorem facile retinuisse. Fundamentum coniecturæ ex inferius adducenda inscriptione desumimus, quæ ex *Leobiensi* nostro ad verbum expressa, minime tamen IV. Kal. sed XIV. Kal. *Martii* præfert; manifesto indicio, auctorem inscriptionis emendatiori usum fuisse codice. Ergo discrimen superest unici tantum diei: hunc vero vel ipso tempore mortis dubium fuisse suspicamur, ita, ut Ottone circa medium noctis inter XVI. & XVII. *Febr.* defuncto, alii hunc, alii alterum ex his diebus illi fatalem fuisse, contenderent. Rationem huius coniecturæ, minime sane infirmæ, duæ chartæ suppeditant, ex Archivo Archiducali *Vindobonensi* erutæ. Earum prima mox laudatus Abbas Wulfinch anniversaria sacra Ottonis, quotannis *die Martis* post Dominicam *Invocavit* celebranda, accepto stipendio, in se recepit: altera Adelheidis, Parthenoni S. Laurentii *Wiennæ* Præfecta, eandem solennitatem die sequenti, seu *die Mercurii Quatuor temporum Quadragesimæ*, a se & posteris observandam, adpromittit. h) At hæ ipsæ feriæ anno MCCCXXXIX. quo Princeps noster ex hac vita abiit, in diem XVI. & XVII. *Febr.* inciderant; de quibus hic disputamus, & de quibus iam olim disputatum, aut dubitatum saltem fuisse coniicimus. Ut igitur utrique parti, seu opinioni, Albertus frater, cuius opera & ære anniversaria illa sacra, pro refrigerio animæ Ottonis singulis annis peragenda, instituta sunt, satisfaceret: binas illis quoque præter consuetudinem assignasse videtur dies anniversarios; ut sive revera XVI. sive XVII. *Febr.* obierit, nullus eo pacto eorundem dierum sine anniversaria defuncti memoria transiret. Nec obest dies mobilis; neque enim ineptum est, ut, si quis die mobili obiit, eodem recurrente, eius peragatur memo-

a) In Eccardi Corp. Scriptor. medii ævi tom. I. col. 1456.

b) Apud laudatum Pezium tom. II. col. 477. a.

c) Epit. Chron. *Austral.* Mſ. quo de in Geneal. Dipl. proleg. VIII. p. LXV. actum.

d) Pez. Tom. I. col. 540. a.

e) Inter Freheri Scriptores *rer. Germ.* Tom. I. p. 489.

f) Editum a nobis in Geneal. Dipl. Vol. III. p. 842.

g) Ap. cit. Pez rer. *Austr.* T. I. col. 727. d.

h) Vulgamus illam P. I. huius tomi num. IX.

memoria: nec res exemplo caret; quando & ſacra anniverſaria RUDOLPHI IV. OTTONIS noſtri ex fratre nepotis, ſimiliter in die mobili olim haberi conſueviſſe legimus: a) Dominica nimirum poſt feſtum S. IACOBI Ap. quo obierat. Quanquam id deinceps ob reverentiam ac ſolennitatem diei Dominicæ, qua publicam defunctorum memoriam peragi, diſciplina vetat Eccleſiaſtica, immutatum fuerit, ſacraque annua ſeptimo & viceſimo *Iulii*, in quem anno MCCCLXV. RUDOLPHI obitus, atque adeo Dominica poſt feſtum S. IACOBI, inciderat, affixa fuere.

Tab. XXI. a

XXXII. Simile quid obſervavit Clar. STEYERERUS de die emortuali ALBERTI *Sapientis*. b) Videns enim, monumenta ſua de eo nonnihil variare, utroſque conciliari iudicat: „ ſi dicatur ALBERTUM ipſa nocte inter XIX. & XX. *Iulii* obiiſſe, quo caſu „ pronum erat, ut quidam priorem diem, alii ſequentem emortualem fuiſſe referrent, licet etiam ante dimidium noctis mortuum „ ſcirent; idque more veteri eccleſiaſtico, qui etiamnum a *Carthuſianis* PP. obſervatur, ut poſt Veſperas & Completorium defunctus, ad ſequentem diem Necrologio inſeratur. „ Utraque hæc coniectura, noſtra, inquam, & *Steyereriana*, inſcriptioni noſtræ favet; quare eligat amicus Lector, quod volet.

Quæ & coniectura STEYERERI firmatur. b

XXXIII. Ceterum in ſupra recitata EDUARDI III. Regis *Angliæ* charta nemo utique quidquam pro contraria opinione præſidii ponendum eſſe, exiſtimabit. Etſi enim XIV. *Kal. Martii*, ſeu XVI. *Febr.* data & ſubſcripta, de OTTONE tanquam vivente mentionem faciat, vim tamen ideo nullam habet; quod, re illa *Antverpiæ* in *Belgio*, atque adeo Principe noſtro longius abſente, tractata & peracta, de inſtante Principis morte ibi nihil adhuc reſciri potuerit.

Nota ad chartam EDUARDI III. Regis *Angliæ*.

XXXIV. In *Styriæ* monaſterio, cui *Novo Monti* Germanice *Neuberg*, nomen, S. Ordinis *Ciſtercienſis*, in cœnaculo Reverendiſſimi D. Abbatis duæ ſunt magnæ effigies, quarum altera Ducem OTTONEM, altera primam eius coniugem ELISABETHAM ſtatura corporis integri præbet. Ipſa archetypa horum capitum dicuntur a Divo CAROLO VI. Imp. *Vindobonam* tranſlata. Nos quidem ad exemplaria *Neobergenſia* delineata damus: ubi pictor niſi ad morem antiquum, quo de alibi dicemus, reſpexerit, forte pro ſuo lubitu, Ducis capiti coronam, ex roſis nexam, impoſuit. OTTONIS caput BIRKENIUS quoque in ſuo opere p. 316. imitatus fuit.

OTTONIS, eiusque uxoris ELISABETHÆ effigies. N. 8. 9.

XXXV. De forma habituque corporis OTTONIS neminem veterum quidquam prodidiſſe, meminimus: *Venuſtus* tamen vocatur

Illiusque corporis habitus.

a) Apud Clar. STEYERERUM cit. loc. in Addit. col. 549.

b) Ibid. col. 192.

Tab. XXI. a b

tur a Reverendiſſimo LINCKIO. a) *Mitiſſimus* ab auctore chronici *Clauſtro-Neoburgenſis.* b) Porro barbam aluiſſe, vix credibile eſt; quando tam hæc, quam ſequens imago id negant; *Kœnigsveldenſes* autem picturas, quæ illum barbatum ſiſtunt, ex arbitrio pictorum profluxiſſe, alio loco animadvertimus.

Alia icon OTTONIS, eiusque uxoris ELISABETHÆ. Tab. XXII.

XXXVI. Ibidem in periſtylio ſupra portam, quæ ducit in templum, reperitur vetuſta tabula, parieti appenſa, ſex pedes & ſeptem pollices lata, ſeptem pedes & octo pollices alta. Ibi Dux OTTO exhibetur, & prima eius uxor ELISABETHA *Bavarica*, ſchema tenentes templi; ut ab his conditum monaſterium eſſe doceatur. Quem fundatores eccleſiarum, & moneſteriorum repræſentandi morem antiquiſſimum eſſe, alias obſervavimus. Inter utriusque effigiem in clypeis depinguntur inſignia *Auſtriaca* & *Bavarica*, ſubiecta inſcriptione huius ſententiæ:

Cuius tabulæ ſubiecta inſcriptio recitatur,

XXXVII. ANNO DOMINI 1327.
ILLUSTRISS. PRINCEPS NEC NON INCLYTUS DN'S
OTTO DUX AUST.
STYR. CARINTH. ET
CARNIOLÆ &C. ALBERTI I.
ROM. IMP. FILIUS
AD LAUDEM SS. TRINI-
TATIS ET D. VIRG. MARIÆ
FUNDAVIT HOC COENOBIUM IN SUI SUORUMQUE
PROGENITORUM SALUTEM. OBIIT AUTEM
MEMORABILIS PRINCEPS ET FUNDATOR HU-
IUS LOCI NOVI-MONTIS A. 1339. TUMULA-
TUSQUE TANDEM EST IN HOC CAPITULO
UNACUM DUOBUS LIBERIS ILLUST.
FRIDERICO ET LEOPOLDO: ET DUABUS
UXORIBUS SUIS, SC. DN'A ELISA-
BETHA, FILIA STEPHANI DUCIS BA-
VARIÆ INFERIORIS, ET DN'A ANNA
IOANNIS REGIS BOHEMORUM FILIA
CAROLI IV. IMP. SORORE.

Nec non & icones in eadem tabula.

XXXVIII. Pone priorem coniugem genua flectit altera eius uxor Anna, adiectis inſignibus *Bohemiæ.* A latere vero OTTONIS paullulum retrocedit FRIDERICUS *Pulcher*, cum inſignibus Imperii, adiectoque titulo: FRIDERICUS III. Proximus inde eſt frater eius ALBERTUS, cognomine *Sapiens,* qui bini ultimi Principes æſtimantur, velut qui ad condendum monaſterium concurrerint. At litteræ fundationis, quas vol. I. num. VI. damus, de annutu duntaxat eorum atque conſenſu memorant, de collatis ſymbolis tacentes; nimirum uſus iam tum temporis tenuerat, ut Principe viro aut fœmi-

na

a) Annal. *Auſtrio-Claravall.* tom. I. p. 711. tom. I. col. 488. c.
b) Inter ſæpe laud. Cl. PEZII Script. *Auſtr.*

na dotem quandam conſtituente, vel eccleſiam aut monaſterium condente, reliqui in pacti firmamentum & robur conſenſum ſuum ſcripto præberent, id quod pluribus, & vel ex ſolis chartis, a *Cl.* STEYERERO productis, oſtendi poſſet. Ambo hi Principes magnifica veſte talari, velleribus muris *Pontici* prætexta, amiciuntur. Uterque etiam galerum Ducalem capiti, pectori vero impoſitum inſigne habet, ſigno ordinis cuiusdam Equeſtris ſimile, de quo ornamenti genere poſtea.

TAB. XXII.

XXXIX. Adſunt præterea duo filii OTTONIS cataphracti, pone patrem, coniunctis precantium ſpecie manibus, in genua provoluti, cum hac gemina inſcriptione, capitibus illorum imminente, a chalcographo autem ob ſpatii anguſtias haud integre expreſſa: FRIDERICUS PRIMOGENITUS EX SEREN'MA DNA ELISABETHA D. BAV. LEOPOLDUS EX SER'MA DNA ANNA IOANNIS REGIS BOHEMORUM FILIA. Sed errat inſcriptionis auctor; quandoquidem Anonymus *Leobienſis*, ſcriptor coævus & luculentus, quique hiſtoriam ſuam non ultra annum MCCCLIII. quo Principes hi iuvenes adhuc ſuperſtites erant, perducit, ambos ex ELISABETHA procreatos teſtatur, & FRIDERICUM quidem primogenitum an. MCCCXXVII. in die S. SCHOLASTICÆ Virginis, a) LEOPOLDOM vero anno ſequenti, his verbis: *Hoc anno* OTTONI *Duci Auſtriæ ſecundus filius natus eſt, ſuper quo non modicum gaudium Auſtralibus exortum eſt.* b) Enimvero cum ſatis conſtet, OTTONIS coniugem priorem anno primum MCCCXXX. die XXV. *Martii* fatis conceſſiſſe: c) ANNAM vero anno MCCCXXX. deſponſam, ſed non ante annum MCCCXXXIV. ductam fuiſſe, d) dici certe nequit, ELISABETHAM *Bavaricam* non utriusque eſſe parentem. Equidem inſcriptio ſuffragantem ſibi habere videtur HASELBACHIUM e) eo loco, quo expreſſis verbis filium ſecundum ex ANNA prognatum ſcribit, nec non & LAZIUM. f) At prior parum ſibi memor, utrumque iam in præcedentibus ELISABETHÆ tribuerat: g) alter vero recentior, ac aliunde non optimæ notæ h) ſcriptor, plurium, eorumque antiquiorum Hiſtoricorum auctoritate contrarii convinci poſſet, quos tamen ordine referre, plane ſuperfluum foret.

Interque eas OTTONIS Ducis *Auſtr.* duo filii, ex prima uxore ELISABETHA geniti.

XL. De cetero nemini mirum videatur, nec Religioſiſſimos Celeberrimi *Novi Montis* Patres ſiniſtre accepturos confidimus, dum publicum eorum, atque omnium oculis expoſitum monumentum erroris poſtulamus; quippe quod recenter, ac anno primum 1555. ut præter ſcripturæ genus, ſubiecta eidem nota temporis indicat, poſitum, antiquis & coævis Scriptoribus derogare nequit. Sed neque tamen ex-

Inſcriptio *Neubergenſis* exigitur.

a) Loc. cit. col. 928. b.
b) Ibid. col. 929 b.
c) Conf. STEYERER. in hiſt. ALBERTI II. p. 2. & in addit. col. 25.
d) Vid. chron. *Zwetl.* recentius col. 538. d. chron. *Clauſtro-Neob.* col. 487. d.
e) Loc. cit. col. 789. d. Conf. etiam notam ibi ſubiectam.
f) LAZIUS in Commentariis.
g) Loc. cit. col. 747. a.
h) Conf. ſi lubet iudicium de eo GUILLIMANNI apud cit. STEYERER. col. 22. in addit.

TAB. XXII.

exinde arguere licet, etiam pictas ibidem perſonas nullius eſſe momenti. Has etenim ex veris ac genuinis antiquitatis reliquiis reſtitutas fuiſſe, credibile eſt. Imprimis enim armatura filiorum OTTONIS, etſi pro eo tempore nonnihil cultior videatur, ſeculum tamen XIV. haud omnino reſpuit; uti certe qui picturas, quas e monaſterio *Kœnigsveldenſi* erutas, in *Genealogia diplomatica* a) exhibuimus, cum his noſtris contendere velit, facile nobiscum faciet. Veſtes quoque oblongæ, nec non manicæ ad terram fere pertingentes, ac a ſummo ad imum fiſſæ & nodulis conſtrictæ, ſi non ad dictum ſeculum pertinent, ad proximum ſaltem referri poſſunt. b)

Qua occaſione res veſtiaria ſeculi XIII. & XIV. ex Anonymo *Leobienſi* illuſtratur.

XLI. Sed & res veſtiaria ſeculi XIII. & XIV. univerſim lucem nonnullam accipit ex mox laudato Anonymo *Leobienſi*, c) de ea ita differente: „ Notandum, quod poſt mortem ALBERTI Regis *Romanorum* in *Auſtria* & in *Stiria*, & etiam in aliis terris, plures „ adinventiones & novitates in ſarciendo veſtes ſurrexerunt. Alii „ in tunicis ſiniſtram manicam de alio panno ferebant, *) alii ipſam „ ſiniſtram manicam in tantum ampliabant, ut amplitudo excederet longitudinem ipſius tunicæ; alii ambas manicas in tantum „ ampliabant, alii ſiniſtram manicam ornabant diverſimode, vel „ cum ſericis, vel cum argento; alii cannas argenteas in ſericis dependebant per totam illam manicam; alii laminam de alieno panno cum litteris argenteis, vel ſericis, in pectore deferebant; alii „ in ſiniſtra parte pectoris imagines deferebant; *alii circulis ſericeis circa pectus per totum ſe circumcingebant.* In tantum etiam artabant fere omnes tunicas, ut aliqui, niſi per adiutorium aliorum, „ aliqui per nodulos, per brachia a manibus usque ad humeros, „ & per pectus, & per totum ventrem inhærentes, tunicas ingredi vel egredi, (haud) valuerunt. Ampliabant etiam tunc capicia, id eſt, foramina, per quæ caput veſtem egreditur, ut in hominibus iſtis humeri, ſcapulæ, pectora, in maxima parte apparerent. Tunc etiam de alienis pannis magnificabant fimbrias tunicarum, & ornabant, ut quondam fatuis contingebat. Interdum „ inciſuras in finibus veſtium faciebant, & pro fimbriis portabant. „ Capuciis etiam omnes incœperunt uti, tam ruſtici, *Judæi*, ac paſtores. Ceſſavit etiam tunc uſus mitrarum virilium, per quas „ inter laicos plures Chriſtianus agnoſcebatur a *Judæo*. De coma „ etiam vel valde parum, vel omnino ut *Judæi*, vel *Ungari* comam dividebant. Cingulos etiam mutabant. Nam vel zonam, „ vel ſic munitiſſimas corrigias deferebant, & valde profunde, videlicet niſi ſuper bracile deferebant. Tunc etiam pallia in tantum curtabant, quod aliquibus vix poſteriora tangebant. Incœpit etiam in ſericis tunc varietas a famulis & clientibus uſa, contra Militum antiquam conſuetudinem. In ſuperioribus tunicis „ et-

a) Tom. I. pag. 218.
b) MONTFAUCON. Monarch. *Franc.* tom. II. p. 326.
c) Loc. cit. col. 947. d.
*) Hunc morem hodiedum ſervant alumni in noſocomio aulæ *Vindobonenſis*.

Tab. XXII.

„ etiam acurtabant manicas, ut ſuper brachia vix ad cubitum attin- „ gebant; ſub cubito vero longum quid, ut vexillum, dependebat. „ Hucusque Anonymus *Leobienſis*, cuius verba etſi longiuſcula, ac nonnunquam etiam barbara, & ſubobſcura, integra tamen referre viſum eſt; non quod deſcriptio iſthæc Principum veſtimentis omnino reſpondeat: ſed quod pro conſequentibus quoque non nullius uſus eſſe queat: quodque ad præſentem tabulam illuſtrandam ex parte ſaltem pertineat, ut v. g. quæ de imaginibus, ſupra pectus geſtari ſolitis, ac de manicis, ultimo loco refert.

Neubergenſe templum in honorem B. Virginis fuit dicatum. a

XLII. Quod ſupereſt, in ſummitate huius tabulæ imago Beatiſſimæ Virginis exhibetur cum puerulo Iesu, quibus Principes religioſum cultum adhibentes, adorando in genua procumbunt; quorum ſcilicet honoribus, ut ex fundationis diplomate apparet, a) monaſterium *Novi-Montis*, ſeu *Neubergenſe* (non *Neuenburgenſe*, ut illud Gebwilerus appellat) conſtructum & dedicatum fuit.

Ei fundator donat aureum calicem & crucem argent. N. 2.

XLIII. Locum quoque hic merentur duo pretioſa monumenta ſacra, quæ Dux Otto laudato cœnobio inſigni munificentia dono dedit, in ſacrario illius in hunc uſque diem conſpicienda. Primum eſt calix aureus, quatuor auri pondo appendens, alterum crux ex argento inaurata.

Calix aureus deſcribitur, eiusque ætas indagatur:

XLIV. Calix altitudine eſt ſex & ſemis pollicum: amplitudine transverſa pollicum quatuor, multis admodum gemmis, etſi impolitis, diſtinctus. Capulo ſupra pedem notis nigricantibus (*Gothico*, quem vocant, more) formatis, inſcriptus eſt titulus: ✝ HVNC CALICEM COMPARAVIT OTTO FVNDATOR, DVX AVSTRIÆ STYRIÆ ET KARINTHIÆ. Ex quo diſcimus: calicem hunc non ante annum MCCCXXXV. quo *Carinthia* unacum *Carniolia* ad *Auſtriacos* rediit,atque adeo ipſis poſt primam fundationem duodeviginti annis, monaſterio donatum fuiſſe. Erat enim piis fundatoribus in more poſitum: proventus ſacrorum locorum, a ſe conſtitutorum, identidem, ac pro virili parte, tam rebus mobilibus, quam immobilibus augere: non primis fundationis litteris omnia & ſingula, quæ daturi erant, complecti; ut id quidem plurimis, & vel ſolo Alberti *Sapientis* b) exemplo, nec non & monaſterii *Campo-Regienſis* hiſtoria, oſtendi poſſet. Adeo nempe alieni erant ab illorum philoſophandi ratione, qui bona locorum ſacrorum ex ſolis primis fundationum litteris metiri volunt. Quis enim ſibi tam iniquus ſit, ut, quod plantare incepit, non etiam creſcere, ac incrementa accipere cupiat?

b

Nec non & crucis argenteæ pars anterior:

XLV. Crucis argenteæ pars directa longitudinem æquat trium pedum & unius pollicis, pars vero transverſa ad decem pollices exten-

a) Diploma hoc edimus l. c. n. VI. Confer. quoque Haselbach. l. c. col. 790. a. b.

b) Confer Steyerer. loc. cit. in Addit.

Tab. XXII. tenditur. In antica parte crucis ſignum minus ſuperiacet, longitudine quatuor pollicum, cui affixa eſt imago Liberatoris humani generis, Domini noſtri Iesu Christi. In ea parte incluſa eſt particula veræ crucis ſalutiferæ. Utraque crux, minor pariter ac maior, ſingulis quatuor angulis, magna gemmarum & unionum vi exornantur Ad imum tres ſunt imagines, ex ſolido fictæ argento, quibus 1. S. Paulus. 2. S. Dionysius. 3. S. Maurus, Dux Britanniæ, repræſentatur. Pes crucis quadratus eſt, omni verſu ſex pollices latus, in quo cum quatuor gemmis, variisque ornamentis ex encauſto hiſtoriæ ſacræ exhibentur: ut Salutatio Angelica, Christi Natalitia, Purificatio & obitus Beatiſſimæ Virginis Deiparæ.

Ac poſterior. XLVI. Pars crucis poſterior nullis ornatur gemmis. In medio autem ſpectatur B. Mariæ Virginis imago, cui ſubiiciuntur inſignia *Auſtriæ*, impoſita galea cum pennis pavoninis. Aliquanto inferius ſtat vir ætate gravis, ſtolatus, elatam crucem ſuſtinens, cui circumſcribitur huiusmodi titulus: OTTO DUX AUSTRIÆ ET STYRIÆ FUNDATOR NOVI MONTIS HANC CRUCEM EIDEM MONASTERIO COMPARAVIT. Ubi titulus *Carinthiæ* omiſſus, fundamentum præbet opinandi, crucem hanc ante dictum an. MCCCXXXV. fabrefactam fuiſſe. Huic ſubiecta ſunt inſignia *Styriæ*. Quatuor angulis interioribus adhærent mediæ imagines quatuor Evangeliſtarum. Exteriores angulos argumenta ſacra, hiſtoriam Servatoris, noſtri cauſſa mortem paſſi, exponentia, ex encauſto conflata, ornant. Suſtentaculo quoque ſignum Divi Petri Apoſtoli adhærere cernitur.

INSCRIPTIONES.

Inſcriptio I. de Ottonis fundatione. XLVII. In exhedrio, ſeu *Domo*, quam vocant, *Capituli*, dicti monaſterii *Neo-Bergenſis* aſſervatur alia tabula, ad cornu Evangelii ſuſpenſa, ſic ſatis longam factæ fundationis eiusdem cœnobii, nec non de obitu & ſepultura Ottonis noſtri recenſionem, pergameno inſcriptam, complectens, in hæc verba:

ANNO DOMINI M.CCC.XXVII.
ILLUSTRIS DOMINUS PRINCEPS OTTO
DUX AUSTRIÆ STYRIÆ CARINTHIÆ ET CARNIOLIÆ &c. DISPENSATIONE HABITA SUPER COGNATIONE CARNALI INTER SE, ET CONSORTEM SUAM DOMINAM ELISABETHAM DE BAVARIA, QUIA EI IN TERTIA CONSANGUINITATIS LINEA COHOEREBAT, MONASTERIUM FUNDARE DISPOSUIT PROPTER ILLICITAM CONIUGII COMMIXTURAM, SED DISPENSATIONE HABITA, IAM LICITAM, CUMQUE EODEM ANNO SIBI PRIMOGENITUS FILIUS FRIDERICUS IN DIE S. SCHOLASTICÆ NATUS ESSET, ABBATES, ET PATRES CISTERCIENSIUM ORDINIS DE S. CRUCE, ET ALIOS PERQUIRENS IN LOCO APTO SUPER MYRTZAM FLUVIUM IN STYRIA, MONTIBUS, VALLIBUS,

BUS, RIVIS, PRATIS, PASCUIS ET NEMORIBUS DECORATO, SUUM PROPOSITUM EST EXORSUS. IPSUM QUOQUE LOCUM INITIATUM IN LAUDEM B. V. MARIÆ NOVUM MONTEM CENSUIT APPELLANDUM, QUEM DIVERSIS ET MULTIS PRÆDIIS PRO SUSTENTACULO VICTUALIUM, IN TEMPORALIBUS, ET MAGNIS LIBERTATIBUS, ET AD CULTUM DEI VARIIS ORNATIBUS COMMUNIVIT. QUÆ SUA FUERANT, OBTULIT: QUÆ ALIORUM RECOMPENSA DIGNI PRECII COMMUTAVIT, SPECIALITER CUM QUODAM BERNHARDO, CUIUS AREA IPSA COMMUTATIONEM FECIT, SICUT DAVID CUM JEBUSEO AREUNA.

Tab. XXII.

XLVIII. Hoc epigramma, exceptis paucis aut librariorum, aut typothetarum ſphalmatibus, ad verbum ex Anonymo *Leobienſi* expreſſum eſt. a) Is vero etſi OTTONI noſtro ætate æqualis fuerit, dubium tamen non eſt, quin in eo, quod de conſanguinitate inter ambos coniuges memorat, deceptus fuerit. Non enim conſanguinitate, ſed affinitate duntaxat, & quidem non tertio, ſed gradu ſecundo, ut ſequens ſchema edocet, coniuncti erant:

Quæ tamen notatur. a

RUDOLPHUS I. R. R. — HENRICUS Dux *Bav.* Infer.

ALBERTUS I. R. R. CATHARINA, — OTTO Dux *Bav.* Ux. CATHARINA RUD. I. Fil. — STEPHANUS Dux *Bav.*

OTTO *Hilaris*, Dux *Auſtr.* — ELISABETHA. Marit. OTTO *Hilaris* D. *Auſt.*

XLIX. SPENERUS b) equidem dictam ELISABETHAM, filiam, non STEPHANI Ducis Inferioris *Bavariæ*, ſed STEPHANI alterius, cognomento *Fibulati*, facit: at procul dubio lapſu memoriæ, ac contra auctorum ſynchronorum fidem. Contradicit quoque temporum ratio. Cum enim FRIDERICUS, OTTONIS noſtri filius, iam tum anno MCCCXXVII. in feſto S. SCOLASTICÆ, ſeu decimo *Februarii*, ut diximus, natus ſit: STEPHANI contra *Fibulati* parens, LUDOVICUS *Bavarus* Imp. hanc lucem an. MCCLXXXVII. aſpexerit; ſequeretur: ut hic anno ætatis nono & triceſimo proavus fuiſſet, id quod per naturæ leges interdictum eſt.

Uti & SPENERI error expungitur. b

L. Quod præterea de conſanguinitate, ſeu, ut nos computamus, affinitate, cum *Leobienſi* refert auctor inſcriptionis: eam videlicet cauſſam & occaſionem dediſſe conſtruendi monaſterii, id nec ſuffragio, quoad nobis conſtat, auctoris alterius, nec fundationis diplomate roboratur. Equidem nos haud fugit: S. *Romano*-Catholicæ Eccleſiæ uſu introductum eſſe, ut, dum affinitate aut ſanguine iunctis poteſtatem nubendi facit, opus aliquod pietatis, ab impetrantibus peragendum, ſubſtituat. At ſi OTTONI ob ſecundum affinitatis gradum monaſterium condendum fuit: quid non facere debuerat, ob contractum conſanguinitatis vinculum in gradu, quem vo-

An OTTO cum onere conſtruendi monaſterii poteſtatem in matrimonio perſeverandi obtinuerit?

a) Loc. cit. col. 928. a. b.

b) In Sylloge p. 265.

vocant, tertio ad ſecundum? quippe cum id temporis conſanguinitas matrimonia in ſeptimum adhuc gradum impediret. Demus igitur hoc pietati Principis, qua potius, quam ulla alia re, motum credamus, ut ad maiorem præprimis Dei gloriam, cœnobium illud conſtitueret: quanquam & dictam affinitatem inter cauſſas ſecundarias ponendam eſſe, temere negandum haud ſit.

Altera Inſcriptio de obitu & ſepultura OTTONIS.

LI. Altera inſcriptio ad OTTONEM quidem mortuum potius, quam vivum pertinet; at cum in una eademque tabula extet, ei hic locum facile conceſſimus. Eſt autem huiusmodi:

ANNO CHRISTI NATI M. CCC. XXXIX. DUX OTTO A CIVITATE GRÆCIO STYRIÆ DEBILIS IN AUSTRIAM EST PERLATUS, MORBO ITAQUE INVALESCENTE AD PRÆLIUM MORTIS SACRAMENTORUM SUSCEPTIONE, DEVOTA CONFESSIONE, ET GLORIOSI TESTAMENTI DISPOSITIONE SE ARMAVIT FIDELITER, EXECUTORES NOBILEM VIRUM DE PHAMBERCHET, ET UDALRICUM DE BERGAU CUM CONSTRUCTIONE FIDEI DEPUTAVIT, ET CONFORTATUS EST IN SPIRITU LIBERTATIS, ATQUE SECURITATE CONSCIENTIÆ ULTERIUS SE NON DILIGERE VITAM ISTAM, NEC VELLE DE COETERO SUPERESSE, VOCE LIBERA TESTABATUR, ET COMMENDATIS DUOBUS FILIIS FRIDERICO, ET LEOPOLDO, TOTA TERRA, POPULIS ET FAMILIA SUA FRATRI SUO ALBERTO X. QUARTO CALEN. MARTII TRANSIIT, ET APUT FRATRES AUGUSTINENSES SOLENNIBUS EXEQUIIS TUMULATUR. DEINDE NON POST LONGUM TEMPORIS RELIGIOSUS QUIDAM CARTHUSIENSIS VISIONEM SIBI DIVINITUS OSTENSAM DETULIT AD ALBERTUM, QUA INDICAVIT PURGATIONI EIUS COMPETERE OMNINO, SI SINE MORA AD LOCUM IPSIUS FUNDATIONIS TRANSPORTARETUR, SCILICET AD MONASTERIUM NOVI MONTIS, QUOD ET FACTUM EST CUM DEVOTO, QUI AD HOC REQUIRITUR, APPARATU.

Hæc quoque inſcriptio ex ſæpius laudato Anonymo *Leobienſi* a) excerpta eſt: lectionibus tamen nonnihil variantibus, quarum præcipuæ ſunt, quod Anonymus legat: *nobilem virum de Pfannberg* ULRICUM; melius utique, quam *Phamberchet*, ut habet inſcriptio. Occurrit enim ULRICUS Comes de *Pfannenberch* in charta quadam apud Cl. STEYERERUM b) anno MCCCXLVI. tanquam teſtis; itemque in alia anni MCCCL. in *Genealogia diplomatica*, c) quin frequens de eo tanquam *Auſtriæ Marſchalco* mentio fit ab eius temporis Scriptoribus. Altera varietas diem OTTONIS emortualem concernit, quem rectius in hac tabula, quam adducto Anonymi *Leobienſis* loco referri, ſuperius notavimus.

Tertia inſcriptio de eodem OTTONE.

LII. In eiusdem monaſterii eccleſia ad aram Beatiſſimæ Virginis affixa eſt, aut olim affixa erat, tabula, ſequentia referens:

ANNO DOMINI MILLESIMO CCCXXV.
DN'S OTTO PRINCEPS ET DUX AUSTRIÆ
ET STYRIÆ DIVINA PRÆVENTUS GRATIA
FUNDAVIT, CONSTRUXIT ET DOTAVIT
HOC MONASTERIUM IN NOVO MONTE

ORDI-

a) Loc. cit. col. 955. c.
b) L. c. in addit. col. 57.
c) Vol. III. p. 681.

ORDINIS CISTERCIENSIS IN HONOREM
SANCTÆ MARIÆ ET OMNIUM SANCTO-
RUM IN PERPETUAM SUI MEMORIAM,
ET IN REMEDIUM PROGENITORUM
SUORUM ET HÆREDUM.

Variantes notæ chronologicæ conciliantur.

LIII. Differt huius inſcriptionis nota chronologica a reliquis eiusdem cœnobii monumentis, ac præcipue a diplomate fundationis, annis duobus. Hoc autem veritati haud derogare, ſuperius in ALBERTO I. vidimus. a) Sæpius nimirum contigiſſe, advertendum eſt, ut monaſteriis conſtruendis uno, aut pluribus ante annis manus admoveretur, quam litteræ fundationis expedirentur. Quidquid igitur dicat *Leobienſis*, &, qui eum exſcripſit, auctor ſuperius adducti epigrammatis, locum monaſterio aptum anno primum MCCCXXVII. quæſitum fuiſſe: nos huic inſcriptioni, quam ceteris vetuſtiorem eſſe, minime dubitamus, fidem tanto lubentius adſtruimus; quod eidem ſuffragetur auctor chronici *Clauſtro-Neoburgenſis* coævus. b) Quando igitur origines huius monaſterii alii ad annum ſeculi quarti decimi XXV. referunt, alii ad XXVII. trahunt, exiſtimamdum erit: hos auctoritate diplomatis niti: ceteros ad illud momentum temporis, quo opus omnium primo inceptum eſt, reſpexiſſe.

CAPUT VI.

ALBERTUS II. SAPIENS
CUM CONIUGE
IOANNA PHERRETANA.

§. I.

Breviarium vitæ.

ALBERTUS II. a corporis vitio *Contractus* ab inſita menti præſtantia, rerumque gerendarum uſu cognomento *Sapiens* dictus, inter filios ALBERTI I. quorum quidem nomina ad poſterorum memoriam transmiſſa fuerunt, quartum locum occupat. Natus enim anno MCCXCVIII. menſe *Decembri*, LEOPOLDUM inter & HENRICUM medius erat: ſed a nobis in hunc usque locum dilatus; quod fratribus ſuis, liberisque eorum extinctis, eidem obtigerit, tam eſſe felici, ut gentem ſuam, tot, tantosque deinceps heroes, ingenti *Germaniæ*, quin & totius orbis Chriſtiani commodo, parituram, ſolus propagaret. Erat quoque & eo nomine beatus, ut quemadmodum prudentia, & regendi arte ceteros fratres omnes, ita & diuturnitate vitæ ſuperaret, eandem cum morte commutans anno primum MCCCLVIII. XIII. Kal. *Auguſti*: ab anno eius ſeculi triceſimo integra valetudine nunquam uſus. Thori ſociam IOANNAM, ampliſſimi PHERRETANI Comitatus here-

a) Pag. 34. §. XXXII. ſeq.

b) Loc. cit. col. 486. b.

redem, ſuæque gentis ultimam, ſibi anno MCCCXXIV. *Baſileæ* iungens, *Auſtriacorum* in iis terris ditiones haud parum auxit. Ea poſt multorum annorum ſterilitatem RUDOLPHUM primo, deinde & alios liberos cum genuiſſet, anno MCCCLI. ad plures abiit.

Nec non & annus natalis ALBERTI, fratrumque illius.

II. Diximus, ALBERTUM anno MCCXCVIII. menſe *Decembri* prognatum fuiſſe, id quod nullius ex antiquis Scriptoribus (ut qui de die & anno natali eius altum ſilent) auctoritate; ſed rationibus & argumentis a Cl. STEYERERO congeſtis: a) quibus rem, noſtro quidem iudicio, extra controverſiam poſuit, aſſerimus. Similiter autem & ceterorm fratrum, poſt hunc noſtrum in lucem editorum, anni natales ab iisdem auctoribus conſtanter reticentur. Eos proinde, ut fidem, ſupra cap. V. §. XVI. p. 54. datam, ſolvamus, breviter, quoad eius fieri poteſt, indicare animus eſt. Quod etſi loco nonnihil alieno; utpote quod res pene exciderit, ſuſcipiamus: ſperamus tamen, nos ſuum operæ pretium facturos. In eam autem rem opportune occurrunt litteræ *feudales* HENRICI Abbatis *Fuldenſis* apud Cl. D. SCHANNATUM, b) quibus *Magnificis Principibus Dominis* RUDOLPHO, FRIDERICO, LUPOLDO, ALBERTO, HENRICO, MEINHARDO & OTTONI *Fratribus, Ducibus Auſtriæ, univerſa bona & homines, a nobis & a noſtra Fuldenſi Eccleſia feudaliter deſcendentia & deſcendentes, eo iure, ſicut quondam* HEINRICUS *Marchio de Burgowe habuit*, titulo fiduciario tribuit. *Datum anno Domini MCCCI. in die beati* DIONYSII *Martyris.* Enimvero poſito ſemel, quo de nemo facile dubitabit, ALBERTUM hunc noſtrum dicto anno MCCXCVIII. menſe *Decembri* natum fuiſſe, ex adducto diplomate recte inferimus: HENRICUM anno MCCXCIX. iam bene adulto, nec niſi ſub finem menſis *Octobris*: MEINHARDUM anno ſeculari MCCC. circa menſem *Septembrem*, ac OTTONEM denique anno MCCCI. menſe *Iulio*, aut *Auguſto*, aut ſaltem ante diem S. DIONYSIO ſacrum, ſeu nonum *Octobris*, in hanc lucem veniſſe. Hoc enim niſi ſtatuamus, procreationi trium reliquorum fratrum, HEINRICI, MEINHARDI & OTTONIS, temporis ſpatium, a naturæ legibus præſcriptum, nulla ratione aſſignare poterimus; utpote cum fixo ad certum annum & menſem natali ALBERTI, qui reſpectu fratrum ſe ſequentium ætate maior erat, dictoque diplomate inter ſe collatis, ceteros non niſi anguſtiſſimo temporis ſpatio, quod intra menſem *Decembrem* anni 1298. & *Octobrem* anni 1301. excurrebat, vitæ ſuæ lumen adiiſſe, neceſſe ſit. Verum quidem eſt, nobis dictum HENRICI diploma aliquando c) ſubleſtæ fidei viſum fuiſſe; ſed illo nunc ad accuratiorem trutinam expenſo, nihil admodum obſtare animadvertimus, quin plena eidem ab omnibus tribuatur auctoritas; maxime cum loco citato num. IX. laudatus SCHANNATUS inſtrumentum aliud, idque ex au-

a) In ALBERT. II. p. 1. & in addit. ad eund. col. 4. ſeqq.

b) Clientelæ *Fuldenſ.* probat. p. 197. n. VIII.

c) Geneal. Dipl. T. I. cap. III. n. IV. p. 215.

authentico exceptum, produxerit, quod prius illud egregie confirmat, quemadmodum ei, qui utrumque contendere voluerit, manifeſtum fiet.

Pictura ALBERTUM II. eiusque uxorem cum liberis exhibens. TAB. XXIII. N. I.

III. Præcipua & fere unica ALBERTI II. monumenta Carthuſia *Gemnicenſis* ſervavit, quæ vulgo *Gammingen* vocata, in *Auſtria inferiori*, quatuor circiter milliaribus a Celeberr. Monaſterio *Mellicenſi* inter iuga montium, *Styriæ* obiecta, haud longe a fluvio *Erla* ſita eſt. Conſtituit eam anno MCCCXXX. ex voto, quod occaſione belli, a FRIDERICO *Pulchro*, cum LUDOVICO *Bavaro* de ſumma Imperii certante, geſti, unacum fratre OTTONE iam anno MCCCXXII. ſuſceperat. Monaſterii huius origines, ac progreſſus, accurate admodum deſcripſit inſignis rerum, ad ALBERTUM noſtrum pertinentium, promuscondus Cl. STEYERERUS, diplomata fundationis, & quidquid hiſtoriam illuſtrare ac roborare poteſt, larga manu in medium proferens. a) In feneſtris itaque cœnaculi huius monaſterii monumentum conſpicitur, a nobis hoc loco productum. Superius grandiuscule depicta imago Chriſti eſt, de cruce pendentis, a nobis ſpatii cauſſa hic omiſſa. Sub dextro latere cum duobus filiis Dux ipſe, tenſis ad cœlum, ſeu potius Servatorem, e cruce pendentem verſus, manibus, in genua ſubmiſſus: ſiniſtrorſum vero uxor eius, ac duæ filiæ, manibus perinde ſublatis, provolvuntur: media intercedunt inſignia *Auſtriaca* & *Pherretana*. Picturæ genus, pro ætate, ineptum: ceterum cultus inſolentia & colores veſtium notabiles. Fundus tabulæ violacei eſt coloris. ALBERTUS parens & filii loricis hamatis, ſeu implicato ferro ductis, induti: femora ac tibias ferro ſolido, ſeu cataphracta, muniti: tegumento ſeu ſago tenui, rubro ac coccineo colore diſtincta, induuntur; gentilitiam ſcilicet, pro more illorum temporum, teſſeram referente. Iidem filii galeis obteguntur. Caſſis autem ALBERTI, impoſita corona, cui explicata pavonis cauda imponitur, in tergum illius reclinatur.

Pugionis ſpecies, *misericordia* dicta.

IV. Siniſtro lateri enſis, dextro ſica *miſericordiæ* adſtringitur, cuius nominis rationem FALCETUS apud DUCANGIUM in Gloſſario mediæ & infimæ latinitatis affert: b) quod ſcilicet milites ſeu equites eiusmodi pugione, quo ad dextrum accingebantur latus, proſtratos hoſtes, ad miſericordiam victoris implorandam adigerent. Unde apud eundem GAUFFREDUS *Voſienſis* Lib. I. Chron. cap. 44. ait: *Cumque ſe ad muli pedes inclinaret, abſtracto Burgenſis gladio, qui Miſericordia vocatur, crudeliter Militi infixit.* Et LAMBERTUS *Ardenſis: Manus in eum iniecerunt, & extractis ſpatulis, ſive Miſericordiis, immiſericordiſſimi eum immiſericorditer* iugularunt. Itemque charta Communiæ *Atrebatenſis* anno 1211. §. 10. *Quicun-*

a) In ALBERTO II. p. 2. ad annum 1330. & in addit. p. 26. ſeqq.

b) Conf. quoque P. DANIEL hiſt. milit. tom. I. lib. VI. c. IV. p. 415.

Tab. XXIII. *cunque cultellum cum cuſpide, vel curtam ſpatulam, vel* MISERICORDIAM, *vel aliqua arma multritoria portaverit &c.*

Barba denuo nutrita.

V. ALBERTUS porro barbam gerit ſat ſpiſſam, cuiusmodi cultum eo tempore iterum in uſum veniſſe, ex nonnullis imaginibus a Cl. P. MONTEFALCONIO editis colligitur. a) Videtur tamen, ea ætate barbam nec omnes, nec ſemper aluiſſe. Apud citatum ſane auctorem IOANNES II. *Bonus*, Rex *Francorum*, modice barbatus exhibetur, b) mox vero imberbis. Barbam quoque gerit ſat prolixam LUDOVICUS *Andegavenſis*, Rex *Ieroſolymæ* & *Siciliæ*, ac plerique alii, in frontiſpicio libri autographi, quo ſtatuta Regii & equeſtris ordinis S. SPIRITUS, ab eo anno MCCCLII. inſtituti, continentur. c) Quem uſum mox invaluiſſe, & in *Germania* iam tum obtinuiſſe, patebit ex ſequentibus.

Icon IOANNÆ, uxoris ALBERTI II.

VI. IOANNA uxor ALBERTI ſpectatur velato capite, erectis manibus, cum tunica cœrulea, ac palla rubra. Manicæ porro cœrulei itidem pigmenti, ſi quis attente conſideraverit, tales dependent, quales nobis, loco ſupra excitato, deſcriptas dedit Anonymus *Leobienſis.* Filiarum cultus veſtimentorum viridis atque cœruleus, ac velleribus muris *Pontici* ſuffultus: præcincturæ ſeu zonæ flavæ. Singulæ denique veſtes ita variegatæ ſunt, ut in area rubra faſciam *Auſtriacam* præferant. *Pherretana* inſigna, a ſiniſtris locata, ſunt duo piſces aurei in area coccinea.

Cuius inſcriptio emendatur, eique æra additur.

VII. Inſcriptionem denique, ſuperne poſitam, rudis vitri pictor ſic expreſſit: ALBERTUS. TUX. AUSTR. STIRIE, ET BARITHI IOHANA. DUCISSA. AUSTR. STIRIE. ET BARITHI. nonnullis videlicet litteris, ſub lineis illis rectis, quibus pictura in partes diſtinguitur, latentibus. Scribendum autem fuerat: ALBERTUS *Dux Auſtriæ Styriæ & Carinthiæ*, niſi quis forte pro *Barithi*, *Pherrethi* legendum putet, ita ut integra lectio: *Dux Auſtriæ Styriæ & Comes Pherrethi* emergeret. At prior lectio præplacet: non ſolum propter faciliorem, quem litterarum poſitus ultro offert, emendandi modum, ſed & quod cum ætate tabulæ magis congruat: quam quippe intra annos MCCCXLVII. & MCCCXLIX. reponendam eſſe, ex liberorum, ibi adumbratorum, numero iudicamus. Conſtat enim, ALBERTO quatuor omnino filios, duasque filias fuiſſe. Primus inter illos RUDOLPHUS anno MCCCXXXIX. poſt annorum decem & quinque ſterilitatis tœdium in lucem editus eſt: alter FRIDERICUS anno MCCCXLVII. tertius ALBERTUS anno MCCCXLIX. Et tandem LEOPOLDUS *Probus* anno MCCCLI. Binas quoque ei filias fuiſſe, quarum altera CATHARINA nomine, anno MCCCXLII. altera MARGARITHA anno MCCCLXVI. in hanc vitam venerunt. Cum ergo liberorum quaternio hic tantum appareat; ſignum eſt: reli-

a) Monum. de la Mon. *Franc.* tom. II. pag. 324. ad. tab. LV.

b) Ibid. tab. LVII. ſeqq.

c) Ibid. tab. LIX.

reliquos tum nondum fuiſſe natos, id quod ante annum MCCCXLIX. verum erat, ſecus poſt illum. Hinc concludendum: hac nobis pictura præter parentes, RUDOLPHUM IV. & FRIDERICUM III. filios, eorumque ſorores repræſentari; adeoque tabulam hanc intra dictos annos MCCCXLVII. & XLIX. poſitam fuiſſe.

Tab. XXIII.

VIII. Nec dicas: cum arma, tum ſtaturæ proceritatem ætati Principum, binos tresque annos natorum, parum congruere. Etenim cum Cl. MONTEFALCONIO obſervare hic liceat: a) cum priſcis temporibus, tum ea etiam, quam Duces iſti vixerunt, ætate, frequenter accidiſſe, ut pueros trium vel quatuor annorum, tanquam grandis ſtaturæ iuvenes, quin parvulos quinque & quatuor dierum tanquam nonnihil adultos repræſentarent. Quod ſi tamen quis contendere vellet, vitrum, LEOPOLDO & ALBERTO adhuc in cunis vagientibus, confectum fuiſſe, cum hoc utique non longum nobis certamen foret, dummodo ætas tabulæ non nimium retrahatur. Alias enim vix ratio aliqua dari poterit, cur RUDOLPHO & FRIDERICO depictis, ſuus reliquis, ſi vixiſſent, locus negatus fuiſſet.

Solvitur obiectio. a

IX. Plus dignitatis ineſt ſtatuis ALBERTI, coniugisque eius, quas ad templi *Gemnicenſis* propylæum contemplari datur. Marmore exſculptæ ſunt, ALBERTO dextrum, IOANNA ſiniſtrum ſtatum tenente. At vero quanto in his, quam prædictis figuris, ars melior, tanto ſcilicet ad CCC. annos inferior. Superius enim in medio intervallo anni deſignatur nota MDCXXXI. veſtiumque cultus ad noſtram ætatem propius accedit. Ipſe Dux loricatus comparet, cum ſago contractiore, quod per medium religatur: faſcia lata de humero dextro ad latus ſiniſtrum demiſſa, abinde retro fluitat. Gladio accinctus, læva ſceptrum tenet, ſubligato lateri dextro, gladiolo *Miſericordiæ* qualem in præcedenti quoque imagine obſervavimus. Dextro pedi adpoſitus eſt pileus Ducalis: ſiniſtrum attingit clauſa caſſis cum criſta. In parte muri ſuperiori hinc inde inſignia patent *Auſtriaca* & *Pherretana* cum ſuperpoſitis utrinque coronis. Medium ſub chronicis memorati anni notis ſcutulum occupat bipartitum, in cuius dextra parte faſcia *Auſtriaca*, in ſiniſtra ſigla G. quæ ſine dubio *Gemnicum* indigitat, adſcribitur. IOANNA præbetur cum velo, de capite per ora defluente, ac dextra manu globulos precatorios tractans. Palla quidem, paullo infra poplites demiſſa, murium *Ponticorum* pellibus ſpectabilis eſt.

Statuæ ALBERTI II. eiusque uxoris IOANNÆ. N. 2.

X. Eiusdem Ducis ſtatua, ad ſeptem pedum proceritatem ex ære ducta, templum Palatii *Oenipontani* inter ceteras, ibi conſpiciendas, ſuperbit. Stat ALBERTUS adverſa fronte totus quantus armatus, dextra extenta, & ad tenendam certis temporibus tædam compoſita, ſiniſtram demiſſam ad femur reducens. Quæ capiti caſſis imponitur, corolla faſtigiata eſt: genæ, collum, humeri monumentis,

Eiusdem Ducis ſtatua ex ære. N. 3.

a) Monum. *Franc.* tom. II. p. 160. & 162. item p. 238.

TAB. XXIII. tis, quaſi ex ferro factis, obtecti. Aureus, gemmeoque ornamento phaleratus de collo torques dependet; aliusque infra hunc, per humeros transverſus, oram loricæ ſuperioris incingit. Maius autem munimentum corporis ſeu lorica inferior cum ſuccinctorio expanſis conſperſa aquilis (quibus forte ad digma *Auſtriacum* vetus reſpicitur) aliisque decorationibus exculta eſt. Subiecta inſcriptio nomen ortumque Ducis enarrat, tum etiam tempus perfecti operis. Latine reddita ſic ſonat: ALBERTUS SAPIENS ARCHIDUX AUSTRIÆ, FILIUS REGIS ALBERTI TRIUMPHATORIS. 1528. Ubi facile advertes, a ſtatuario vocabulum *Archiducis* adſcribi, quamvis id ætatis nondum cognitum. Deinde ex æra CHRISTI ætatem ſigni colligas.

Eius corporis ac oris habitus.

XI. Corporis, qui Principi noſtro fuerit ſtatus, ſi quis requirat, GUILLIMANNUS apud STEYERERUM a) audiendus eſt, qui eum *ſevero & maieſtatis pleno vultu* fuiſſe perſcribit: vocem vultumque gravem HAGENUS tribuit: b) iocos tamen & facetias haud quaquam aſpernatum, uterque teſtatur: quin & IOANNÆ uxoris lepore ſubinde captum, quæ *Germanicam* gravitatem *Gallica* urbanitate incredibili manſuetudine miſcere noverit, idem aſſerit GUILLIMANNUS. Membris præterea a die octavo *Kal. Aprilis* anni MCCCXXX. ad ſupremum uſque halitum, captum fuiſſe, ita ut ſella geſtatoria, ſeu eſſeda circumferri debuerit, plerique loquuntur ceteri. Feſtive de eo Anonymus *Leobienſis*: IOANNES *Rex Bohemiæ*, inquit, ALBERTUM *Ducem affatur*, *querulans filii ſui* (ob Comitatum ſcilicet *Tyrolenſem* unacum uxore MARGARITHA *Maultaſchia* illi ereptum) *cauſam*: *& dum in conclavi hic pene cæcus, alter membrorum non compos, ſermocinium facerent* (notandus hic locus mutilus) *ſuperque finito colloquio Rex ut exiret, parietem palpitavit, non valens oſtium reperire. Dux Regem de oſtio informans, cæcutienti non valuit ſubvenire, quousque utriusque* (famuli) *iocundo ridiculo præ foribus reſidentes oſtium aperirent.* c) Ubinam id factum ſit, non addit auctor, *Wiennæ* tamen anno MCCCXLII. obtigiſſe, ex ſæpius laudato STEYERERO diſcimus. d)

Statua IOANNÆ ux. ALBERTI II. N. 4.

XII. Non maiorem præcedenti ætatem ſapit ſtatua præſens, a *Franciſco* TERTIO producta, IOANNAM uxorem referens. Cuius cultus etſi maximam partem ex pictoris ingenio confictus, & ad ætatem inferiorem accomodatus ſit: confert tamen ad memoriam veſtitus, in *Germania* ſeculo XV. & XVI. obtinentis. Quamvis porro tam *Oenipontana* ſtatua, quam hæc TERTII figura binis prioribus, de quibus diximus, antiquitate inferiores ſint, ea tamen, ut cetera huiusmodi monumenta, merito ſuſpicienda, ac ALBERTO minime indigna putamus. Elogium ſubiecit TERTIUS, quo IOANNAM religionis cauſſa *Romam* profectam, ac ſummum Pontificem IOAN-

a) In Commentario pro hiſtoria ALBERTI II. p. 15.
b) Loc. cit. col. 1143. b.
c) Anonym. *Leob.* loc. cit. col. 961. b. c.
d) Loc. cit. in Commentario pag. 6. ad d. a.

IOANNEM *Latino* ſermone allocutam fuiſſe perhibet. Factum id eſt anno MCCCXLV. At vero iter non *Romam* verſus, ſed *Avenionem*: nec ad S. Pontificem IOANNEM, ſed CLEMENTEM VI. ibi tunc ſedentem: neque *religionis*, ſed negotii cauſſa ſuſcepit, ut id perſpicue docet Cl. STEYERERUS, a) qui & Principis in Latiniſmo peritiam merito inter dubia, quin & fabuloſa, eodem loco reiicit.

INSCRIPTIONES.

Inſcriptio I. *Gemnicenſis* de ALBERTO II. Duce *Auſtr.*

XIII. In Eccleſia *Gemnicenſi* poſt aram maximam tabula proſtat cum hac inſcriptione:

In nomine Domini noſtri IESU CHRISTI *Amen. Anno Domini milleſimo* CCCXXXII. *Idus Auguſti Illuſtris Princeps* ALBERTUS *Dux Auſtrie Styrie & Carinthie, monaſterii huius lapidem primarium in fundamento locavit. Quod videlicet monaſterium quondam frater eius Dux* LEOPOLDUS *una cum ipſo de beneplacito magnificorum Principum fratrum ſuorum* FRIDERICI *Regis Romanorum*, HENRICI, OTTONIS, *Ducum Auſtrie in honore glorioſe ſemper Virginis* MARIE *uno animo, parique conſenſu fundandum ſpoponderat. Anno autem ab incarnatione Domini milleſimo* CCCXLII. *III. Idus Octobris Venerabilis pater Dominus* CONRADUS *Epiſcopus Gurcenſis, preſentibus aliis duobus Epiſcopis, hanc Eccleſiam in honorem ſupradicte Virginis conſecrans, a qua & nomen ſcilicet* THRONUS S. MARIE *ſortitur, ſimul altare hoc ſummum in laudem & gloriam eiusdem Virginis, & Corporis* CHRISTI, *& ſancti* THOME *Martyris & Epiſcopi Cantuarienſis, ſolenniter dedicavit. Reconſecratum eſt Altare Nonis Iulii anno LIII. a Domino* NICOLAO *Epiſcopo Marcopol. de Ordine Predicatorum Patavienſ. Dioceſis ſuffraganeo. In quo Sanctorum reliquie recondite ſunt infra ſcripte.* Sequitur index reliquiarum. 1457. Deſcriptum MDCXXIX.

Illuſtratur.

XIV. Hanc inſcriptionem mox excitatus Cl. STEYERERUS quoque producit, b) eidem illuſtrandæ ex epiſtola *R. P. Leopoldi* WIDEMANN, Carthuſiani *Gemnicenſis*, hæc ſubiiciens: „ Tabula „ hæc iterum reperta, & poſt altare eſt collocata. Deſcripta qui„ dem dicitur Anno 1629. ſed nota: In eadem antiquo & veteri „ charactere adhuc exprimi annum ita 187Λ. unde an recentior „ manus characterem veterem imitata ſit, vel antiqua tabula reman„ ſerit, non facile dicam, multis enim hinc inde locis obſervo, li„ teras vetuſtas evanuiſſe. Si tabulæ mutatio facta eſt, eam anno „ 1457. ſuaſit, imo urſit, nova conſecratio ſummi altaris, qua„ driennio ante facta; eo quod ſtructura novi per totam Eccleſiam „ fornicis illo tempore ſuſcepta fuerit; multo enim, id eſt tribus „ orgiis, altior erat eccleſia a fundationis initio, quam nunc ſit: „ &

a) In ſæpe cit. addit. col. 241.

b) Ibidem col. 39.

„ & hinc, quia difficilior cantus erat, fornix humilior in cantan-
„ tium commoditatem, infra antiquum fornicem, qui etiamnum
„ manet, fuit erectus. Nec dubitare licet, quin Scriptor tabulæ
„ Anno 1457. illam ex antiquiore fideliter descripserit: & *Recon-*
„ *secrationem* anno 1453. factam ex suo addiderit. „

Et epocha componitur.

XV. Notat subinde STEYERERUS, ex hac inscriptione emendandum esse CZERWENKAM, qui a) primum in fundamenta lapidem anno MCCCXXX. pridie Idus sextiles iactum fuisse refert; deceptum tamen litteris *Francisci* STEINZL, Carthusiani *Gemnicensis*, atque adeo ob id excusandum. Eundem errorem erravit quoque Anonymus *Gemnicensis* alius, a Cl. *Hier.* PEZIO in lucem protractus, atque in præfatione ad illum prævia iam iam castigatus, emendatusque. b) Nos tamen utrosque aliquo modo inter se componi posse arbitramur; si, quod superius cap. II. §. XXXII. circa origines monasterii *Regio-Fontani* animadvertimus, idem circa initia Carthusiæ *Gemnicensis* evenisse credamus. Neque enim CZERWENKA sine gravi ratione monuisse putandus est: „ fundationis huius „ annorum seriem ab anno salutis MCCCXXX. ducendam esse; lit- „ teras enim fundationis longe post exaratas fuisse. „ Hoc enim sæpius contigisse, cum loco citato observavimus, tum exemplo simili altero confirmatum ivimus. Potuit etiam fieri, ut alio tempore ecclesiæ, alio autem domorum primus poneretur lapis: at priori opinioni magis insistendum esse, ex adductis fundamentis iudicamus.

Inscriptio II. recens.

XVI. Antiquis inscriptionibus grata Carthusia *Gemnicensis* cum anno MDCCXXXII. Antistitis sui Iubileum, monasterii autem seculum quartum celebraret, novam addidit, in pandectas seculares, ea occasione editas, p. 80. num. IX. relatam, huius sententiæ:

ALBERTO. SAPIENTI. AUSTRIACO.
DUCI. ET. LUCI. PATRIÆ.
PIO. INVICTO. MAGNANIMO.
CUIUS. BENEFICIO. ATQUE. IMPERIO.
SATA. ET. NATA. EST. CARTHUSIA.
OB. PRIMI. FELICIORIS. SECULI. AUSPICIA.
MULTIPLICI. SPLENDORIS. INCREMENTO. ILLUSTRATA.
HUNC. AUREUM. QUARTAE. HECATONTADOS. NUMERUM.
IN. AEVITERNUM. PIETATIS. ET. GLORIAE. MONUMENTUM.
GRATA. FRATRUM. MEMORIA.
CUM. GAUDII. FIDE. NUNCUPAT.

Auctorem hæc inscriptio habet *Io. Car.* NEWENUM, Poetam Laureatum.

CA-

a) Pietat. *Austr.* lib. III. cap. II. p. 371.

b) Loc. sæpe cit. tom. II. col. 371. & 376. b.

CAPUT VII.

RUDOLPHUS IV. MAGNANIMUS,

ET

EIUS UXOR,

NEC NON

FRIDERICUS III. LIBERALIS, RUDOLPHI FRATER.

§. I.

Breviarium vitæ RUDOLPHI.

RUDOLPHUS IV. ALBERTO *Contracto* ex IOANNA *Pherretana* anno MCCCXXXIX. ut diximus, Calendis *Novembris* natus eſt. Princeps erat magno & excelſo animo, adque regimen natus, factusque, ampliando honori Divino, ac promovendis & excolendis litterarum ſtudiis ſingulari prorſus ac incredibili cura incumbens. Teſtantur ea de re cum alia publica opera, tum Academia *Vindobonenſis*, magnis ſumptibus conſtituta, ac præprimis etiam *Collegiata*, quam vocant, nunc autem *Metropolitana* Eccleſia, ab illo in eadem urbe a ſolo fere excitata, ac regiis plane proventibus dotata. Quare & *Fundatoris* & *Magnanimi* agnomen iure meritoque retulit. Nec illud in poſtremis eius laudibus ponendum; quod ſua & induſtria & dexteritate pulcherrimum *Tyrolenſem* Comitatum, & quidquid eo pertinet, Auguſtæ Domui ſuæ feliciter aſſeruerit. Quanquam perfectum eius rei exitum haud videns, *Mediolani* anno MCCCLXV. VI. Cal. *Auguſti* præmatura ac flebili omnibus morte ſublatus fuerit: famam poſt ſe relinquens, quod *Auſtriam*, ſi vixiſſet, vel ad ſummum felicitatis faſtigium evecturus, aut ad incitas redacturus fuiſſet: tantus nempe in eius corpore ſpiritus reſidere credebatur. Liberos ex coniuge CATHARINA, CAROLI IV. Imp. filia, nullos ſuſtulit. Sunt, qui eum præterea MARGARITHÆ *Maultaſchiæ*, HENRICI, Ducis *Carinthiæ* & Comitis *Tyrolis* filiæ, nuptum fuiſſe ſcribant; ſed perperam, ac præter ullam veri ſpeciem. Obiit CATHARINA anno primum MCCCXCV. ſexto Cal. MAIAS, cum ab anno eius ſeculi MCCCXLII. vixiſſet, marito inde ab anno LII. coniuncta.

Eius ſtatua in propilæo templi S. STEPHANI. TAB. XXIV. a

II. Inter plurima, quæ RUDOLPHUS noſter conſtituit, loca ſacra, primæ haud dubie partes debentur Eccleſiæ *Metropolitanæ* S. STEPHANI *Vindobonæ*, ſeu, quod ipſemet nomen tribuerat, *Omnium Sanctorum.* a) Huic fabricæ initium fecit anno MCCCLIX. V. Idus *Martii*: effodiendæ terræ primam ipſe manum admovens, primumque deinde lapidem VII. Id. *Aprilis* in fundamento collocans. Habet ea Eccleſia, e ſolido & quadrato ſaxo conſtructa, quinque portas, quarum princeps vulgo *Gigantea* dicta verſus regionem urbis, quæ *Brandſtat* appellatur, viſenda eſt. Altera, *porta Cantorum dicta*,

a) Vid. Cl. STEYERER. in ALBERTO II. addit. col. 282.

Tab. XXIV.

cta, intrantibus ſuggeſtum prædicatorium recta ante oculos adducit: ac tertia, *porta Sacriſtiæ* vocata, retro illum ſuggeſtum patet. Hæ ambæ fornicibus in modum propylæi contectæ ſunt. Quarta denique ſub turri maxima, & ſuam ad perfectionem deducta, quæ ad templi latus dextrum exſurgit: ac quinta ſub turri imperfecta, quæ ſiniſtro templi lateri adhæret, aperitur. Ex his tres omnino portæ ſtatuis exornatæ ſunt, quarum ſupra tertiæ ianuam interiorem quatuor ſpectantur, quæque in hac tabula medium a dextris locum occupat, Ducem armatum refert, cum pileo Ducali in capite, ac pallio retro fluitante, ſupra cuius fibulam ad humerum ſiniſtrum digma *Auſtriacum* comparet, quod in ſagulo, faſcia lata circumvoluto, repetitur. Templi inſuper ſchema tanquam *Fundator* brachio dextro ſuſtinet, defluente abinde ſchedula, cui mirum eſt, præter conſuetudinem, nihil eſſe inſcriptum. A ſiniſtris gladius, catena ligatus, demittitur, capulo tamen confracto: a dextris vero pugio *Miſericordiæ* pendet, quo de capite præcedenti diximus. Porro arma catenis ideo firmabant, alligabantque, ne facile excuterentur; quod quidem ſummo probro erat, ut alibi obſervavimus. Hoc modo RUDOLPHUS in ſigillis quoque, ſic ubi equo inſidet, armatus comparet. a) Et *Olivarius* VREDIUS etiam plurima profert b) ſigilla: quin & Cl. MONTEFALCONIUS c) plures producit ſtatuas ac imagines, ex quibus hoc armaturæ genus frequenti in uſu fuiſſe, diſcimus.

N. 1. 2. 3. 4.

a b c

Statua CATHARINÆ, eius uxoris, ibidem.

III. A ſiniſtris uxor eius CATHARINA, CAROLI IV. Imp. filia, adſtat, quæ coronam in capite radiatam geſtans, dextraque mariti exemplo ſchedam demittens, ſiniſtra ſceptrum tenuit, quod modo unacum manu confractum & deiectum eſt, prominente duntaxat circa humerum extremitate illius. Palla præterea amicitur oblonga, & ad talos usque defluente, quam anterius colligit: hæc circa humeros ſingulis fibulis nectitur, impreſſa utrinque teſſera *Auſtriaca.* Interiori tunicæ zona lata circumducta eſt, in qua eadem teſſera repetitur: apparent inſuper in eadem tunica tres aquilæ, una ſupra aliam collocata, ornatus potius gratia, quam ut provinciæ aut gentis cuiusdam teſſeram ſuſtineant: niſi dicere velis, aquilam *Moraviæ* hic trinis, quemadmodum faſcia *Auſtriaca* binis vicibus repeti; id quod vero propius eſt. Manicæ denique adſtrictæ & oblongæ ſunt, ita ut partem manuum quoque obtegant.

Telamones, ſeu armigeri, ſcuta gentilitia ferentes.

IV. Utroque ex latere ſinguli armigeri aſſiſtunt. Hinc iuvenis armatus, ac pallio indutus, galeam, cauda pavonina faſtigitatam, efferens, ſcutumque ſuſtinens, in quo iterata *Auſtriæ* & *Pherreti* inſignia, exprimuntur. Illinc arma vir grandævus, prælonga ac diſſoluta veſte indutus, geſtat, quæ alternis vicibus leonem *Bohemicum*, & aquilam *Moraviæ* exhibent: quanquam teſſellæ, quibus aquila, & coronæ, quibus alias tam aquila, quam leo exornari ſolent, in archetypo haud appareant.

V.

a) Conf. tom. huius operis I. tab. VI. & VII.
b) In Geneal. Comitum *Flandriæ* paſſim.
c) Monum. *Franc.* tom. II. ſeq.

V. Obſervatione porro dignum eſt, tam hic num. 1. quam ſubſequenti num 8. *Pherretana* inſignia digniorem in ſcuto locum occupare, quod tamen quisque rerum intelligens imperitia potius, aut oſcitantia ſculptoris, quam data opera factum fuiſſe, arbitrabitur. Qua occaſione memoriæ ſuccurrit, quanta non nulli myſteriola in bullis ſummorum Pontificum, in quibus S. PAULUS a dextris, S. vero PETRUS a ſiniſtris locatur, reperiiſſe ſibi videntur. At illi nodum in ſcirpo quærunt. Quod enim hic contigit, etiam olim *Romæ* contigiſſe potuit, ut ſcilicet inverſus ille ordo non niſi imperitiæ, aut negligentiæ primi ſigillorum ſculptoris adſcribendus ſit, qui ſemel toleratus, poſteris occaſionem præbuit opinandi, uſum hunc data opera ac conſilio introductum fuiſſe.

Quæ male collocata digreſſioni de bullis SS. Pontificum occaſionem dant. TAB. XXIV.

VI. Sub altera porta, cathedræ e regione oppoſita, quatuor aliæ conſpiciuntur ſtatuæ, a prioribus parum diverſæ. Dux, qui ſecundum in medio locum tenet, amiſſo, iniuria temporis, gladio & pugione, dextra ſchema templi ſuſtinet, alterius nonnihil formæ, quam illud in ſtatua priori conſpeximus. Uxor ſceptro hic deſtituta, duabus latis faſciis, in crucis modum commiſſis, multisque teſſeris gentilitiis impreſſis exornatur: in quarum medio galea criſtata comparet, reliquæ hoc ordine collocatæ ſunt: in faſcia longiori & recta ſeu perpendiculari agmen ducit aquila *Moraviæ*, ſequitur in ſecundo laterculo leo *Bohemicus*. Tertia area, octo liliis conſperſa, in archetypo, ut poſt iteratam inſpectionem patuit, ſatis ſuperque perſpicua, ac teſſeræ *Burgundiæ* novæ, quæ ex liliis, ſine numero in campo cœruleo ſparſis, conſtare dicitur, haud abſimilis: at qua ex cauſſa vel occaſione in ſcutum aut Ducis aut coniugis eius recepta ſint: id demum eſt, quod ab aliis edoceri cupimus. Verum quidem eſt, parentem CATHARINÆ, CAROLUM IV. Imp. anno 1365. corona *Burgundica*, ſeu *Arelatenſi*, ſolemni pompa redimitum fuiſſe: ſed quominus horum liliorum originem inde accerſamus, tam multa obſtant, ut tutius ſit, rem totam interim in medio relinqui. Quartam galea, ut diximus, criſtata occupat. Quinta pantheram *Styriæ*, flammas eructantem, ſexta leones *Carinthiæ*, ſeptima pileum *Marchiæ Vinidorum*, & octava denique piſces *Pherretanos* oſtentat. Faſcia transverſa digmate *Auſtriaco*, quater repetito, inſignitur.

Statuæ eorumdem repetitæ, N. 5. 6. 7. 8.

VII. Armigeri num. 5. & 8. ambo armati ſunt, ſcuta tamen inter ſe commutarunt, ita ut nunc iunior ſtemma *Bohemiæ* & *Moraviæ*, ſenex *Auſtriaco-Pherretanum* ſuſtineat. Reliquum diſcrimen admodum leve eſt. Notandum denique, verticem ſupra tegumentum galeæ *Bohemicæ*, tam in hoc, quam priori ſchemate corculis conſperſum & exornatum eſſe; quod ab aliis hactenus animadverſum fuiſſe, haud meminimus.

Cum armigeris.

VIII.

Tertia harum ftatuarum repetitio, TAB. XXIV. N. 9. 10. 11. 12.

VIII. Tertia denique, eaque princeps porta, his ultimis quatuor ftatuis, fuperbit. Quod num. 12. fignatur Ducis fchema, folum & unicum a dextris confpicitur. Id a prioribus leviter differt; nifi quod monftro, leoni fimili, infiftat. Reliquæ tres imagines in finiftro latere fpectantur. Uxor dextra fceptrum, finiftra globum, *Providentiæ* fybolum, tenens, leoni fœminæ infiftere videtur: quoad cetera cum prioribus ftatuis parum difcrepans, nifi quod circa dextrum humerum, ubi pallium eius fibula nectitur, leo *Bohemicus* confpicuus fit; in fafcia vero, quæ a pectore defcendit, digma *Auftriacum* bis compareat, reliquis magnam partem exefis. A dextris fcutiger armatus clypeum *Auftriacum* unacum galea coronata & criftata, a finiftris vero armiger alter fcutum fuftinet, cui crucis imago, digma civitatis *Wiennenfis*, impreffa cernitur.

Statuæ præcedentes omnes ad RUDOLPHUM pertinent,

IX. Non eft dubium, quin hæ ftatuæ fingulæ ad RUDOLPHUM IV. tanquam bafilicæ conditorem reftitutoremque fpectent. Evincunt id non folum digma *Auftriacum*, pifcesque *Pherretani*, fed & maxime *Bohemiæ* & *Moraviæ* infignia, quæ cum Regis *Bohemiæ* filiam indigitent, facile ab uxore ad maritum eius ducitur argumentum. Suffragatur quoque auctor *Fragmenti hiftorici de quatuor* ALBERTIS, a) qui dictam bafilicam a RUDOLPHO IV. *mirifica valde fculptura* decoratam fuiffe, difertis verbis teftatur. Nihil porro convenientius eft, quam publicis in operibus Principum ftatuas, ficubi occurrunt, illorum conditoribus adfcribi.

Quod tamen difficultate haud caret.

X. Sed dices tamen: haud maiorem fubeffe rationem, cur ftatuas fi non omnes, aliquas tamen, easque v. g. num. 6. & 7. nec non num. 10. & 12. pofitas, RUDOLPHO IV. potius, quam ALBERTO *cum trica*, fratri eius, atque uxori CATHARINÆ adfcribamus; quippe quod hic non minus, ac ille, CAROLI IV. gener fuerit; adeoque fi ex infignibus coniugum iudicandum, ob utrarumque arma una eademque, in ancipiti verfari, cuinam attribuantur. Accedit, quod opus a RUDOLPHO quidem inceptum, ab ALBERTO autem *cum trica* perfectum & confummatum fuerit. Qua de re diploma extat fatis luculentum, b) unde tam ALBERTUM, quam LEOPOLDUM *Probum* operis perfectionem an. 1367. in fe recepiffe intelligimus: quanquam maior operis pars ALBERTO potius, quam LEOPOLDO, fecus ac Cl. STEYERERUS exiftimavit, adfcribenda videatur; ut qui ab an. 1378. provinciæ *Auftriæ* maximam partem folus dominatus eft: LEOPOLDO in fuperioribus partibus ceterisque provinciis imperitante. Potuerunt nempe ambo promittere, fed, rebus circumftantibus mutatis, unus exequi. Eft præterea mox citandus auctor *Mirabilium de templo ac turri Vindobonenfi* in ea fententia, ut doceat, fabricam a RUDOLPHO IV. anno 1359. inchoatam, ab ALBERTO III. fummo templi faftigio æquatam, & ab ALBERTO IV. anno 1400. ad apicem fummum, finem-

a) Extat inter fæpe cit. PEZII Scriptores tom. II. col. 383. a. b.

b) In STEYERERI addit. ad ALBERTUM II. col. 281. feq.

nemque perductam. a) Ex quibus sane nedum vero simile, sed & iustum congruumque fuisse videtur, ut non modo RUDOLPHI IV. sed & ALBERTI III. qui opus ad fastigium evexit, honoribus, statua quædam, nec non & uxoris eius, poneretur.

Tab. XXIV. a

XI. Verum enimvero, ut ut hæc suo non destituantur pondere: acceptari tamen ideo nequeunt: quod statuæ illæ, quarum non nullæ saltem non possunt non RUDOLPHO adscribi, non solum inter se simillimæ sint: sed & eadem prorsus vultuum lineamenta, quæ in RUDOLPHI imagine, sepulchro eius imposita, observantur, ex amussi referant, ita, ut peritissimo chalcographo, nuncque sciagraphicæ artis in urbe *Vindobonensi* Professore publico, D. *Salomone* KLEINER attestante, quasi ex una eademque forma fusæ videantur. Quare nisi fortiora suppetant argumenta, pro solis statuis RUDOLPHI, & uxoris eius, standum erit.

Quæ solvitur.

XII. Quod superest, telamo, num. 11. signatus, sigillatim adhuc spectandus est; ut qui urbis *Vindobonensis* digma præseferens, hic velut loco non suo positus videtur. Quid enim CATHARINÆ cum digmate urbis? Sed advertendum est, telamonem hunc neque ad CATHARINÆ statuam, neque coniugis eius, quæ ex adverso posita est, referri posse; quippe quod illa armigero suo haud destituatur: hunc vero suo olim pariter instructum fuisse, vestigia, nempe basis etiamnum superstes, quæ deiecti armigeri indicium est, doceant. Quamquam armiger uxoris ad RUDOLPHUM potius, quam uxorem eius, referendus sit: atque adeo statuarum aliquando loco motarum suspicionem ingerat. Quod si tamen chalcographus RUDOLPHI signum, num. 12. exhibitum, a dextris collocasset, quem locum in turri ipsa occupat, non inepte forte dici posset, scutigerulum hunc ad ipsum spectare.

Armiger urbis *Vindobonensis* sigillatim spectatus.

XIII. Quo vero iure armiger urbis *Vindobonensis* hic locum invenerit? si quis quærat: huic equidem varie, ac inter cetera id cumprimis responderi potest: quod urbs illa haud dubie egregiam ad exstruendam molem contulerit symbolam. Neque enim solius *Vindobonæ*, sed & ceterarum non nullarum provinciarum insignia, lapidibus incisa, ibidem conspiciuntur. *Non unius Viennæ sumptibus hoc opus stetit*; (ait laudatus auctor memorabilium b) *contulere ad ædificium non exiguam pecuniæ summam Provinciæ, quarum supra turris huius portam affixa etiamnum insignia hæc videntur: scilicet Austriæ utriusque, quarum inferiorem unam, alteram supra Anasi ripas positam dicimus, Styriæ dein, ac Archiducum Austriæ gentilitia arma.* Hæc ille: nobis vero, ut hoc obiter moneamus, Cl. D. de SCHWANDNER, cum rogatu nostro statuas hasce iterato inspiceret, in eadem turri supra sacristiam maximam, meridiem versus, scuta sequentia detecta fuisse perscripsit: quorum primum fasciam *Austriacam*, alterum cru-

Cur adsit?

b

a) Titulo v. pag. 24. b) Ibidem.

Tab. XXIV.

crucem *Vindobonenſem*, tertium aquilam, roſtro ſiniſtrorſum converſo, quam *Tyrolenſem* putamus, continet: ac denique ultimo loco ſcutum bipartitum, primo laterculo leones *Carinthiæ*, altero faſciam *Auſtriacam*, inverſo ſcilicet, aut ſaltem inuſitato hodie ordine (cum faſciæ *Auſtriacæ* alias primæ partes debeantur) exhibens.

Alia eius rei ratio.

XIV. Suppetit præterea, eodem Cl. viro monente, ratio pro cauſſa & iure huius telamonis alia, in adminiſtratione proventuum huius eccleſiæ quærenda; nam etſi Auguſtæ genti *ius* in illam *Patronatus* iugiter competat: Magiſtratui tamen, civibusque *Vindobonenſibus* adminiſtrationem rerum temporalium, non ſolum quoad proventus annuos, ſed & ædificii molem ſartam tectam conſervandam, ac veſtimenta, vaſaque ſacra omnis generis ſubminiſtranda conceſſam, atque in hunc usque diem aſſertam manſiſſe conſtat. Qua de re litteræ, urbis privilegia & immunitates continentes, ac ſæpiuſcule renovatæ, confirmatæque, abunde teſtantur. Ut adeo mirum non ſit, non uno ſacræ huius Domus & turris loco inſignia urbis conſpici, & præſertim telamonem urbis *Vindobonenſis* alium, in turris parte meridionali repræſentari.

De nuptiis RUDOLPHI.

XV. Quod demum ad laudatam RUDOLPHI uxorem, cuius ſignum tertio contemplati ſumus, attinet, Cl. quidem STEYERERUS vitam illius pro inſtituto, & qui huc magis pertinet, annum nuptialem operoſe deſignavit: magno chartarum apparatu oſtendere ſatagens: nuptias RUDOLPHI cum CATHARINA anno MCCCLVII. celebratas fuiſſe. a) Inter cetera autem argumenta id cumprimis urget; quod eadem CATHARINA in pluribus Inſtrumentis, dicto anno obſignatis, RUDOLPHI uxor audiat. Hoc vero argumentum ſi admitti oportet, id efficit, ut a ſententia eius diſcedere cogamur; quippe cum diploma extet integro anno antiquius, b) in quo cum CATHARINÆ dotalitium conſtituitur, tum ALBERTUS, pater RUDOLPHI, eandem plus ſimplici vice *nurum* ſuam, atque *Dominam Dominam* CATHARINAM, *Duciſſam Auſtriæ*, *filiique* ſui *coniugem* (*Wirtynne*) appellat. Quod diploma cum anno 1356. die Dominica poſt natalem S. MARGARITHÆ datum fuerit; tenendum erit, nuptias ante illum diem fuiſſe celebratas.

Icones RUDOLPHI IV. eiusque ſororis CATHARINÆ. Tab. XXV.

XVI. *Vindobonæ* in templo noſocomii, quod olim cœnobium erat Ordinis S. CLARÆ, a dextris ſummi altaris ara cernitur, Annuntiationi Beatiſſimæ Virginis MARIÆ dedicata. Hæc duabus tabulis ligneis, quaſi operculo, clauditur, effigies hinc RUDOLPHI, illinc ſororis eius CATHARINÆ monialis, coloribus pictas exhibentibus. Ambo deprecantium more in genua procumbunt: hic quaſi cernuo corpore iunctas attollens palmas, illa manus decuſſatas pectori admovens.

XVII.

a) Loc. cit. in addit. col. 557. ſeqq.

b) Vid. *Frid. Wilhelm.* de SOMMERSBERG rer. *Sileſiacar.* tom. I. p. 998. num. CXVIII.

XVII. Iam ut RUDOLPHI habitum penitius inſpiciamus, caput eius pileus *Ducalis* operit, aureo ac flavo colore adumbratus, ac pellibus murium *Ponticorum* munitus: coma & barba neglectæ rutilant: corpus lorica hamata armatur, ſuperinducto ſago coccineo, ſtriis flavis cancellato, nec integra, quin nec dimidia brachia obtegente: reliqua cataphracta ex ſolido ferro fabrefacta eſt. A medio pectore duæ catenulæ demittuntur, a quarum altera gladiolus *Miſericordiæ* (quo de genere armorum paullo ſuperius actum eſt) dependet. Altera catena, quamvis otioſa videatur, gladio tamen altero longiori inſtructa exiſtimari debet, qui a ſiniſtro latere recta demiſſus, conſpici nequit; nondum enim ea ætate in uſum venerat, ut gladii a poſteriori corporis parte geſtarentur, prominerentque. Quidquid porro armaturæ in icone repræſentatur, pictor argento illinivit, pugione & catena exceptis.

Quarum prima RUDOLPHI deſcribitur, TAB. XXV.

XVIII. CATHARINA habitu ſacri Ordinis Divæ CLARÆ induta exhibetur, capite nimirum velato, ac veſtis colore fuſco, & ad ſquammam æris accedente, funeque nodoſo ſtringente tunicam. Nata eſt Princeps circa annum MCCCXLII. atque ante an. MCCCLXV. in cœnobio, quod nunc in noſocomium commutatum fuiſſe diximus, Ordini S. CLARÆ nomen dans, vitamque in eo ad annum uſque MCCCLXXXI. pie & religioſe traductam, IV. Idus *Ianuarii* anni eiusdem ibidem depoſuit: Antiſtitis munere, ut quidam perperam volunt, nunquam ſuſcepto. a)

Nec non ſecunda, ſororis eius CATHARINÆ, Monialis.

XIX. Sub hac tabula ſequens inſcriptio legitur:

Adiecta inſcriptionis æra.

HEC TABULA PRO MEMORIALI AB ILLUSTRI
PRINCIPE RUDOLFFO AUSTRIE (Duce) ET SORORE
EIUS KATERINA AD S. CLARAM WYENNA
EST CONPARATA.

CZERWENKA b) altare hoc anno MCCCLX. erectum memorat: id forte in vetuſtis eius eccleſiæ monumentis, ut laudatus STEYERERUS coniicit, c) legens. Quo ſtante, conſequeretur, ait: CATHARINAM illo iam anno, atque adeo annos circiter duodeviginti natam, Sanctimonialem fuiſſe. At vero rem multo maturius accidiſſe, ex appendice, Anonymo *Leobienſi* ſubiecta, d) addiſcimus; ubi quippe conceptis verbis ad annum MCCCXLVII. memoratur: „Dominica die ante feſtum omnium Sanctorum eccleſia monaſterii S. „CLARÆ dedicatur, atque inſequenti die feſto ipſo Dux (ALBERTUS *Sapiens* ſcilicet) in idem filiam ſuam introducit.„ Quæ verba etſi de publica votorum nuncupatione haud accipienda ſint: vix tamen contigit, ut illa ex eo tempore aliquando egrederetur; additur enim: rem factam fuiſſe cum ſolemnitate: *mit Schonhait*. Qua-

a) Vid. laudat. STEYERER. Commentar. pro hiſtor. ALBERTI II. cap. VI. p. 28.
b) Synopſ. continuationis p. 570.
c) Loc. cit. in addit. col. 580.
d) Loc. cit. col. 972. b.

Tab. XXV.

Quare MENLII verba, ab eodem Doctiſſimo viro adducta, in rem noſtram, quam ſuam multo magis faciunt, dicentis: CATHARINA, FRIDERICI *ſoror, ſpirituali vitæ a teneris annis devincta fuit*: nimirum quinquennis cum fuiſſet, quæ ætas proprie tenera dicitur.

Alia RUDOLPHI IV. effigies. N. 2.

XX. In gazophylacio ad memoratam ædem primariam *Vindobonæ* aſſervatur imago RUDOLPHI noſtri, in tabula lignea, longitudine pedem unum ac tres pollices, latitudine vero novem pollices æquante, adumbrata. Faciem habet decoram, barbam neglectam, fere ut §. XVI. ſed hic crines capitis liberius fluunt. Hos rutilos fuiſſe, veſtigia picturæ, iam iam fugientis, docent. Quanquam tabulam ætatem RUDOLPHI haud æquare, ex coloribus oleo commixtis, qui ſerius inventi ſunt, iudicemus. Quemadmodum & galeri Ducalis exemplum in monumentis antiquis, quæ quidem indubia ſint, nondum reperimus. a)

De qua HASELBACHIUS loqui videtur. b

XXI. Similem tamen imaginem ſibi olim ad Mauſoleum RUDOLPHI (ſepulcrum dicere voluit) viſam fuiſſe, teſtatur HASELBACHIUS, b) Scriptor ſeculi ſequentis; indeque latam RUDOLPHO faciem, bile frequentius ſuffuſam, oculos grandes, os mediocre, mentum & genas nigra, ſed rara barba conſperſas fuiſſe colligit. Quæ ſingula, ut ut a vero maxima ſui parte haud abludunt, barbam ei tamen rutilam potius, quam nigram fuiſſe, tam ex hoc, quam præcedenti ſimulacro, cui tanquam coævo ac indubie antiquo, maior utique, quam prædictæ tabulæ, quantumvis haud ſpernendæ, & auctoritate ſua (quam autographo antiquo magna ex parte deberi, nulli dubitamus) neutiquam defraudandæ, fides decernenda erit. Accedit, quod & frater eius barba & crinibus rubicundis fuerit, ut cap. II. vidimus. Iuvenis præterea *elegantiſſimus inter omnes Principes, prudens & virtuoſus* audit apud Anonymum *Zwetlenſem* c) Scriptorem ſynchronum.

Alia eius icon in vitris *Kœnigsveldæ*. N. 3.

XXII. Tabulam RUDOLPHI ligneam vitrea excipit, in feneſtris olim templi *Kœnigsveldenſis* conſpicua, & a nobis in ſæpe laudati codicis *Fuggeriani* Mſc. tomo I. fol. 237. reperta. Pictor pallium illiniit rubro, cyaneo capucium, faſciam ſeu zonam nigro colore, veſtem ſeu togam viridi, cæruleo item femoralia. Inſcriptio in Mſc. deſideratur.

Iudicium de ea. d

XXIII. Multa quidem in hac imagine ſunt, quæ antiquitatem ſapiunt. Inter quæ calcei, ſuperne deciſi, quem morem *Argovos* a vicinis Gallis accepiſſe, d) veroſimile eſt. Sunt tamen & alia, quæ illi ætati minus conveniunt, ut v. g. veſtis interior, ad hodiernum morem propius accedens. Quæ res ſuſpicionem movet, iconem

(quod

a) Conf. tom. I. huius operis Differt. VII. ac inter cetera §. X. pag. 154.
b) Loc. cit. col. 808. d.
c) Loc ſæpius citato.
d) Conf. Cl. MONTEFALCONIUS op. cit. paſſim.

(quod alias monuimus) a pictore *Fuggeriano* non usque adeo fideliter exsumptam fuisse.

TAB. XXV.

XXIV. Illustrissimus Comes de WEISSENWOLFF in sua pinacotheca, quæ *Lincium*, *Austriæ* Superioris metropolim, ornat, inter ceteras imaginem quoque RUDOLPHI asservat, qua habitu Ducali ornatus, imberbis & nudo collo exhibetur: torquatus præterea & imposito capiti galero, qui arcu Imperatorio, cui crucicula insistit, fastigiatur; aperto indicio, ætatem eius ad inferiora tempora referendam, & ideo a nobis prætermissam. Addita tamen inscriptio, notatu haud indigna, hisce concepta est verbis:

Item alia eiusdem imago.

RVDOLPHVS DVX AVSTRIE HERES MARGARITE, DICTE MAVLTASCHIN.

XXV. De hac RUDOLPHI hereditate, qua Comitatum *Tyrolensem* genti suæ *Austriacæ* acquisivit, monumentum recurret luculentius tomo sequenti, ubi de crypta Ducis sepulcrali sermo erit. Hic modo notasse iuvat, dictæ *Maultaschiæ* statuam quoque æream *Oeniponte* in templo *Palatino* extare; sed quoniam ea in censum *Austriacorum* monumentorum haud venit, ab eius delineatione consulto abstinemus.

MARGARITHÆ *Maultaschiæ* statua *Oeniponte*.

XXVI. Quæ loco in hac tabula quarto designatur statua, e lapide exsculpta, *Vindobonæ* in choro Divi STEPHANI, ad *cornu epistolæ* spectatur. Tributur illa vulgo FRIDERICO RUDOLPHI IV. fratri germano, qui iuvenis admodum, annos nempe quindecim duntaxat natus, anno MCCCLXII. quarto Idus *Decembris* ad cœlos evolavit. Eramus & nos aliquando in ea persuasione, ut hic FRIDERICUM III. repræsentari crederemus, non tam vulgi, quam virorum doctorum opinione inducti. Sed nunc sententiam mutare, statuamque non FRIDERICO inter gentem *Habsburgicam* III. ALBERTI II. filio sed FRIDERICO inter *Babenbergicos* eius nominis II. cognomento *Bellicoso*, qui anno MCCXLVI. e medio sublatus est, attribuere iuvat. Movet præprimis armorum ac vestimenti genus. Caput discoopertum est, sagum ad tibias usque descendens, circa dextrum crus aperitur, ut conspici queat. Zona præcingitur infibulata, atque anterius ad extremum usque marginem sagi defluente: pallium retro fluitans ab utroque latere fibula munitur, impressa tessera *Austriaca*. Dextra denique mutilata, & deiecta, sinistra gladium demissum tenet, dependente a latere dextro gladiolo *Misericordiæ*. Scuto præterea oblongo & in acumen desinente instructus est: ac denique circa collum pars loricæ, quam *collare* appellabant, prominet, integræ sub sagulo latentis indicium.

Statua FRIDERICI *Bellicosi Babenbergensis*. N. 4.

XXVII. Pleraque hæc maiorem antiquitatem sapiunt, quam ut temporibus FRIDERICI III. congruere queant. Nos inter cetera

Zonæ scutique genus in statuis seculi XIII.

ra zonæ ſcutique genus cumprimis adnotamus: illud nempe, ut vel ex ſolis RUDOLPHI & ALBERTI I. ſtatuis *Tulnenſibus* apparet, ſeculo XIII. & ſi Cl. MONTEFALCONIUM conſulamus, a) præcedentibus quoque obtinuit, ſecus vero ſeculo medio inſequenti. Scuta deinde quanto oblongiora, ac circa pedem acutiora, & quaſi in cuſpidem deſinentia, tanto & antiquiora eſſe, cum alias obſervavimus, tum nobis etiam iam non monentibus, ex tabulis tomo huius operis primo productis, intelligere eſt. Ibi enim clypeos in acumen exeuntes, uno AGNETIS *Suidnicenſis*, LEOPOLDI *Glorioſi* filiæ ſigillo (quod tamen; utpote alia in regione confectum, parum obſtat) excepto, uſque ad ALBERTUM *Sapientem* obtinuiſſe, obſervare licet: quo tempore ſcuta inferne iam iam rotunda ſunt, quanquam & cuſpis illa gradatim, non ſubito, nec uno eodemque tempore in rotunditatem converteretur.

Alia FRIDERICI *Bellicoſi* ſtatua huic aſſimiliatur.

XXVIII. Accedit ſimulacrum FRIDERICI *Bellicoſi*, quod ex monaſterio *San-Crucenſi* in *Auſtria* eductum, in citato tomo huius operis primo exhibuimus; b) illud enim quoad ſagi, zonæque, nec non & gladii ſcutique formam, quin & ipſos capillos, a fronte, ad hodiernum fere morem, reductos, cum hoc noſtro ſigno magnam partem correſpondere, intuenti, atque alterum cum altero contendenti patebit; cum contra, qui FRIDERICI III. nec non & parentis, fratrisque RUDOLPHI IV. imagines a nobis ſuperius tab. XXIII. & ſeq. exhibitas, cum præſenti ſtatua contulerit, quantum, quæſo, deprehendet diſcrimen? Quare nobis quidem indubium eſt, tam in *Baſilica* S. STEPHANI, quam in monaſterio *San-Crucenſi* unum eundemque ſpectari FRIDERICUM *Bellicoſum*.

Fabula de FRIDERICI III. moriendi fato.

XXIX. Sed tamen præterea fabulam quandam, de FRIDERICI III. moriendi fato, pridem pervulgatam, in ſubſidium vocare iuvat. Aſſerunt nempe Scriptores bene multi, nec tamen ſynchroni: Ducem hunc, aliquando venantem, ab ERENLIEB de *Pottendorff* per inſidias interfectum fuiſſe. Negat factum, qui Scriptorum illorum teſtimonia in unum velut faſciculum collegit, Clar. STEYERERUS, c) fatalem hunc caſum de FRIDERICO potius *Bellicoſo* intelligendum eſſe, affirmans, teſtemque producens HASELBACHIUM, Scriptorem quidem ſeculi quinti decimi, ſed qui facinus cum operoſe refert, tum eos, qui FRIDERICUM in prœlio ad *Leytham* fluvium haud procul *Neoſtadio* in *Auſtria* occubuiſſe contendunt, data opera, quamvis pro modulo refutare conatur. Habemus hic igitur facti unius in duabus perſonis ſimilitudinem, ex confuſione nominum exortam, atque inolito iam circa hanc ſtatuam errori occaſionem præbentem. Nimirum cum fama late percrebuiſſet, FRIDERICUM *Bellicoſum* a *Pottendorffio* quodam occiſum eſſe: ſequior ætas rem male intelligens, FRIDERICO minori tribuit, quod tribuen-

a) *Monarchie Franc.* tom. II. paſſim, ſecus vero tomo III. ubi in monumentis ſeculi XIV. eius generis cingula haud obſervantur.

b) Diſſert. III. §. XIV. p. 67. tab. XIII. n. 1.

c) Loc. cit. in addit. col. 575. ſeq.

buendum erat maiori; ſicque unacum hiſtoriola etiam ſtatua FRIDERICO priori, rumore illo ſemel confirmato, erepta, ad FRIDERICUM tranſiit poſteriorem. Id quod iis præcipue ſuaderi pronum erat, qui templum D. STEPHANI FRIDERICI *Bellicoſi* ætate multo inferiorem eſſe, non ignorabant. TAB. XXV.

XXX. Nos equidem neutiquam fugit, STEYERERI coniecturæ non ita pridem derogatum fuiſſe Cl. CALLESII ſtilo; ut qui HASELBACHII narrationem denuo ad trutinam revocans, FRIDERICUM *Bellicoſum* haud quaquam in venatione, ſed in dicto cum BELA *Hungariæ* Rege conflictu occubuiſſe, pertendit. a) Sed quidquid de hoc ſit, nos litem hanc noſtram non facimus; ut quibus cum Cl. STEYERERO b) ſufficit: famam occiſi a *Pottendorffio* FRIDEEICI *Bellicoſi* aliquando ſparſam, ſubinde ad FRIDERICUM III. tranſiiſſe; quandoquidem id ſatis erat, ut huic peregrinum a poſteris affingeretur mortis genus, & illi antiqua in tempus abiudicaretur ſtatua.

HASELBACHII locus vexatus. a b

XXXI. At inquies, exinde conſectarium omnino eſſe, ut hæc ſtatua, ipſa, in qua conſiſtit, eccleſia, maior ſeu vetuſtior ſit. Et id quidem ſine prodigio. Quid enim facilius, quam ut imago, e ſtructura veteri translata, ornamentum fiat ſtructuræ novæ? Quæ res exemplis non caret. Argentorati HERCULES lapideus, antiquus, fabricæ ſcilicet *Triboco-Romanæ*, ſummi templi, quod opus ſeculi XI. eſt, turrim exornat, quem Cl. SCHOEPFLINUS cum aliis æri inciſum dedit, ac erudite pro more illuſtravit. c) Quin & eiusdem deaſtri ſimulacrum in ipſa capella S. MICHAELIS *Archangeli* olim viſum, idem teſtatur, d) plurima inſuper id genus adducens exempla. Aliud, idque magis huc faciens, apud Cl. SCHANNATUM legimus, qui duas imagines, ære expreſſas, poſt BROWERUM exhibet, quas ex antiqua eccleſia monaſterii S. PETRI Ap. in *Ugerberg*, Diœceſis *Fuldenſis*, a furentibus ruſticis anno 1525. combuſta, in novam translatas fuiſſe refert. e) Ad hæc ſi laudatum HASELBACHIUM, f) Eccleſiæ illius Canonicum, audiamus: RUDOLPHUS ædes B. STEPHANI veteres non a fundo, ſed *fere a fundo diruit.* Quare remanente vel uno veteris ſtructuræ pariete, huic quoque ſtatuæ locus ſupereſſe potuit.

Solvitur obiectio. c d e f

INSCRIPTIONES.

XXXII. Inter reliquias Sanctorum, quæ nec auro, nec argento, veſtitæ, aliis tamen ſuis ornamentis non carent, ad S. STEPHANUM *Wiennæ* adſervari dicitur corpus S. FRIDOLINI *Confeſſoris*, qui *Scotiæ Hiberniæ*que Regis filius creditur. Addunt authenticum membranæ inſcriptum, ab auctore *Mirabilium de templo & turri* ad S. STEPHANUM producto, g) ut ſequitur:

Inſcriptio I. ad RUDOLPHUM IV. attinens.

ANNO

a) Annal. *Auſtr.* P. II. lib. IV. p. 346. præſertim in not. a.
b) Loc. cit. col. 577.
c) *Alſat.* illuſtr. tom. I. p. 483. §. LXXXIX.
d) Ibid. p. 77. §. LXXXVI.
e) Diœceſ. & Hierarch. *Fuldenſ.* p. 135.
f) Apud Laudat. STEYERER. col. 576.
g) Pag. 113. editus eſt libellus a Colleg. S. I. *Wiennæ* 1721. 8. p. 113.

ANNO DOMINI MCCCLVIII. XIII. IANUARII MARGARETHA DE GRYNENBERG ABBATISSA MONASTERII SECONIENSIS, CONSTANTIENSIS DIOCESIS DONAVIT CORPUS S. FRIDOLINI, EIUS APERTO SARCOPHAGO, QUI CLAUSUS IBIDEM TENEBATUR NONGENTIS ANNIS ET ULTRA, ILLUSTRI PRINCIPI DOMINO RUDOLPHO ARCHI-DUCI AUSTRIÆ, PRIMOGENITO SERENISSIMI PRINCIPIS ALBERTI DUCIS AUSTRIÆ SUB ANNO ÆTATIS DICTI DOMINI RUDOLPHI XIX. &c.

Exigitur ad itinera, a Duce fuſcepta.

XXXIII. RUDOLPHUM anno MCCCLVII. in oppido S. DIONYSII, vulgo *Dieſſenhofen*, ſecundo lapide ſupra *Schafhuſium*, *loci & vicini agri amœnitate captum*, ſedem fixiſſe, indeque vertente anno digreſſum, celebrato *Ponte Arulæ* natali Domini, anno ſequenti in *Alſatiam* deſcendiſſe, *Colmariam* Imperii nomine occupaturum, contra CRUSIUM ſæpe laudatus demonſtrat STEYERERUS. a) Iter hoc ultimum mature admodum atque ante diem XIII. *Ianuarii* eiusdem anni ſuſceptum fuiſſe, ex hac inſcriptione, ſeu *Notitia* diſcimus; cumque *Seconium*, *Brugga*, ſeu *Ponte Arulæ*, *Alſatiam* petentibus in via ſit, de facti huius veritate tanto minus dubitari poterit, quanto oportunior ſeſe tum occaſio obtulit, rem exequendi. Accedit, quod RUDOLPHUS eo tempore totus quantus in eo fuiſſe viſus ſit, ut ſacelli ſui *Palatini* ſanctitatem, in quod conclave illud, ubi infantiam & pueritiam egerat, biennio ante convertit, atque hoc anno MCCCLVIII. editis novis tabulis roboravit, collectis Sanctorum reliquiis augeret. Unde & eodem anno *Briſaci*, quo III. Cal. *Maii* appulit, de corporibus SS. GERVASII & PROTHASII: & in cœnobio Virginum Ord S. BENEDICTI *Erſteinenſi* in *Alſatia*, *Argentinenſis* Diœceſis, FELICIS & ADAUCTI *Martyrum*, inſignes partes dono accepit.

Briſacenſibus corpora SS. GERVASII & PROTHASII non integra fuerunt ablata.

XXXIV. Inſtrumentum, ea de re, a RUDOLPHO ipſo confectum, idem vir doctus produxit, b) tanto magis ſuſpiciendum, quod HASELBACHIO os comprimat narranti: *Briſacenſes* in eo verſari errore, ut exiſtiment, *ſe corpora* SS. GERVASII *&* PROTHASII *ad uſque hodie cuſtodire*; cum tamen certum ſit, a RUDOLPHO pridem ablata. c) Etenim egregie fallitur; quandoquidem in dicto Inſtrumento expreſſe legimus, memorata Sanctorum corpora a Duce cum *Briſacenſibus condiviſa* duntaxat fuiſſe, non integre aſportata: ſecus tamen accidit cum cineribus SS. FELICIS & ADAUCTI, nec non qui, eodem Inſtrumento teſte, Duci ab Abbate & Monachis *Augiæ Divitis* anno MCCCLX. oblati fuerunt, SS. IOANNIS & PAULI Martyrum; horum enim corpora ad Ducem integra perveniſſe per eandem chartam vero ſimile ſit; ut quæ nullam de diviſione aliqua mentionem ingerit.

XXXV.

a) Loc. cit. Commentar. p. 17. & in addit. col. 264.

b) Loc. cit. in addit. col. 318.

c) Loc. cit. col. 791. d.

XXXV. At num hoc exemplo moti, idem teneamus de lipsanis S. FRIDOLINI? Inſcriptura certe de integro corpore, non de parte aliqua aut diviſione reliquiarum, ut in Inſtrumento, ſacros cineres beatorum GERVASII & PROTHASII concernente, factum eſt, loquitur. Sed negant tamen *Secconienſes*, qui ſacra oſſa thecæ quidem ligneæ, ſed argento & auro munitæ, incluſa, quotannis ingenti cum pompa ac concurſu populi in S. Proceſſione circumferre ſolent. Quin anno MDCXXXVII. maximam SS. reliquiarum partem adhucdum ſuperfuiſſe, contendit mox excitandus auctor epiſtolæ, ad Celeberr. *Ioannem* BOLLANDUM perſcriptæ. Quare ut nemini fiat iniuria, arbitrandum erit; æquiſſimum Ducem tantum abfuiſſe, ut nobile & antiquiſſimum, Ordinis olim S. BENEDICTI Veſtalium cœnobium, nunc vero, quin a remotioribus iam temporibus, Nobilium Canonicarum Collegium, Fundatoris ac Patroni ſui ſacris cineribus omnino defraudare voluerit: ut potius, quemadmodum cum *Briſacenſium* Patronis facere ſibi viſum eſt, ita & hic cum parte ſacrorum oſſium contentus abierit.

Quemadmodum nec *Secconienſibus* corpus S. FRIDOLINI.

XXXVI. Huius porro inſcriptionis noſtræ fides elevari videtur ex fragmento epiſtolæ, a *Franciſco Carolo* BRANDENBERGIO, Canonico & Cuſtode *Secconienſi*, ſeu, ut hodie ſcribimus, *Seckingenſi*, ad laudatum *Ioan.* BOLLANDUM datæ, a) qua docet: quod, cum anno circiter MCCCXXX. templum & monaſterium S. FRIDOLINI conflagraſſet, annis ſequentibus eo ſe ALBERTUM *Auſtrium*, *Rom.* Regem, cum pluribus Imperii Principibus contuliſſe, quo cladem incendii arbitraretur, & maxime corpus S. FRIDOLINI, ingenti miraculo a flammis illæſum, ac divinitus conſervatum, pia veneratione afficeret; ut cuius ſarcophagus, ſeu ſandapila ſacri corporis ſub altari depoſita, ſuperiori quidem parte aduſta, cetera vero unacum ſacris cineribus integra reperta fuerint. Poſtea vero, cum urgentibus *belli Suecici* calamitatibus, dicta ſandapila loco moveretur, oſtiolum quoddam ex graviori illiſione apertum fuiſſe, unde non latior manu ſacris adiacens reliquiis ſcheda extracta fuerit, *qua præfatus Sereniſſimus Rex conteſtabatur luſtrationis ſeriem, in præſentia Præſulum & Principum factam: & quod illa tumba a nongentis annis nunquam fuerit aperta, niſi per illam ipſam cauſſam & occaſionem, & quod ſacram illam tumbam ferramentis, tametſi crematam, circumdederit, & poſteritati in miraculi memoriam ſic reliquerit.* Etenim hiſce veritate nitentibus, quo pacto in noſtra inſcriptione dici potuit: ſandapilam annis nongentis & amplius ante RUDOLPHUM IV. haud apertam fuiſſe? quandoquidem id elapſo vixdum dimidio ante ſeculo contigiſſet.

Sandapila eius aperta inſcriptioni noſtræ derogat. a

XXXVII. Sed reſponſio in promptu eſt: quis enim credat, Regem ALBERTUM poſt annum MCCCXXX. *Seckingæ* conſpectum fuiſ-

Cui tamen obviatur.

a) Extat in Act. SS. BOLLANDI tom. I. *Mart.* Comment. præv. ad vitam S. FRIDOLINI §. III. n. 11.

fuiſſe, qui annis duobus ſupra viginti iam mortuus fuerat? Quare BRANDENBERGIUM aut memoria lapſum fuiſſe, oportet, aut relatio illa non de incendio anni MCCCXXX. (vel ut alii computant, XXXIV.) ſed de incendio anni MCCLXXII. accipienda eſt, cui tamen ALBERTUS poſt annos ad minimum duodetriginta ſuperveniſſet, tumque noſtra inſcriptio, cum de *nongentis & amplius annis* loquitur, emendanda foret: auctore illius priorem ſandapilæ patefactionem, ſub ALBERTO poſt annum 1272. factam, ignorante. Sed rem non niſi ocularis ſchedæ *Secconienſis* inſpectio expediet.

Alia inſcriptio de linteolo Domini.

XXXVIII. Eodem *Memorabilium de templo & turri* ad S. STEPHANUM auctore teſte, a) in theſauro baſilicæ ſacro ex faſciis, quibus CHRISTUS involvebatur, pars maior aſſervatur, addito verſu hoc *Leonino*, uno tamen pede abundante:

a

LINTEOLUM CHRISTI RUDOLPHUS DUX TEMPLO TULIT ISTI.

Item de linteo eius.

XXXIX. Item inſignes reliquiæ ex linteo, quo CHRISTI in ſepulcro corpus circumplicabatur, in cuius quatuor partibus totidem Evangeliſtarum effigies cum inſcriptione, cuius pars iterum verſus *Leoninus* eſt:

RUDOLPHO DUCI AUSTRIÆ DE SUDARIO CRUCIFIXI
ECCE MOGUNTINO VENIT HOC ANTISTITE DIGNO

GERLACUM Archiepiſcopum haud dubie intelligit contemporaneum, ſique coniecturæ locus, donum hoc anno MCCCLX. accepit, quando *Norimberga* litteris ad eundem Archiepiſcopum datis, petiit, ut renuntiationem CAROLI IV. Cæſaris & IOANNIS fratris eius, *Marchionis Moraviæ*, in Comitatum *Tyrolenſem* factam, ceterorum Electorum exemplo ratihaberet. b)

b

Nec non & tertia de S. COLOMANNO.

XL. Ad ſæpe dictam S. STEPHANI baſilicam, in latere ianuæ, verſus curiam Præpoſiti, lapis olim marmoreus albi coloris poſitus erat, cuius inſcripturam, litteris æneis conſtantem, conſervavit nobis codex Mſc. Bibliothecæ *Mellicenſis* apud R. P. *Philibertum* HUEBER, *in Auſtria ex archivis Mellicenſibus illuſtrata* p. 303. in hunc modum: *Hic eſt lapis, ſuper quem effuſus eſt ſanguis ex ſerratione tibiarum ſancti* CHOLOMANNI *Martyris, quem huc collocavit Illuſtris Dominus* RUDOLFUS *quartus Dux Auſtriæ.* Quoniam vero, eodem HUEBERO teſtante, in honorem dicti Martyris anno 1365. monumentum ſepulcrale fieri curavit laudatus RUDOLPHUS; omnino vero ſimile fit, circa idem tempus etiam hunc poſitum fuiſſe lapidem.

Chronicon *Salisburgenſe* in Principem noſtrum iniurium,

XLI. Ex his vero merito exſibilamus Anonymi *Salisburgenſis* impudentiam, c) qui Principem noſtrum, per ſummam iniuriam peſſimis hisce coloribus adumbrat: „RUDOLFUS Dux *Auſtriæ* (ait) „ etiam

c

a) Pag. 109. ſeq. & in addit. col. 315.
b) Vid. laud. STEYERER. in Comment. p. 20. c) Loc. cit. col. 417. a. b.

„ etiam tyrannidem ſuam exercuit in Clero --- Dixit enim, ſi
„ Principes eum vellent juvare, ipſe vellet utique omnes Clericos
„ excoriare: Ipſe etiam contempſit mandatum Apoſtolici URBANI V.
„ dicens: Egomet volo eſſe Papa, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Ar-
„ chidiaconus, Decanus in mea terra. Ipſe etiam Epiſcopatum *Pa-*
„ *tavienſem* voluit transtuliſſe in *Wiennam.* Idem voluit in Domi-
„ nio ſuo Cœnobiis Prælatos inſtituere & deſtituere: & dixit, ſe eſſe
„ de ſtirpe NERONIS, qui fuit primus perſecutor Cleri: qui & idem
„ ſcripſit ſe *Archiducem in Auſtria.* Ipſe etenim abſtraxit in Eccle-
„ ſiis & Monaſteriis Reliquias Sanctorum, quas poterat, cum con-
„ ſenſu & absque conſenſu, & opinabatur ſe ipſum Sapientem ve-
„ lut Imperator FRIDERICUS, qui Dominicam Orationem voluit
„ emendaſſe. Ipſe etiam fuit devaſtator paternæ fundationis, &
„ multarum perpetuarum Miſſarum. Unde bene de eo dixit verſi-
„ ficator:

„ *Sacras olim ædes pietas conſtruxit avorum*
„ *Quas nunc hæredes devaſtant more luporum.* „

XLII. At enim qui annos vitæ non plures, quam XVII. natus, conclave, in quo pueritiam exegerat, ob divinorum beneficiorum, ut ipſe loquitur, memoriam, in ſacellum converti, Deique, Deiparæ, ac Angelorum, Sanctorumque omnium honoribus conſecrari, & collegio Canonicorum, die, noctuque, DEUM laudantium, exornari curavit: quique veteribus Eccleſiæ S. STEPHANI muris dirutis, novam, eamque tam inſignem, atque in ſera uſque tempora admirationem hominum excitaturam baſilicam incredibili ſumptu reſtituit, translatisque eo Canonicis ſuis, ampliſſimis ſane proventibus auxit. Et qui denique præter alias monaſteriorum aut fundationes aut donationes, Univerſitatem *Vindobonenſem*, tam inſigne pro bono publico opus, facultate ab eo ipſo S. Pontifice URBANO V. & ſucceſſore, eius nominis VI. impetrata, conſtituit: a) is demum, is, inquam, oſor & perſecutor Cleri, Summi Pontificis æmulus, ac piorum operum deſtructor audit! Apage criminationes iniuſtas iuxta ac ineptiſſimas, a Cl. P. PEZIO, b) ut videmus, iam iam ſufflaminatas; ut adeo vel verbum addere pigeat.

Refellitur.

CAPUT VIII.

ALBERTUS III. DICTUS CUM TRICA.

§. I.

RUDOLPHO IV. vivis erepto, proximus tum inter fratres erat ALBRRTUS III. in hanc lucem anno MCCCXLIX. aut ſequenti emiſſus, & a capillis, in modum tricæ complicatis,

Breviarium vitæ.

a) Vid. STEYERER. loc. cit. cap. III. pag. 16. ſeqq.

b) In obſerv. præv. ad citatum chronicon. n. IV. p. 315.

tis, *cum trica* cognominatus. Is itaque regimen, ut natu maior, in ſe ſe ſuſcipiens, quidquid *Auſtriacarum* provinciarum erat, ſuo ac fratris primum nomine, deinde diviſione facta, *Auſtriam*, provinciasque nonnullas adiacentes, tum vero *Styriam*, ac mox iterum, ut fratri obſecundaret, *Auſtriam* ſolam & unicam, prudentia non minori, quam lenitate rexit. Huic Principi præter pacis, quam diligenter coluit, ſtudium, non in poſtremis laudibus ponendum eſt, quod Academiam *Wiennenſem*, a RUDOLPHO ſub extremum vitæ annum conſtitutam, *cathedra Theologica* ampliaverit, tum optimis quoque legibus munierit, ornaveritque. Obiit anno MCCCXCV. die XXIX. *Auguſti*, in arce *Laxenburg*, quam ipſe ædificavit. Primam thori ſociam ELISABETHAM, CAROLI IV. Imp. filiam, ſibi elegit, cui anno MCCCLXXIII. ſine liberis decedenti, BEATRIX, FRIDERICI IV. *Burggravii Norimbergenſis* nata ſucceſſit, ex qua filium filiamque vidit.

Icon ALBERTI, TAB. XXVI. N. I.

II. ALBERTI III. iconem, ex thecis HERÆI eductam, hic exhibemus. Veſte interiori longa, nec non toga cum latis, ſed circa manus conſtrictis manicis induitur, dextra globum tenens cœleſtem, ſiniſtra ſupra libros, menſæ impoſitos, collocata. Petaſo præterea obtegitur, & circa collum nudus eſt: ut veteris moris erat. Ab humeris duo crobyli ſat magni dependent, infra ventrem deſcendentes, & ab humero ſiniſtro ad dextrum latus faſcia demittitur, cui neſcimus, quale inſtrumentum affixum ſit.

Unde eius diſciplinas Mathematicas colligas.

III. In hac imagine globus & librorum ſuppellex non obſcure ad *Mathematicas* diſciplinas referuntur, quibus ALBERTUM præcipue, quin & ceteris ſcientiis probe imbutum fuiſſe, Scriptores antiqui prolixe laudant; id quod forte in cauſſa eſt, ut ab aliquibus Univerſitatis *Wiennenſis*, nulla de RUDOLPHO IV. facta mentione, auctor & fundator conſtituatur; a) cum tamen certum ſit, a RUDOLPHO IV. opus inceptum, ab ALBERTO autem perfectum, & *cathedra Theologica* auctum fuiſſe, b) atque ſanctis legibus firmatum.

De crobylis eius iudicium,

IV. Notatu quoque digna ſunt plegmata, ſeu crobyli, ab humeris demiſſi, quorum originem alii aliter tradunt: quibusdam exiſtimantibus, ipſummet aluiſſe crines, ad eam longitudinem excreſcentes: narrantibus aliis, eum anno 1385. ex itinere *Hieroſolymitano* reverſum, coniugem ſuam in balneo conveniſſe, comas nodo cogentem, quas vero ille amore motus, detonſas, capillis ſuis implectere, & geſtare in deliciis habuerit. c) Sed præterquam quod hi Duci imbecillitatem quandam animi affingant, haud ſatis meminerunt,

a) Anonymus *Gemnicenſis* inter ſæpe laud. PEZII, Scriptor. tom. II. col. 377. b. MARTINUS Abbas *Scotor.* ibid. col. 657. d. Uterque horum epocham eius ad an. 1374. vel 77. referunt: ſed falluntur, ut ex LAMBECII Comment. de Bibliotheca Cæſar. lib. II. cap. V. pag. 88. diſcimus.

b) HASELBACH. loc. cit. col. 812. b. Conf. quoque LAMBEC. l. c. p. 778.

c) VALVASOR Topographia *Carniol.* P. III. lib. X. p. 260. col. 2.

nerunt, ALBERTUM IV. *Hierosolymam* profectum fuisse, non ALBERTUM III. Quare commentum eorum suapte ruit. Sunt denique, qui uxorem ipsam crines sibi detonsas marito obtulisse volunt, illo deinde ordinem, a *trica* dictum, instituente: id quod VALVASORI, Topographiæ *Carnioliæ* non ignobili auctori, ideo probabile videtur; quod & secunda eius uxor, & fratris filius LEOPOLDUS IV. huiusque coniux, CATHARINA *Burgundica*, pariter cum capillorum cirris adumbrentur: cuius tamen formæ imagines nos equidem nullas vidimus.

TAB. XXVI.

V. Huc facit quoque *Martini* CRUSII locus: „BURCARDUS „*de Ehingen mit dem Zopf* (i. e. *cum trica*) natus fuit (ait) circa „1348. cognomine hoc appellatus: quia Minister fuit 1376. anno „*Austriaci* Ducis ALBERTI, fratris LEOPOLDI. Ibi formosa quædam fœmina sibi plegma absciderat, Ducique dederat; ad hono„rem igitur huius fœminæ Dux sodalitatem instituit plegmaticam „(*die Zopf-Gesellschafft*) in quam BURCARDUS quoque receptus „fuit: qui eam sodalitatem 1377. ex *Austria* secum in *Sueviam* ad„duxit.„ Hucusque CRUSIUS, a) cui quod addamus, non habemus, nisi quod in sepulcro ELISABETHÆ, primæ eius coniugis, intortorum crinium spiram repererimus, dimidiæ etiamnum ulnæ de calvaria eius dependentem; qua de re tomo sequenti sermo recurret.

Et an societati *cum trica* occasionem dederint?

VI. In Bibliotheca Cæsarea *Vindobonensi* extat *Rationale Divinorum officiorum Guilielmi* DURANDI Episcopi *Mimatensis* MS. e Latino in patrium sermonem iussu ALBERTI translatum, multisque figuris inauratis magnifice exornatum, quod *Petrus* LAMBECIUS pluribus recenset. b) Ibi inter reliquas icones in principio libri III. comparet ALBERTUS noster, lorica hamata munitus, ac cetera cataphractus, equo insidens, & manu dextra gladium tenens, cuius capulum, catenula quadam dextræ pectoris parti (qualiter & patrem eius armatum vidimus) alligatum est, sinistra vero scutum præfert, fascia *Austriaca* ornatum. Sagum, loricæ superinductum, colore rubro & albo variegatur; quatenus eisdem insignia indicentur *Austriaca:* quemadmodum stragulis quoque rubris, quibus equus albus velatur, ad eandem tesseram alluditur. Quamvis equus candidus, quod quidem alibi observavimus, supremi quoque dominii signum haberetur. In cono galeæ cernitur corona cum oculata cauda pavonis, & in peripheria hæc legitur epigraphe: S. ALBERTUS. DEI. GRACIA. DUX. AUSTRIE. STIRIE. KARINTHIE. &c. &c. Fuit autem Duci nostro codex ille oblatus anno 1384. feria IV. post *Dominicam Palmarum*, ut interpres in præfatione adnotavit: qua cum epocha scutum etiam gentilitium conspirat, cui sola fascia *Austriaca* impressa: utpote cum inde ab anno 1378. c) soli

Describitur alia eius imago. N. 2.

a) Annal. *Suev.* lib. III. P. III. p. 178.
b) Loc. cit. p. 260. seqq.
c) Vid. auctor. histor. Duc. *Styr.* P. II. p. 42.

Tab. XXVI. ſoli illi provinciæ imperitaverit. Poſtremo pictor litteram S. præmiſit, quod ſignum eſt, illum perigraphen ex ſigillo quodam excepiſſe. Sane ipſa pictura ſigillo ſimilior eſt, quam cuicunque alteri rei.

Itemque tertia. N. 3. VII. Alberti quoque protomen *W.* Kilian æri inciſam edidit. In ea tricas binas, alio modo expreſſas, ac infra pectus deſcendentes obſervare eſt. Eduximus eam ex tom. II. ampliſſimæ collectionis Principis Eugenii de *Sabaudia* p. 63. Eundem typum imitatus eſt Birckenius p. 390. nec non & *Dominicus* Custos, chalcographus *Auguſtanus*, editionis poſt annum 1622. inter icones Comitum *Tyrolis*, ſed habitu corporis integro. Nobis imago ideo non genuina videtur; quod facies barba deſtituta ſit, arcusque, pileo Ducali impoſitus, ac cruce Imperiali faſtigiatus, *Auſtriacis* Principibus pridem quidem, ut alias monuimus, conceſſus fuerit: at quantum monumenta noſtra oſtendunt, non niſi ſequiori tempore in uſum deductus.

Alberti oris animique habitus. VIII. Huius Alberti oris animique habitum hisce verbis eleganter deſcribit auctor hiſtoriæ Ducum *Styriæ*: a) „Aſpectu erat „liberali & ſemper hilari, ut ex vultu nunquam non lætitiam lege- „res, quam mentis integræ candidæque tranquillitas in frontem e- „bullire conſuevit. Sermo illi moderatus & gravis, iræ, ſi quis „alius, potens: effervefcentem haud facile videris: extorquere illi „repetitis iniuriis vindictam oportuit: irritatus tamen doloris tena- „cior, & offenſæ memoriam retinuiſſe diutius quibusdam viſus.„ Hæc laudatus Hiſtoricus, cui *Thomas* ab Haselbach, auctor antiquus, prælusit. b)

Alberti *Sapientis* imago *Kœnigsveldenſis.* N. 4. IX. Quartum huius tabulæ locum occupat, qui per errorem huc irrepſit, Albertus *Sapiens*, ex feneſtris templi *Kœnigsveldenſis*, in *Ioan. Iac.* Fuggeri codicem Mſc. Bibliothecæ *Vindobonenſis* tom. I. fol. 236. averſa pagina, illatus. Pallium rubrum eſt, caputium viride, toga cœrulea. Adiecta ſunt ſcuta, hinc *Auſtriæ* & *Carinthiæ* coniunctim, inde vero *Styriæ*. Inferne inſcriptum eſt:

Anno Domini mccclviii. XIII.
Cal. Aug. obiit Illust. Dn's Albertus
Dux Aust. Styriæ et Carinthiæ.

Hunc porro diem & annum emortualem, contra ceterorum errores recte aſſignari, ex tomo ſequenti patebit.

Violanza, Alberti ſponſa. X. Locus nunc foret, ambarum quoque coniugum Alberti imagines proferendi; ſed cum præter eas, quas tab. XI. produximus, nullæ ſuppetant, monendum duntaxat hic ſupereſt: Albertum, defuncta priori uxore, fidem primum non Beatrici, ſed Violanzæ, Galeatii II. *Mediolanenſium* Ducis filiæ, obſtrinxiſſe. Quæ res

a) P. II. p. 46. b) Loc. cit. col. 812. d.

res eo iam devenerat, ut eam in charta quadam *conſortem* thori ſui appellet: ſortitaque haud dubie optatum fuiſſet exitum, niſi S. Pontifice ſuam, ob malefacta Ducis, interponente auctoritatem, interverſa fuiſſet. Edimus huius argumenti chartas duas, a) quibus factum hoc, a Scriptoribus eius temporis ſilentio involutum, in apricum producitur, atque inſimul *Auſtriacorum* conſtans erga ſummam ſedem obſervantia, obedientiaque etiam ex hoc facto probatur:

TAB. XXVI. a

INSCRIPTIONES.

Inſcriptiones geminæ. b

XI. *Valentinus* PREVENHUEBER in *Annalibus Styrenſibus* ex veteri Mſc. b) refert, circa annum MCCCLXXX. aut LXXXI. nobiles de *Rohr*, ALBERTO rebelles, ab ipſomet in ordinem redactos fuiſſe, expugnata ac ſolo æquata arce eorum *Leonſtein*, urbi *Styrenſi* vicina. Quod cum vi tormentorum bellicorum potiſſimum efficeretur, in perpetuam rei memoriam globus ingentis magnitudinis, inter ceteros, in caſtro *Friedegg* muro immiſſus fuit, cum hac *Germanica* inſcriptione:

HIE IST ZU SEHEN WAS MASS UND GESTALT,
HERZOG ALBRECHT LEONSTEIN MANNIGFALT
DIE VESTEN MIT SOLCHEN ZEUG BESCHOS,
DAS DER VON ROHR DIE MUST LASSEN LOS.
SOLCH PILLUL SCHWERLICH ZU RIECHEN SEYN,
WO DIE FLIEGEN ZUMAHLEN IN DIE VESTEN EIN.

AN. D. MCCCLXXIX.

HERR HANS WILHELM VON ZECKING, DER WOLGEBOHRN HERR,
VON SEINEM LEONSTEIN SCHAFFT ZU FUHREN HER,
SCHENCKTS ZU LIEB UND FREUNDSCHAFT HERRN REICHART STREIN,
DER LÆSTS DARGEGEN ZUR MEMORI AUFRICHTEN FEIN.

His ultimis quatuor ſtrophis indigitatur, inſtrumenta ea bellica, a *Ioanne Wilhelmo* de ZECKING, *Richardo* STREINIO honoris & amoris ergo, dono miſſa fuiſſe. Is vero cum ſub medium ſeculi XVI. floruerit, c) inde epigrammatum ætas colligitur: quorum priorem partem inſcriptio ſequens Latina hunc in modum explicat:

c

SISTE HOSPES, SI VIS, GRADUM, ET ASPICE,
HAC GLOBORUM MAGNITUDINE, UNIUSQUE
IMPRIMIS INGENTI, ALBERTUS AUSTRIÆ
DUX, RORIUM BAR. TERRITUM, ARCEM
SUAM LEONSTEIN INEXPUGNABILEM
TREPIDE RELINQUERE, FUGEREQUE COMPULIT.
TU, QUID SULPHUREUM FULMEN POSSIT,
ET QUÆ EIUS TORMENTI VIS SIT INCREDIBILIS,
TECUM TACITUS PENSITA.

AN. MCCCLXXIX.

Huic

a) Vol. I. num. X. & XI.
b) Lib. III. pag. 64.
c) Vid. De KHAUTZ hiſtor. litter. *Auſtr.* cap. VIII. pag. 229.

TAB. XXVI. Huic vero epochæ non usque adeo fidendum eſſe, laudatus monet PREVENHUEBERUS: rem alterutro ex duobus annis ſequentibus factam fuiſſe contendens. Porro *Latinam* hanc inſcriptionem etiam in codice quodam Bibliothecæ Cæſareæ Mſc. reperimus.

CAPUT IX.

ALBERTUS IV. COGNOMENTO MIRABILIA MUNDI.

§. I.

Monitum. Ab ALBERTO III. recto ordine ad fratrem eius LEOPOLDUM *Probum* delaberemur: verum cum illius progenies poſt tertiam generationem in LADISLAO *Poſthumo* extincta, huius vero ad noſtra uſque tempora fuerit propagata: rectius nunc ad ALBERTI poſteros pergimus, ut iis abſolutis, LEOPOLDI propago ſerie non interrupta perſequi poſſit.

ALBERTI IV. breviarium vitæ. II. Itaque ad ALBERTUM IV. *Tertii* filium unicum, greſſum facimus. Natus is eſt anno MCCCLXXVII. patre in *Boruſſia* agente. Quo e vita decedente, *Auſtriam* cum reliquis provinciis, annuente WILHELMO, patruele ſuo, communi nomine regendam ſuſcepit. Iter deinde, plurimis licet diſſuadentibus, *Ieroſolymam* ex piis animi motibus inſtituens, indeque rediens feliciter, cognomen *Mirabilia mundi* ſortitus eſt: aperto ſcilicet Poetis & fabulatoribus amplo exſpatiandi ea de profectione campo. a) Vita exceſſit optimus Princeps ex veneno, anno MCCCCIV. PROCOPII, Marchionis *Moraviæ*, fraude ſibi propinato, dum impia eius facinora ulturus, *Znoymam* oppidum obſidione cingeret. Ex IOANNA *Bavara* filium unicum ALBERTUM V. reliquit, de quo mox dicendum.

Protome eius. N. 5. III. Eius iconem unicam in tom. II. collectionis Sereniſſimi Principis EUGENII p. 64. reperimus, auctore *W.* KILIAN, cuius ectypon etiam in BIRCKENIO p. 401. ſpectatur. Quin ex hac ipſa PALATIUS quoque numiſma aliquod confinxit, in Aquila *Auſtriaca*, pro genuino venditum. b) Ibi enim haud ſecus, ac in noſtro hoc ſchemate, pileo ſingularis formæ obtectus, ac veſte, ut videtur, talari circumdatus, nec non aurea catena ornatus, magnifica barba ſpectabilis eſt; etſi certum ſit: illum annum ætatis XXVII. vix transgreſſum eſſe. Porro ſi HASELBACHIUM, teſtem oculatum, audiamus, *barbam* aluit ALBERTUS, & quidem haud ſecus, ac capillos, *planam*: id eſt, nullo calamiſtro contortam, aut arte compoſitam. Verba auctoris ſunt hæc: *Fuit* (ALBERTUS) *proceræ ſtaturæ, pulcher facie, genis roſea rubedine uberrime ſuffuſis, pilis & barba planis, non calamiſtro curvatis, & decorus: ſed quod præſtantius*

a) Vid. PANTALEON in vita ALBERTI V. p. m. 408.

b) Tom. I. p. 7.

tius est, hic fuit optimis moribus adornatus. a) Atqui in hac ipsa imagine cum capillis & barba rectis, ut eum describit auctor, comparet.

CAPUT X.

ALBERTUS V. INTER IMPERATORES II.
NEC NON
UXOR EIUS, AC LADISLAUS POSTHUMUS, FILIUS.

§. I.

Brevia-rium vitæ.

ALBERTUM IV. filius cognominis excipit, numerandi ordine *quintus*, inter Imperatores autem eius nominis II. Natus est anno MCCCXCVII. mortuoque patre, *Austria* tutelæ nomine ad patrueles, non tamen sine discordia, rediit. Sed ea mature exemptus, *Austriæ* gubernacula suscepit: eo quidem successu, ac belli, pacisque artibus, ut quantam Princeps potest, maximam virtutum omnis generis referret laudem. Accessit quoque fortunæ obsequium, ita ut unius anni decursu Rex *Hungariæ* & *Bohemiæ*, quin & *Romanorum* electus & coronatus fuerit. Sed haud diuturna fuit ea felicitas. Cum enim anno MCCCCXXXIX. exercitum contra AMURATHEM, *Turcarum* Tyrannum, duceret, profluvio ventris correptus, accedente immoderato peponum esu, vel, ut HASELBACHIUS, auctor coævus, asserit: hausto veneno, dum *Austriam* repetit, in *Villa longa*, *Hungaris Mesmel* dicta, in insula *Schuta*, animam Creatori reddidit VI. Cal. *Novembris*. Uxorem sibi sociavit ELISABETHAM, SIGISMUNDI Imp. filiam, anno MCCCCXXII. ductam, atque anno MCCCCXLII. denatam. Hæc ei *Hungariam* ac *Bohemiam* regna attulit, ac præter alios liberos, LADISLAUM peperit, ex nascendi sorte cognomento *Posthumum*, de quo mox plura dicturi sumus.

Statua eius *Oenipontana*, TAB. XXVII. N. I.

II. Statuæ & imagines ALBERTI plures circumferuntur quidem, sed quibus non semper tuto fidere queas. Sufficiat itaque, insignem statuam adduxisse *Oenipontanam*, de cuius generis colossis alibi, & quidem huius Patris cap. I. §. XVII. seqq. pluribus egimus. Coronatus atque armatus exhibetur Cæsar, dextra lateri admota, sinistra globum Imperii tenens. Sub sago loricam hamatam gestat, quod genus armaturæ tum adhuc in usu erat: præcingitur quoque baltheo militari, quale in his statuis sæpe spectavimus. Porro a latere sinistro gladium *bellatorem*, a dextro pugionem *misericordiæ* observare licet. Sub naso denique mystax apparet, labiis haud parum prominentibus. Singula hæc indicium præbent: artificem, cum

a) HASELBACH. l. c. col. 825. b.

TAB. XXVII.

cum simulacrum hoc funderet, veram ac genuinam effigiem ante oculos habuisse; id quod & aliunde credibile est.

Ac oris, corporisque forma.

III. Describitur enim ALBERTUS a *Vito* ARENPECKIO a) his verbis: „erat homo competentis proceritatis, faciei plus ad nigredi„nem, quam albedinem tendentis: mitium morum & petitioni „suorum flexibilis. *Nervosum & validum corpus, facies eius ter„rifica, more gentis* (Hungaricæ nempe) *erasa barba, superius la„bium intonsum, vestem haud splendidam baltheus auro gravis cin„xit, nec unquam lateri defuit ensis.*„ Quæ ultima verba, a nobis litteris pronis exhibita, auctor totidem verbis ex *Æneа* SYLVIO, qui ALBERTO synchronus, & non multo post mortem eius sub FRIDERICO III. Imp. multis negotiis consiliisque adhibitus fuit, exscripsisse videtur. b) Ambobus vetustior est, quin & ALBERTO regnante, munere suo in Academia *Vindobonensi* fungebatur HASELBACHIUS, cui & mortuo se orationem lugubrem dixisse, ipsemet perscripsit. Is vero Principem nostrum hisce coloribus adumbrat: c) *Anno Domini* 1412. *agebat Dux* ALBERTUS *sui ingressus* (in urbem *Vindobonensem*) *tempore, quintum decimum ætatis annum, puer tener corpore, grandibus oculis, pilis flavis, sed tamen (ut ex post patuit) proceræ staturæ, ita ut omnes e sua curia ut communiter emineret ab humero usque sursum.* Succinit BONFINIUS, ac PANTALEON, nisi quod ille ALBERTUM *staturæ corporis aliquanto supra mediocrem* incessisse affirmet: d) hic vero illum corpore adeo excelso fuisse scribat, *ut decimo quinto ætatis anno reliquos homines, qui iam ad iustam ætatem pervenerant, proceritate facile superaret.* e) Sed inhærendum potius verbis HASELBACHII, cui Principem multoties suis aspicere oculis, quin & eidem colloqui obtigit. Nihil addimus de virtutibus ALBERTI, ut cuius laudes aliunde, ac in omni historia ut eximiæ, ita & notissimæ sunt, atque adeo ab his ipsis Scriptoribus etiam celebratæ. Non tamen prætereundum, quod laudatus memorat BONFINIUS: ALBERTUM iter ex *Bohemia* in *Poloniam* pro pace sancienda facientem, e gradu forte prolapsum, postea claudicasse. f) Contigit res anno 1438. & quidem *Gorlicii* in *Lusatia*, testante ARENPECKIO. g)

Emendatur HASELBACHIUS:

IV. Animadversione porro dignum est: notam, quam nobis HASELBACHIUS, ut ut coævus auctor, chronologicam obtrudit, aut aliter explicandam esse, aut in mendo cubare. Sane paullo ante dictorum suorum parum memor, ALBERTUM anno 1411. regimen adiisse perscribit: modo autem unum annum superaddit. Sed priorem epocham præferendam esse, evincit diploma h) *datum Wiennæ die octava mensis Iulii anno Domini millesimo quadringentesimo undecimo*, quo ALBERTUS, *in quem nuper Ducatus Austriæ* tan-

a) Ap. cit. PEZ. tom. I. col. 1251. c.
b) Histor. de *Europa* cap. I. p. m. 222.
c) Ap. eund. tom. II. col. 843. b.
d) Decad. III. lib. IV. p. m. 298. col. 1. c.
e) De Virib. illustr. *Germ.* P. II. p. 408.
f) Loc. mox cit. p. m. 297. col. 1. d.
g) L. c. col. 1249. d. seq.
h) Edimus illud Vol. huius tomi I. n. XXIII.

tanquam verum heredem extitit devolutum, primas apud Decanum in *Peternell* pro Clerico quodam interponit preces; quod quidem, nisi supremam iam adeptus potestatem, facere nequiisset. Quare omnino credendum est, quod idem HASELBACHIUS antea narravit: solemnem in urbem *Vindobonensem* ingressum sexta *Iunii* eiusdem anni 1411. habitum fuisse.

TAB. XXVII.

V. Quod vero insuper adiicit HASELBACHIUS: ALBERTUM nostrum ingressus sui tempore annum ætatis quintum supra decimum egisse, id quidem certa ratione veritati, ut statim videbimus, consentaneum est: non item opinioni quorundam auctorum recentiorum, quorum alii, iique sat magno numero, ALBERTUM anno MCCCXCIX. in hunc mundum venisse perhibent: alii annis quinque citius. a) Sed falluntur utrique. Producimus enim loc. cit. instrumentum aliud, quo SIGISMUNDUS Cæsar ad diem XXX. *Octobris* anni MCCCCXI. ALBERTUM a patruelis sui ERNESTI tutela exemptum declarans, conceptis verbis ait: quod annum ætatis quartum & decimum iam superaverit; unde consequitur: illum vel anno MCCCXCVI. vertente, vel, quod vero haud paullo similius est, anno sequenti in hanc lucem editum fuisse. Enimvero si dicto, quo diploma obsignatum est, tempore, in anno ætatis decimo quinto insigniter iam progressus fuisset ALBERTUS, credibile est: Cæsarem additurum fuisse adverbium *pridem*, vel simile; quippe quod de suscipiendo, invito etiam prædicto ERNESTO, qui tutelam gerebat, regimine ageretur, cui quanto iuvenis Princeps ætate provectior, tanto & aptior videbatur. Sed quod rem omnino conficit, necrologium ad D. STEPHANI *Vindobonense* est. Eius verba integra exscribere iuvat, ut de rei veritate magis constet. *XVIII. Kal. Octobr.* ait, *obiit Serenissimus Princeps Dux* ALBERTUS IV. *pater Cleri*, *felicis recordationis* 1404. *Item Dux* ALBERTUS *filius eiusdem* ALBERTI, ORTUS IN VIGILIA MATHÆI EVANGELISTÆ, *obiit* 27. *mensis Octobris anno* 1439. *hic fuit non solum maximus fautor*, *sed etiam amicissimus & fidelissimus pater totius Cleri*, *quare*, *quæsumus*, *requiescat in pace*: ubi solummodo notandum: notas chronologicas, quæ *Romanæ* erant, præ vetustate iam iam fugientes, secunda manu restitutas fuisse. His vero ita se habentibus, ætatem ALBERTI iam non in obscuro versari credimus. Qui enim dictum diploma, quo is ad diem XXX. *Octobr.* anni 1411. annum ætatis decimum quartum superasse, cum hac notitia, qua is in *vigilia* S. MATHÆI natus fuisse dicitur, contenderit: facile perspiciet, annum 1397. diemque XXI. *Septembris* non posse non esse ALBERTI natalem; uno scilicet ex altero consequente. b) Superest inscriptio statuæ, quæ tamen nihil singulare habet: ALBERTUM duntaxat *Romanorum*, *Hungarorum* ac *Bohemorum Regem*, *patrem*que LADISLAI *Posthumi*, appellans.

inque ALBERTI ætatem inquiritur.

VI. Ex

a) Vid. PFEFFINGER ad VITRIARIUM lib. I. tit. V. p. 698. qui eos velut in unum fasciculum collegit.

b) Add. PALTRAM. l. c. col. 729. c.

Statua ELISABETHÆ Oenipontana. TAB. XXVII. N. 2.

VI. Ex eodem templo Palatino eduximus ſimulacrum ELISABETHÆ, coniugis ALBERTI. Coronam in capite gerit, & crocota eius oblonga armis gentilitiis, prout eius ætate in uſu erat, depicta eſt, leone ſcilicet *Bohemiæ* & aquila *Moraviæ*: in pectore vero aquila *Romani Imperii* cernitur, impreſſa parmula *Auſtriaca*. In baſi ſtatuæ hæc legitur ſubſcriptio, Latine reddita: DOMINA ELISABETHA, SIGISMUNDI REGIS HUNGARIÆ FILIA, ALBERTI QUINTI AUSTRIACI, ROMANORUM HUNGARIÆ BOHEMIÆ REGIS CONIUX, REGIS LADISLAI MATER 1529. Ex qua inſimul ætatem ſimulacri colligimus.

Cuius tempus nuptiarum hactenus incertum;

VII. Quo tempore ſibi hanc ſociaverit coniugem ALBERTUS, res intricata ſatis eſt. Non loquimur de prima deſponſatione, quam circa, aut ante annum MCCCCXI. factam fuiſſe, ex ſupra allegato diplomate, in quo ALBERTUM plus ſimplici vice *filium ſuum* vocat SIGISMUNDUS, haud obſcure intelligimus. Sermo nobis eſt de nuptiis ipſis, quas *Eberhardus* de WINDECK, a) qui ſe quadraginta annorum ſpatio pleriſque SIGISMUNDI Imp. rebus præſentem interfuiſſe, ipſe teſtatur, b) anno MCCCCXVII. interprete STRUVIO c) illigat. Sed hunc tamen aliter intelligendum eſſe, inde probamus; quod diploma a nobis Vol. I. huius tomi editum, conventionem contineat, anno primum MCCCCXXI. 28. *Sept.* initam, qua dos, ALBERTO aſſignata, itemque donatio eius propter nuptias definitur. Quis vero exiſtimet, negotium eiusmodi tamdiu poſt nuptias dilatum fuiſſe, & non præceſſiſſe potius, ut moris eſt? Adde: quod ELISABETHA in dicto diplomate plus ſimplici vice *virginis* adhuc elogio honoretur. Hinc rem melius tetigiſſe videtur auctor, non minus, ac WINDECKIUS, coævus, ac *Vindobonæ* habitans Anonymus *Wiennenſis*, qui annum huic ſolemnitati MCCCCXXI. attribuens, ALBERTO ſponſam die Dominica ante feſtum S. MICHAELIS Archangeli conſignatam, atque in loco *Heimburg* extraditam fuiſſe affirmat. d) Huic etenim favere videtur diploma laudatum; quippe quod eodem quoque die & anno datum eſt, deque nuptiis illis, dote, ac donatione propter nuptias, quaſi de re iam iam peracta loqui videtur; tantum, quod ſponſam adhuc *virginis* titulo afficiat. Eiusdem opinionis eſt *Vitus* ARENPECKIUS e) auctor ſuppar.

Auctoribus in diverſa abeuntibus:

VIII. Verumtamen & his quoque duo obſunt, non minoris auctoritatis alii, auctor videlicet chronici *Mellicenſis*, f) & qui nedum eam ætatem vixit, ſed & muneribus in Univerſitate *Vindobonenſi* publicis exiguo poſt tempore functus eſt, *Thomas* HASELBACHIUS, g) initium huius matrimonii ad annum MCCCCXXII. affigentes. Hu-

a) Hiſtor. Imp. SIGISMUNDI cap. LXIX. inter MENCKENII Scriptor. rer Germ. tom. I. col. 1129. a.

b) Vid. eiuadem MENCKEN. præf. ad opuſcul. XV.

c) Corp. hiſtor. *Germ.* tom. I. p. 715. §. XXXV. vit. SIGISMUNDI.

d) Inter laud. *Hier.* PEZII Scriptor. tom. II. col. 550. b.

e) Ap. eund. tom. I. col. 1245. b.

f) Ibid. col. 254. d.

g) Tom. II. col. 851. d.

Huius vero verba cum luculenta ſint, ut ut non ſatis Latina, huc adſcribere operæ pretium erit. „ Anno 1422. (ait loc. cit.) in octa-„ vis octavarum Paſchæ, a) quibus & feſtum Prædicatorum *Viennæ* „ peragitur, Sereniſſima Domina ELISABETH, Regis *Romanorum* & „ *Ungarie* Domini SIGISMUNDI unigenita, ad conſummandum ma-„ trimonium cum Domino Duce ALBERTO *Viennam* traducitur, „ multa cum gloria totius Cleri & populi, ac ſuppoſitorum Univer-„ ſitatis numeroſa ſibi obviante multitudine, quæ & thoro ſibi iun-„ gitur (id tum nempe ante ſacerdotalem benedictionem licitum „ credebatur) & mane ante aram beatiſſimi STEPHANI unacum ſuo „ ſponſo benedicitur. Cui & prævie ſub titulo pignoratitio quin-„ que in *Moravia* civitates: *Brunna, Znoyma, Iglavia, Budwiz &* „ *Pocherliz* aſſignantur, & in vim dotis a Rege prænominato, pro „ quibus tamen Dominus ALBERTUS eidem tradiderat non minus „ centum millia florenorum. „ Hæc ille; qui quando res circum-ſtantes uberius, curatiusque adfert, tanto proniorem, noſtro quidem iudicio, meretur aſſenſum. Et certe, quod de dote, a ſponſa allata, centumque florenorum (aureorum ſeu ducatorum *Hungaricorum*, de quibus intelligi debet) millibus ab ipſo viciſſim donatis, refert, id dicto diplomati apprime reſpondet.

TAB. XXVII.

a

IX. Etſi enim Anonymus *Gemnicenſis* b) aliique autument: ALBERTO unacum ſponſa integrum ſtatim *Moraviæ* Ducatum obveniſſe: eos tamen decipi, cum ex ſæpe dicto diplomate, tum ex aliis duobus, a GOLDASTO editis, c) manifeſtum fit; unde quippe diſcimus: *Moraviam* illi iure beneficiario anno primum inſequenti 1423. collatam fuiſſe. Quid multis? tam Anonymus *Vindobonenſis*, quam HASELBACHIUS, optime componuntur, exiſtimando: alterum de pactis nuptialibus, publico inſtrumento firmatis, alterum autem de ipſa nuptiarum ſolemnitate loqui. Quo pacto diploma quoque ſatis congrue exponi poterit, maxime cum ſponſam honorifico *Virginis* titulo mactet; quod certe matrimonio conſummato, atque *donatione propter nuptias* iam iam facta, dici nequiſſet. Quod ſi vero verba Anonymi aliud innuere, quin & ſuadere videantur: meminerit Lector, medii ævi Scriptores non ſemper ita preſſe capiendos eſſe, ſed nonnumquam ſtili eorum obſcuritati nonnihil indulgendum. Exinde vero vix operæ pretium nos facturos ſperamus, B. L. admonendo, quantum a vero, pro more, abſit LAZIUS, cum ALBERTUM anno primum MCCCCXVI. veniam ætatis conſecutum, atque ELISABETHÆ iam anno MCCCCXX. matrimonio copulatum fuiſſe affirmat. d) Utrumque enim ex allegatis diploma-

Qui combinantur.

b

c

d

tis

a) Puta: *Dominica in Albis*, quæ tum in XIX. *Aprilis* inciderat. Fere enim ſimili loquendi modo utitur auctor col. 900. b. ubi de *octavis Epiphaniarum* ſermo ipſi eſt.

b) Inter Scriptores PEZIANOS tom. II. col. 378. a.

c) De regno *Bohem.* Append. tom. II. p. 275 & 78. Edidit quoque LUNIG P. Spec. Cont. I. FORTSEZ. I. p. 260. & 261.

d) Chronic. urbis *Wiennenſis* p. m. 34. edit. anni 1692.

Tab. XXVII. tis ſat lucis accepiſſe exiſtimamus. Longe accuratior eſt, quin, ut videmus, nobiscum facit BIRCKENIUS lib. IV. cap. VI. pag. 436.

Alia ELISABETHÆ ſtatua. N. 3.

X. Alteram ELISABETHÆ effigiem ex thecis HERÆI eduximus. Veſtis eius pro more illorum temporum, haud ſecus, ac ſuperior imago, inſignibus conſita eſt: caput corona arcuata obtegitur. Porro dextra manu chartam convolutam tenet, ſiniſtra ſceptrum. Sunt, qui hanc iconem ELEONORÆ *Portugallenſi*, FRIDERICI III. Imp. uxori tribuunt, ſed falluntur; quod utriusque imagines conferre volentibus patebit. Accedit tam huius, quam præcedentis, nec non & illius, quam *Franciſcus* TERTIUS edidit, quamque nos adeo repetere ſuperſedemus, ſimilitudo.

Ladislai *Poſthumi* breviarium vitæ:

XI. Ex quatuor ALBERTI liberis LADISLAUS, qui poſt patris fata natus, *Poſthumus* cognominari ſolet, ordine poſtremus fuit. Is anno MCCCCXL. *Albæ* quadrimeſtris coronatus, ac cæſo ad *Varnam* ULADISLAO I. *Poloniæ* Rege, quem *Hungari* ad coronam evocaverant, regno tandem potitus eſt. FRIDERICO III. Imp. conſanguineo in tutelam datus, & ab eo ægre recuperatus, multorum malorum anſam præbuit. Sed reſtitutus tandem, ac ſubinde Rex quoque *Bohemiæ* coronatus, *Pragæ* in ipſo nuptiarum apparatu ſublatus eſt, non ſine ingenti veneni, ab hæreticis *Huſſitis* porrecti, ſuſpicione: cum annum ageret ætatis octavum decimum, Chriſti MCCCCLVII.

Nec non & effigies eius, N. 4.

XII. Effigiem huius Principis ex Pinacotheca illuſtr. D. Comitis de WEISSENWOLF, quæ *Lincii* eſt, proferimus. Toga, quam ab humeris ad pectus catenula ambit, amictus eſt, pellibus ſuffulta, interiori amiculo pariter conſpicuo: quali fere habitu LADISLAUM nonnunquam, & quidem paullo ante mortem uſum fuiſſe, teſtatur *Æneas* SYLVIUS, a) quando ait: *Sederat in iudicio Rex --- Neqve de more indutus prodierat, linea tantum indumenta ſuſceperat, & deſuper Perſicum habitum, qvem vocant* SCHUBAM. Manicæ fiſſuris, uſitato iam eius ætate more, diſtinguuntur: ac caput denique ſerto, ex roſis & floribus contexto, redimitur: virginitatis integritatisque ſymbolo: vel ſi mavis, ob inſtantem tum forte nuptiarum illius ſolemnitatem. *Sed omnes fere*, inquit *Ventura de* PERUSIO b) *comam muliebri more promiſſam habentes, ſerto duntaxat ornavant, multis ac variis diſtincto floribus, quo vti fere ſemper ſolent diebus feſtis.* Equidem non niſi de populo, SIGISMUNDUM, Ducem *Auſtriæ*, an. 1459. *Conſtantiam* intrantem, cum gaudio tripudioque excipiente, loquitur auctor: ſed eiusmodi ornatum neque Principibus diſplicuiſſe, cum ex facto ALBERTI I. IOANNI *parricidæ* paucis ante cædem ſuam horis eiusmodi corollam roſaceam imponentis, tum exinde quoque elucet; quod MAXIMILIANUS I. cum ſimili ornamento appareat, quod cum ad eum ventum fuerit, am-

a) Hiſt. *Bohem.* cap. LXX. p. m. 125.

b) Extat apud FREHER. Scriptor. rer. *Germ.* tom. II. p. 179.

amplius illuſtrabimus. Quid? quod BONFINIUS de SIGISMUNDO, LADISLAI avo, referat: *Quum interea medici omnem* SIGISMUNDO *ſpem ademiſſent . . . e Boemia, quam perfidia ſemper laboraſſe noverat, depexa coma, & viridante ſerto comptus, in bonæ valetudinis prætextum egreditur,* a) ut adeo ſertum, haud ſecus ac priſcis, ut nummi docent, temporibus, etiamnum hac ætate *lætitiæ* ſignum fuerit. Poſtremo cæſaries infra humeros defluit, quam ad dignitatem & pulchritudinem Principis multum contuliſſe, exinde colligimus; quod *in auri modum fulſiſſe*, laudatus affirmet SYLVIUS, b) eamque Rex morti proximus amputari iuſſerit, *ne qua*, ut inquit SYLVIUS *ſupereſſet vanitas.* Id quod tamen executioni mandatum haud fuiſſe, idem obſervat auctor. c)

Tab. XXVII. a b c

XIII. Et ſane *pulcherrimus ac optimorum morum iuvenis* appellatur a *Felice* FABRO, d) nec deſunt alii eius laudatores, quos inter veriorem, quam accuratiorem eſſe exiſtimamus HASELBACHIUM, e) cuius aliquos verſus ex prolixo, quod honoribus LADISLAI ſcripſit, epitaphio, afferre lubet:

Atque oris ſpecies ex HASELBACHIO, d e

Compluit hunc tantum dives natura decore
Pulcher & felix iſte ſit absque pare.
Unam nec maculam natura reliquit in illo,
Ad caput a planta transvolat ille decor.
Vertex, frons, oculi, naſus, os, gena, mentum
Colla, manus, pectus, pes ſine labe nitent.
Aurea cæſaries, frons alba permixta rubenti,
In puero forma, gratia multa fuit.
Obfuſcans alios multos fulgore ſereno,
Alter in his meruit Lucifer eſſe nobis.
Commendat Regis decus os roſeum, genæ rubens,
Scintillans oculus, mens pia, pura caro.
In laudem huius plene natura laborat,
Miraturque ſuam ſic ſtuduiſſe manum.

XIV. Hæc HASELBACHIUS ligata, cui addere lubet haud paullo comtiorem BONFINIUM, f) qui ſoluta oratione LADISLAI formam ita exponit: „Ad decentem corporis proceritatem creverat: „facies illi fuit venuſtatis inauditæ, oculi nigri, ſerenus ac felix aſpe„ctus, candidus color ac ſubrubeus in roſarum morem, coma us„que adeo aurea, promiſſa, criſpaque, ut cœleſtem quendam ori „decorem adiiceret: naſus addecens & ſubaquilinus, lineamenta „corporis & membra cuncta formoſiſſima. nihil in ipſo fuit, „quin aliquid raræ præſtantiæ redoleret: in inceſſu gravis, in loquen-

Ac BONFINIO. f

a) Rer. *Hungar.* Decat III. lib. III. p. m. 291. col. 2. b. c.
b) In ead. hiſtor. *Bohem.* p. 126.
c) Add. BONFIN. rer. *Hungar.* loc. cit. pag. 361. a.
d) Apud. GOLDASTUM rer. *Suevic.* p. 63. col. 1. edit. noviſſ.
e) Loc. cit. p. 887.
f) Loc. mox cit. c. d.

„ quendo perhumanus, & benignus eſt habitus. „ Cum his vero in quantum effigies noſtra reſpondeat, peritus Lector ipſe iudicabit. Nos ſane capillos multum criſpos in imagine haud obſervamus.

CAPUT XI.

LEOPOLDUS III. COGNOMENTO PROBUS, EIUSQUE FILIUS WILHELMUS, CUM SUIS UXORIBUS.

§. I.

Breviarium vitæ.

Monumentis Ducum *Auſtriæ* ea ex ſtirpe, quæ ab ALBERTO III. ALBERTI II. filio, propagata, in LADISLAO *Poſthumo* extincta eſt, abſolutis, ac ad finem perductis: ordo & tempus poſtulat, ut ad LEOPOLDUM *Probum*, ALBERTI *Sapientis* filium natu minimum, lineæ *Tyrolenſis*, atque adeo & reliquorum *Auſtriæ* Principum ſatorem redeamus. Is igitur anno MCCCLI. natus, ingenium a natura acre, atque, ut auctor *hiſtoriæ Ducum Styriæ* animadvertit, ampliandi imperii cupidum ſortitus, bellis ſeſe aliquot, cum *Venetis* præſertim, implicuit, non æqua tamen ſemper fortuna uſus. Unde & *Probi*, id eſt, ut LAMBECIUS erudite obſervat, *Magnanimi* cognomen promeritus eſt. Sed inter cetera bella nullum cum ſibi, tum aliis primæ nobilitatis viris calamitoſius accidit, quam quod cum *fœderatis Helvetis* geſſit; quippe ubi unacum iisdem in celebri illo prœlio ad *Sempach* IX. *Iulii* anno MCCCLXXXVI. infeliciter occubuit. Uxor eius VIRIDIS ſeu VIRIDA erat, BARNABONIS ſeu BARNABÆ, Vice-Comitis *Mediolanenſis*, ex BEATRICE *Scaligera* filia. Hæc illi matrimonio minime ſterili anno MCCCLXVI. VIII. Cal. *Martii* iuncta fuit, nuptiis *Mediolani* in palatio ſoceri celebratis. De obitu illius alibi videbimus.

Statua LEOPOLDI ex *Dom.* CUSTODE, TAB. XXVIII. N. 1. a

II. Ex LEOPOLDI imaginibus omnium ſe primam hic offert ſtatua, a *Dominico* CUSTODE, chalcographo *Auguſtano*, poſt annum 1622. edita. Habitus illius, armaturæ genus, ac ipſe præſertim corporis ſtatus peregrinum quid ſapiunt, & Principis ætati haud ſatis conveniens: ac barba denique, quam haud promiſiſſe, ex effigie eius ſupra cap. II. num. XXVIII. deſcripta, nec non & ex alia, in *Genealogia Diplomatica* a) exhibita, diſcimus, vix non omnem derogat fidem. Quare illam haud adeo magni faciendam putamus.

Et templo *Oenipontano*. N. 2.

III. Magnificentior iuxta ac ornatior eſt ſtatua hæc *Oenipontana*. Dux cataphractus, dextra demiſſa, & ad continendam ſta-

tis

a) Tom. I. lib. III. cap. III. p. 218. ubi ex genuino antiquitatis monumento unacum IOANNE, Comite de *Ochſenſtein*, & OTTONE, *Marchione Hochbergenſi*, deſumptus exprimitur.

tis, ut diximus, temporibus facem coaptata: finiftra gladium bellatorium demittit, dependente a latere dextro, haud fecus ac in fimulacro præcedente, pugione *mifericordiæ*, de quo frequens nobis fermo fuit. Caput galea ita occultatur, ut hæc in archetypo levari, ac attolli, atque adeo facies levi negotio confpicua reddi queat: id quod in aliis quoque *Oenipontanis* ftatuis videre eft. Ad hanc fere normam *Francifcus* TERTIUS iconem LEOPOLDI nobis reliquit, a *Cafparo* PADUANO æri incifam: eo difcrimine, ut, mutata vice, quem hic gladium tenet finiftra, illum ibi dextra præferat. Addidit infuper fceptrum pro more, pugionemque *mifericordiæ* a finiftris, præter antiquorum confuetudinem, demifit.

TAB. XXVIII.

IV. Iisdem auctoribus, *Francifco* fcilicet TERTIO, & *Cafparo* PADUANO, fequentem VIRIDÆ, uxoris eius, effigiem debemus. Crocota, floribus intexta, induitur, ac catena, zonæ loco præcincta eft. Manicæ ad humeros, & ab his ad manus ufque incifæ, fafciis religantur, quem morem ipfius tempore in ufu fuiffe, merito negamus.

Itemque uxoris eius. N. 3.

V. Coniunxit fibi nobiliffimam hanc Principem LEOPOLDUS anno MCCCLXVI. die XXII. *Martii*, anno ætatis, ut mox videbimus, quinto decimo. Ea de re Scriptores antiqui parci admodum funt, nec integram referunt. Quare non poffumus non afferre, quæ Cl. STEYERERUS a) in eandem rem ex chartis veteribus ac authenticis collegit, veterumque adeo negligentiam erudite refarcivit. „ Chartæ, quibus LEOPOLDI *Auftriaci* & VIRIDÆ *Mediolanenfis* coniugium illuftratur (ait) extant in tabulario Cæfareo. Prima BERNABOS, VIRIDÆ pater, ad nuptialia pacta condenda legatum mittit STEPHANUM de *Mutina*, Doctorem, MCCCLXIV. X. Cal. *Aug*. Pacta ipfa in fecunda explicantur, & dos centum millium florenorum, quam fponfa afferet. Scripta eft in caftro *Paudin* anno eodem Calendis *Octobris*. Tertia eft, qua RUDOLPHUS, ALBERTUS ac LEOPOLDUS fratres, VIRIDÆ complures agros dotales ac prædia in *Carniola* tradiderunt, hoc ipfo anno *Viennæ* VI. Cal. *Maii*. Ultima fidem facit, fponfos folenni ritu in palatio BERNABOVIS manus iunxiffe VIII. Cal. *Martii* anno fequenti. „ Hæc Cl. STEYERERUS, quibus folummodo addimus: fummaria priorum trium chartarum etiam noftris in manibus effe, in quorum tertio fpeciatim nominantur urbes & arces: *Labacum*, *Craneburgum* & *Staina*, VIRIDÆ ab *Auftriacis* pro *Morganatica*, quam vocant, datæ. Unde & viduitate in *Carniola* traducta, ibidem defunctam & fepultam fuiffe, alibi videbimus.

Quam fibi admodum iuvenis copulavit, a

VI. Præterea obfervandum eft Cl. Viri verba mendo haud carere. Etenim ubi chartam tertiam exponit, loco illorum verborum: *hoc ipfo anno Viennæ V. Cal. Maii.*; reftituendum fane eft: *anno*

Et quidem an. 1366.

a) Loc. cit. in addit. col. 548. N.

Tab. XXVIII.

anno MCCCLXV. Sic enim præfert dictum ſummarium noſtrum, exiguntque verba ibidem ſubiecta, quibus aſſerit Vir doctus: ſponſos *anno ſequenti* VIII. Cal. *Martii* manus iunxiſſe. Id enim non anno MCCCLXV. (quod quidem per ætatem Ducis, ut mox apparebit, vixdum licuiſſet) ſed anno inſequenti eveniſſe, teſtantur Annales *Mediolanenſes* apud Cl. MURATORIUM, a) nec contradicit *Ioſephus* RIPAMONTIUS, b) quanquam non nihil hallucinetur: RUDOLPHUM IV. qui [illegible]ſe earundem nuptiarum cauſſa anno MCCCLXV. *Mediolanum* contulerat, LEOPOLDI *patruum* faciens; *frater* cum fuerit: nec Annales ipſi ſine nævo ſint; quando nuptias XIII. *Ian.* celebratas volunt, cum, teſtante Inſtrumento, revera VIII. Cal. *Martii* peractæ fuerint.

Cum antea per ætatem Principis non licuiſſet.

VII. Multo minus rem tetigit BIRCKENIUS, c) aliique, eius veſtigia legentes, qui LEOPOLDUM VIRIDÆ ſuæ iam anno 1364. iunctum fuiſſe, putarunt, quod tamen per ætatem Principis nondum licuiſſet; quando certum eſt, eum ante XIX. *Aprilis* anni MCCCLI. hanc lucem haud aſpexiſſe. Deduxit id, poſt ſupra allegatum STEYERERUM, *Hiſtoriæ Ducum Styriæ* auctor ex litteris quibusdam, dicto diei anni MCCCLXV. exaratis, d) in quibus LEOPOLDUS annum ætatis decimum quartum, fraterque eius ALBERTUS ſextum decimum agere perhibentur. e) *Unde coniicias*, inquit, ALBERTUM aut poſt XIII. *Calendas Maias*, *anno ſeculi* (decimi quarti) *XLIX. aut ſequente, ante eum diem editum*; LEOPOLDUM *vero eodem dierum ordine aut anno LI. aut LII. natum.* f) Quare, quidquid dicas, nuptiæ LEOPOLDI anno. 1364. haud fieri poterant; utpote Principis, ſi plurimum, annos ætatis tres & decem numerantis.

In quam ſtudioſius,

VIII. Sed & hanc ætatem propius definire, pronum eſt. Inprimis enim Hiſtoriæ *Styrenſis* auctor optionem inter annum dicti ſeculi quinquageſimum primum & quinquageſimum ſecundum, quorum alterutro Dux noſter natus ſit, perperam, nec ſuorum paullo ante dictorum ſat memor, offert; quandoquidem ſatis ſuperque g) conſtat, quin & ipſemet docet: h) IOANNAM, LEOPOLDI matrem, iam tum anno MCCCLI. XVII. Cal. *Decembris* e medio ſublatam. Extat præterea diploma, i) quo NICOLAUS Patriarcha *Aquileienſis*, ALBERTUM *Sapientem*, patrem LEOPOLDI, fratresque eius, RUDOLPHUM, FRIDERICUM & ALBERTUM *& heredes eorum, de civitate & terra Venzoni, caſtro ſuperiori in Wippach,* &

a) Inter rer. *Ital.* Script. tom. XVI. cap. 428. col. 736.

b) Theſaur. antiquitt. *Ital.* lib. III. col. 562.

c) Lib. III. cap. XI. pag. 378.

d) P. II. p. 40. Hæc apud Cl. STEYERERUM extare ſi dicamus, a vero fortaſſis haud aberrabimus. Quæ enim addit. col. 545. adducuntur, *datæ Badenæ* proximo *ſabbato poſt Paſcha* 1365. cum XIX. *Aprilis* accurate reſpondent.

e) Extant apud eundem STEYERERUM col. 428. & 502. duo Inſtrumenta alia, primum 12. *Martii* alterum *Dominica Oculi*, id eſt XVI. *Martii* eiusdem anni, obſignata, quæ quidem citatas litteras confirmant.

f) Hiſt. Ducum *Styriæ* P. II. pag. 40.

g) Ut poſt eundem STEYERERUM l. c. col. 253. manifeſtum fiet ex tomo ſequenti.

h) Loc. cit. pag. 21. Add. STEYERER. in *Comment.* p. 16. & *Addit.* col. 253. aliosque ibi laudatos.

i) Ap. STEYERER. loc. cit. col. 151.

& de castro montis S. MICHAELIS *ibidem, cum juribus eisdem adhærentibus, nec non de omnibus aliis bonis, castris, possessionibus & juribus ad eosdem --- ab eadem Ecclesia -- pertinentibus, titulo feudali* investit. Quæ litteræ cum *date* sint *in Budweiss -- die primo Mensis Maii anno Dominice Nativitatis millesimo trecentesimo quinquagesimo primo, indictione quarta*, non obscure docent, LEOPOLDUM dicto primo *Maii* nondum fuisse natum; secus enim cur nomen eius reticeretur? utpote cui eodem, quo editus est, momento, paria cum fratribus competebant iura. In iisdem certe litteris ALBERTI quoque fratris, vixdum bimuli, ratio habetur; ut videas: tenellam ætatem his iuribus haud obstare. Quare iam certum esse putamus, LEOPOLDUM intra mensem *Maium* & *Novembrem* dicti anni 1351. fuisse prognatum.

Tlb. xxviii.

IX. Progrediamur tamen ulterius, pensitemusque verba chronici *Zwetlensis* recentioris, quod in suis additamentis: a) „ Anno D. „ MCCCLII. circa festum Pentecostes Dux *Austriæ* (ait) ALBER-„ TUS --- ascendit versus *Sueviam* --- pugnaturus contra provin-„ ciam, quæ dicitur *Sweintz* (*Suitia*,) qui obsessi fortissime se & „ sua defendentes, ac viriliter resistentes, per tres menses. Dux „ ALBERTUS tristis secessit, dimissis exercitibus: ex quibus aliqui „ occisi de *Austria* fuerunt. Interea Ducissa IOANNA, uxor ALBER-„ TI, acerbissima morte præventa, etiam partum abortivit, & sic „ cum maxima phrenesi extincta est. „ Adduxit hæc verba, sed uberiora ex LINCKIO STEYERERUS, qui tum haud secus, ac chronicon, nondum editus erat. Ea igitur occasione epocham, cui auctor, licet synchronus, singula hæc illigat, emendavit subtracto anno uno, cui & nos, rationibus utique STEYERERI convicti, adstipulamur, certo certius tenentes, annum MCCCLI. quo IOANNA obiit, substituendum esse. At in notis chronologicis aberranti, fides in ceteris non continuo deneganda est: credimusque adeo, IOANNAM haud equidem abortum, proprie dictum, passam (alias enim LEOPOLDUS quo pacto natus & servatus fuisset?) sed tamen partu laborasse, eoque extinctam fuisse; quo partu nemo alius, quam LEOPOLDUS noster, edi poterat.

Propiusque inquitur: a

X. Haud igitur male agere nobis videmur, si diem eiusdem natalem circa XVII. Cal. *Dec.* an. 1351. constituamus; b) ut adeo nec nuptias anno MCCCLXV. mense *Martio*, quo vitæ suæ non plures, quam annos tredecim, mensesque circiter quatuor numerabat: multo vero minus anno MCCCLXIV. ut BIRCKENIUS vult, celebrare potuerit: bene vero MCCCLXVI. octavo Cal. *Martii* seu 22. *Februarii*. Postulant id præter adducta instrumenta, verba quoque chronici veteris, ac tempori, quo scripsit, æqualis, ubi abortum, notione minus propria, pro *partu difficili*, accipere oportet

Ac tandem unacum nuptiarum tempore definitur. b

a) Rer. *Austr.* Script. tom. I. col. 542. d. ad illud. p. 527. n. III.
b) Conf. R. P. *Hier.* PEZII observat. præv.

Tab. XXVIII.

tet. Nimirum medii ævi Scriptores linguæ *Latinæ* non ſatis gnari, nonnulla ſubinde improprie, quin & inepte extulerunt: quæ ſi proprie capere velis, nimium quantum a vero diſceſſeris.

Leopoldi ſponſa Catharina,

XI. Præter VIRIDEM, LEOPOLDO alia olim ſponſa decreta fuerat, CATHARINA, MAINHARDI Comitis *Goritiæ* filia, pactis pro dote decem millibus librarum denariorum; quæ quidem ſponſalia RUDOLPHUS, LEOPOLDI frater, anno MCCCLXI. *Goritiæ die feſto* S. MAURITII procuraverat, adpromiſſis pro *Morganatica* decem itidem denariorum millibus librarum; ut teſtatur charta Archivi Cæſarei, cuius ſummarium præ oculis habemus. Sed ea non multo poſt interverſa fuiſſe, ex dictis patefcit.

Nec non & protome cum inſcriptione: N. 4.

XII. Addimus his ſtatuis protomen LEOPOLDI, in pinacotheca illuſtr. Comitis de WEISSENWOLF, quæ *Lincii* eſt, aſſervatam. Parum differt ab ea, quam ſupra tab. XVIII. num. 5. e templo *Kœnigsveldenſi* eductam, ſpectandam dedimus. Lorica tamen hic non ex ferro ſolido, ſed hamis conſtat, ipſaque lineamenta Ducem ætate, quam in dicta *Kœnigsveldenſi* tabula, provectiorem repræſentant. Omiſſæ quoque ſunt ſiglæ S. P. ibi ſcuto, quod ab humeris ad pectus demittitur, bis inſcriptæ. Poſtremo quemadmodum hæc titulum ſequentem præfert: LEOPOLDUS DUX AUSTRIÆ OCCISUS IN CONFLICTU CUM HELVETIIS: ita multo diffuſiorem, ſed vernacula conceptum, præfert tabula *Campi-Regienſis* hunc in modum:

> DIS IST DIE ABCONTERVEYTUNG HERTZOG
> LUPOLDS, DER MIT DISER SINER RITTERSCHAFFT
> ADEL UND RÆTHEN ERSCHLAGEN WARD UFF
> DEM SINEN, VON DEN SINEN UND UM DAS
> SINE UFF SANCT CYRILLEN TAG, IN DREY-
> ZEHEN HUNDERT UND SECHS UND ACHZIGSTEN IAHRE.

Id eſt: Vera effigies Ducis LEOPOLDI, qui unacum ordine ſuo eqeſtri, nobilibus, ac conſiliariis, occiſus eſt a ſuis, in ſuo ac propter ſuum die S. CYRILLO ſacro, anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo ſexto. Paullo aliter habet inſcriptio, noſtro exemplari *San-Blaſiano* ſubiecta, reipſa tamen conveniunt.

Quo illuſtratur,

XIII. Sunt inter rerum *Helveticarum* Scriptores, qui partem inſcriptionis, qua LEOPOLDUS *in-a-* & *ob ſuum* occubuiſſe dicitur, negant: ſed quorum excutere rationes longum foret; unde animadvertiſſe ſufficiat, de veritate epigraphes tanto minus aliquando dubitatum, quanto certius eſt, per omnium volitaſſe ora. Hinc teſte ARENPECKIO a) in cœnobio *Kœnigsveldenſi*, antequam in fœderatorum *Helvetiorum* poteſtatem deveniret, ſingulis diebus Lunæ memoria eius vulgaribus, ut loquitur, verbis agebatur: *Memento-*

te

a) Loc. cit. col. 1274. a.

te propter Deum nostri gratiosi Domini Ducis LEOPOLDI , *apud Sempach in sua* (suo) *pro suis & a suis occisi, hic sepulti.* Scilicet iisdem fere terminis, quibus & dicta epigraphe concepta est, ita ut levem illam mutationem solius auctoris arbitrio adscribendam existimemus. Porro preces has singulis diebus *Lunæ* dici consuevisse, ait; eoquod infaustus ille dies dicto anno MCCCLXXXVI. in diem *Lunæ*, ut Calendaria docent, inciderit.

TAB. XXVIII.

XIV. Ultimum LEOPOLDI simulacrum a *L.* KILIANO, sculptore *Augustano*, proficiscitur, maiori tamen forma editum. Ante mensam quasi consistit, dextra galeam, cauda pavonis, solito galearum *Austriacarum* ornamento, fastigiatam, ornatamque, attingit, sinistra gladium bellatorium. Patagium, uti & manica sinistra parmulis *Austriacis* consita est: qui vestium ornatus LEOPOLDI ætate frequenti in usu erat.

Additurque aliud eius simulacrum. N. 5.

XV. LEOPOLDO *Probo* filium eius WILHELMUM, natu maximum, subiungimus, in hanc lucem circa annum MCCCLXX. editum. Cæso patre, amplissimum patrimonium ad se, fratresque devolutum, patruo, ALBERTO *cum trica*, obtulit, communi nomine administrandum. At eo defuncto, ad clavum, ut conventum erat, sedere cœpit: non diu tamen perdurante concordia; aliis ex proceribus sibi, aliis ALBERTO patrueli adhærentibus. Quod quidem multorum in republica caussa malorum extitit: tum demum sublata, cum ALBERTUS an. MCCCXCVIII.. (ut tradit HAGENUS, Scriptor æqualis) iter in *Palæstinam* instituit, nec redux quidquam turbavit. Bella WILHELMUS nulla gessit, *Austria* duntaxat, vicinisque illi provinciis, armata manu, prædonibus repurgata. Unde & *Affabilis* agnomen, accedente præsertim concinnitate morum, ac mansuetudine singulari, retulisse videtur: quemadmodum contra *Ambitiosi* convitium ab iis, qui ALBERTI IV. partes secuti, illum iure suo, regimine scilicet provinciarum, cedere cupiebant. Vita excessit anno MCCCCVI. ab equo, adductis iusto fortius habenis, resupinante, infeliciter oppressus.

Breviarium vitæ WILHELMI,

XVI. Nec obsequentiorem WILHELMUS fortunam sensit in nubendo. Enimvero a LUDOVICO I. *Hungariæ* & *Poloniæ* Rege, gener designatus, *Polonorum* fraude ita delusus est, ut HEDWIGEM, LUDOVICI filiam, regnum illud tanquam pro dote sibi allaturam, IAGELLONI ethnico, Duci *Lithuaniæ*, qui deinde baptizatus, sub ULADISLAI nomine Rex innotuit, cedere coactus sit. Quare an. MCCCCIII. IOANNAM, CAROLI *Parvi*, *Neapolis* & *Siciliæ*, quin & *Hungariæ* Regis filiam duxit, nullis ex ea susceptis liberis. Hæc vidua in *Italiam* se conferens, ac regnum demum *Neapolitanum* adepta, diem clausit supremum anno MCCCCXXXV.

Eiusque sponsæ & uxoris.

XVII. Iconem WILHELMI *L.* KILIAN edidit, quam nos hic, licet forma minori, repetimus. Stola, seu tunica talari induitur, qua-

Icon. N. 6.

Tab. XXVIII. quali habitu etiam ſepultum fuiſſe, tomo ſequenti animadvertemus. Manicæ inflatæ, ac inciſæ ſunt, quales eo tempore paullatim in uſum veniſſe videntur. Gladio porro præcingitur, caputque pileo Ducali ornatur. Barbam denique promittit, quam haud ſecus, ac fratrem eius, ERNESTUM *Ferreum*, ut poſtea dicemus, aluiſſe, veriſimile eſt: qua nihil obſtante, Princeps hic *proceræ & elegantis formæ* dicitur HASELBACHIO, teſti oculato, a) ita ut *delitiæ hominum videretur*. Ad ultimum ab humeris faſcia cum cruce ad pectus demittitur, nec non torques, ex gemmis & unionibus, auro vel argento incluſis, contexta: quod genus ornamenti tum in uſu fuiſſe, alibi monuimus: quanquam ab eo ſocietatem VON HAFFTEL UND STERN (*fibulæ* & *ſtellæ*) inſtitutam fuiſſe legamus, cuius tamen torques illa inſigne haud fuerit.

Eiusque uxoris. N. 7.

XVIII. Septimum huius tabulæ ſchema coniugem WILHELMI in memoriam nobis revocat. Eductum eſt ex Bibliotheca Domini Baronis de BUOL, nec differt ab eo, quod in *Gerardi* de Roo editione *Annalium Auſtr. Germanica* p. m. 156. exhibetur. Capitis tegumen ſingulare eſt, quemadmodum & corolla laurea, dextrum humerum exornans. Eidem titulus, calamo ſubſcriptus, ſic habet: IOANNA DURAZO, WILHELMI DUCIS AUST. UX. † 1406. quæ ultima mortis epocha ad WILHELMUM potius, quam ad uxorem eius, referenda eſt; ut de qua conſtat, noſque alibi ex monumentis idoneis confirmabimus, anno primum MCCCCXXXV. obiiſſe. Eidem cognomen *Durazo* hic tribuitur; eo quod CAROLI III. *Dyrrachii* Ducis, Regis *Siciliæ* & *Hungariæ* filia fuerit. Eius genealogiam *Triſtanus* CARRACIOLI contexuit. b)

Difficultas de tempore nuptiarum,

XIX. Quo vero anno & die hanc ipſam duxerit WILHELMUS, auctores aut paſſim reticent, aut vage & confuſe referunt. Chronicon *Mellicenſe*, quod, a Scriptoribus coævis identidem continuatum, c) pro coævo haud immerito habetur, pactis illis ſeculi quinti decimi annum ſecundum aſſignat. d) Cum eodem facit hiſtoriæ Ducum *Styriæ* auctor, additque ex mox laudato HASELBACHIO, ſponſam WILHELMO a BERTHOLDO Epiſc. *Friſingenſi* (quem Ducis Cancellarium fuiſſe, ex Cl. MEICHELBECKIO didicimus) ANDREA *Grillenbergæ* curione, & *Nicolao* VORLAUFFIO, cive *Wiennenſi*, magnifica pompa, *Vindobonam* deductam fuiſſe: e) eſſe tamen alios, qui Ducem *Labacum* uſque obviam progreſſum, eadem in urbe nuptias celebraſſe memorent. Contra vero Scriptor non minus æqualis, & rei fors ſpectator, HASELBACHIUS, diſerte ait: f) WILHELMUM cum uxore ſua *fere triennio vixiſſe*: quod ſi cum tempore mortis eius, quæ anno MCCCCVI. die XV. *Iulii* eve-

a) Loc. cit. p. 814. b.

b) Inter rer. *Ital.* Script. MURATORII tom. XXII. col. 109. ubi de IOANNA noſtra.

c) Teſte eius editore *Cl. Hier.* PEZIO in obſerv. præv. num. II. pag. 165.

d) Ibid. col. 250. d.

e) P. II. p. 63.

f) Loc. ſæpe cit. col. 826. a.

venit, rite contendas, nuptiarum ſolemnia anno MCCCCIII. dictoque menſe, inferiora eſſe fatearis, neceſſe eſt. Eidem adſtipulatur auctor itidem coævus, PALTRAMI conſulis *Wiennenſis* continuator; a) quando ad eundem annum MCCCCIII. conceptis verbis annotat: *Regina de Apulia venit ad Auſtriam, & duxit in maritum Ducem* WILHELMUM, *qui quondam fuit Rex Poloniæ.*

TAB. XXVIII. a

XX. Tantus difficultatis nodus opera haud admodum difficili diſſolvi poſſe videtur, ex litteris, ipſo anno ſeculari MCCCC. die vero 23. *Aprilis Paduæ* obſignatis, quibus Dux WILHELMUS *Michaeli* de WECHSENSTEIN, pro certa æris ſumma, mutuo accepta, hypothecam conſtituit. b) Cum enim illam pecuniam *mittendis* ad deducendam ſibi uxorem, *legationibus*, *excipiendæque Sereniſſimæ Principi, ac chariſſimæ coniugi ſuæ Dominæ* IOANNÆ, *Reginæ Apuliæ* ſe inſumpſiſſe, & adhucdum inſumere profiteatur, indicium ſat apertum habemus: illum tum nubendi cauſſa *Paduam* profectum fuiſſe; ut adeo nihil admodum obſtitiſſe videatur: cur eædem nuptiæ in annum eius ſeculi ſecundum, aut tertium, procraſtinatæ fuiſſent. Accedit, quod Princeps iam tum anno MCCCLXXXV. nuptias cum HEDWIGE apparaverit, quin, ut multi affirmant, matrimonium etiam cum illa conſummaverit, ac propterea ſecundas has nuptias uſque ad obitum HEDWIGIS, quem an. MCCCXCIX. die 12. *Iulii* eveniſſe tradunt, diſtulerit. Hoc vero cum coacte potius; votis ſcilicet iam irretitus, quam ſponte fecerit, credendum eſt: illum id negotii hac ſecunda occaſione maturaſſe. Præterea litteræ in *Italia* ſignatæ ſunt, quo ſe Dux haud alia, quam nuptiarum cauſſa contuliſſe videtur, negotiumque iam ante perfectum fuiſſe. ex eo coniicias; quod IOANNA in citatis litteris iam non *virgo* aut *ſponſa*, ſed *coniux* & *Domina chariſſima* appelletur.

Ægre ſolvenda.

b

XXI. Verumtamen ſuſpicio nobis non minima oboritur: nuptiis illis etiam poſt firmata iam a Legatis (quos a WILHELMO in *Italiam* miſſos fuiſſe, dicit quidem HASELBACHIUS, at ab ipſiſmet ſponſam adductam fuiſſe, quod auctor hiſtoriæ Ducum *Styriæ* vult, non æque affirmat) atque obſignata pacta, remoram iniectam fuiſſe. Præbet nobis ſuſpicandi argumentum ſummarium chartæ, qua LEOPOLDUS Dux an. MCCCCIV. HERMANNUM Comitem *Ciliæ* ab impacto crimine, quo nuptias WILHELMI impediviſſe inſimulabatur, purgat, ac culpæ expertem pronuntiat. Nam ut ut innocens repertus fuerit: aliquid tamen impedimenti interceſſiſſe probat. Unde fert animus, laudatis auctoribus ſcribendi; attamen HASELBACHIO, PALTRAMIque continuatori potius, quam chronici *Mellicenſis* auctori; tum quod duobus plus, quam uni credendum; tum quod illi *Vindobonæ* ſcribentes, rem ipſis fortaſſe oculis uſurparint: huic vero aliena fide, quæ ſæpe fallit, innitendum fuerit. Quare recte teneri poſſe, puta-

Proponitur tamen noſtra de iis opinio,

a) Ibid. col. 729. b.

b) Edimus illas vol. huius tom. I. num. XXI.

putamus: ſæpe dictas nuptias anno MCCCC. quidem decretas, ac contractu inito, firmatas, ſed, interveniente impedimento, anno primum MCCCCIII. non multo poſt decimam quintam *Iulii* celebratas fuiſſe.

Ac firmatur.

XXII. Iuvat hanc opinionem ſummarium Inſtrumenti alterius, ſimulque dotem IOANNÆ, donationemque propter nuptias definit, qua de re Scriptores alii non ſatis luculenter retulerunt. Nimirum ea charta adpromittit WILHELMUS ducenta florenorum millia pro *Morganatica* in *Carinthia* apud *Bleyburgum* & in *Auſtria* dominio *Orth* impoſita, contra vero LADISLAO, fratre IOANNÆ, trecentorum florenorum millia ſpondente. Hoc vero Inſtrumentum cum anno primum MCCCCV. *Viennæ* in *Pentecoſte* datum ſit, ſignum habemus haudquaquam obſcurum, easdem nuptias longius, & ſaltem ad dictum uſque an. 1403. dilatas fuiſſe; maxime cum eiusmodi pacta nuptiis alias præmitti ſoleant, non poſtponi, aut ſaltem non longius differri.

Deſponſatio WILHELMI cum HEDWIGE quandonam facta?

XXIII. Antequam IOANNÆ nuberet WILHELMUS, HEDWIGI, ut diximus, LUDOVICI I. *Hungariæ* Regis filiæ deſponſus fuerat, cuius tamen effigiem nanciſci haud potuimus. R. P. LEQUILEUS a) ex GUILLIMANNO refert: promiſſionem hanc iam anno 1370. factam fuiſſe. Cui tamen relationi, ſi verum eſſet, quod auctor hiſtoriæ Ducum *Styriæ* ſcribit: Ducem noſtrum annos vitæ quatuor & triginta duntaxat expleſſe; tanto minus inſiſti poteſt, quanto certius foret, illum tum nondum inter vivos adnumeratum. Quidquid tamen ſit, negotium hoc multo tutius ad annum 1374. referas, ut ex epiſtola LEOPOLDI III. patris eius, a nobis Vol. I. huius tomi edita colligimus, qua ſe filium ſuum HEDWIGI matrimoniali fœdere iuncturum ſpondet. Quæ quidem promiſſio tum anno 1375. ab ipſo LUDOVICO, tum vero anno 1380. & 81. nec non an. 1385. a proceribus ac præcipuis civitatibus regni firmata fuit. b) Erat quoque HEDWIGIS dotem ducentorum florenorum aureorum allatura, ut ex diplomare an. 1380. d. XII. *Febr.* dato, intelligimus.

Eadem interrumpitur.

XXIV. At iis tamen Inſtrumentis, tanta ſolemnitate conditis, nihil iuvantibus, Dux noſter tanta ſpe, *Polonorum* fraude & infidelitate, excidit, ut laudatus P. LE QUILE cum pluribus aliis refert. „In aula (inquit) LUDOVICI *Hungariæ* & *Poloniæ*, Regis, cognati a puero educatus GUILIELMUS, AULICI quidem cognomen „a venuſtate morum, ut Annales habent, ad poſteros tranſtulit. „Ceterum tantam de ſe ſpem præbuit, ut illi LUDOVICUS moriturus, alteram filiam cum *Poloniæ* regno teſtamento ſponſam reliquerit, deſignaveritque anno 1382.„ Et nonnullis interiectis: „IAGELLO, cui poſtea ex ſacro fonte ULADISLAI nomen fluxit, „& regnum & HEDWIGEM per vim pridie Idus *Februarii* 1386. „ob-

a) P. III. Exc. V. ſect. II. p. 213. primo num. XII. ſeqq.
b) Vid. dipll. horum annor. tom. huius vol.

„ obtinuit. Extant adhuc rhytmi *Germanici*, qui hanc tantam in„iuriam & indignationem deteſtantur, & *Polonicæ* nationi impro„perant.„ Huc usque P. LEQUILEUS, in eo tamen, ut videtur, deceptus: quod de nuptiis illis, anno primum 1382. actum fuiſſe, putet; cum ex adducta epiſtola aliud diſcamus.

Tab. XXVIII.

XXV. Ex his vero facile emendamus LAZIUM, qui hiſtoriam WILHELMI varie pro more incruſtat, turbatque a) „ GUI„LIELMUS, ait, tres ordine coniuges habuit, ſed ex nulla prolem „ſuſcepit. I. IOANNAM, filiam CAROLI *Pacis*, *Hungariæ* Regis, cum „dote 200. millium *ducatorum*, ſed ante nuptias obiit anno 1394. „Secundam HEDWIGEM, filiam LUDOVICI Regis *Hungariæ*: ſed „hæc a IAGELLONE erepta. Hac defuncta, *Goritiæ* Comitis, vel „ſecundum quosdam CAROLI IV. Imp. filiam, ſibi coniunxit, quæ „ſine prole obiit, & ſepulta eſt *Wiennæ* anno 1406. ſequenti ipſe „quoque mortuus & ad S. STEPHANUM in crypta ſepultus penes „avum, patrem & patruum.„ Quot ſententiæ, tot fere errores, ſed quos ex dictis facile tollet veritatis cupidus Lector: adeo, ut qui eos pluribus refellere vellet, otio haud dubie abuteretur. Retuliſſe, refutaſſe eſt.

Ex dictis Lazius emendatur.

a

CAPUT XII.

FRIDERICUS, DUX AUSTRIÆ ET COMES TYROLENSIS, DICTUS CUM VACUA PERA; EIUSQUE UXORES & LIBERI.

§. I.

Quanquam FRIDERICUS inter quatuor LEOPOLDI *Probi* filios natu extremus fuerit: de eo tamen ante ceteros modo agendum eſt; ut, deficiente in filio eius SIGISMUNDO linea *Tyrolenſi* prima, reliqui *Auſtriacæ* gentis poſteri ordine deinceps haud interrupto a nobis recenſeri queant. Is igitur in ſuſcepta partitione patrimonii Comitatum *Tyrolenſem*, defunctoque LEOPOLDO fratre, *Brisgoiam*, *Alſatiam*, *Thurgoviam* & *Argoviam*, *Sueviæ*que nonnullas provincias regendas obtinuit: ſed abducto, illius potiſſimum auxilio, e Concilio *Conſtantienſi*, receptoque IOANNE XXIII. Summo Pontifice, cum Imperator, tum Patres, adeo in eum commoti ſunt, ut ab utrisque proſcriptus, provinciisque eius quaſi publicatis, brevi omnibus fere exutus fuerit: donec ERNESTI fratris præcipue opera cum Cæſare in gratiam rediens, in priſtinum dignitatis, ditionumque ſtatum reſtitutus eſt: provinciis tamen, a fœderatis *Helvetis* ad *Arulam* fluvium occupatis, nunquam

Brevia-rium vitæ.

a) Conmmentar. pag. 244.

quam reſtitutis. Obiit Princeps anno MCCCCXXXIX. die 24. *Iunii*, ut alibi videbimus, uti etiam, quoad eius fieri poterit, de anno & die eius natali.

Coniugumque eius.

II. Duæ FRIDERICO uxores erant: altera ELISABETHA nomine, RUPERTI Cæſaris filia, quæ prolem unicam ſibi cognominem, ſtatimque, poſt ſuſceptum baptiſma mortuam cum peperiſſet, eandem poſt triduum ſecuta eſt anno MCCCCIX. die S. SYLVESTRO ſacra. Altera ANNA, FRIDERICI, Ducis *Brunſuicenſis*, filia, marito itidem vivo, anno eiusdem ſeculi ſecundo & triceſimo, erepta eſt, cum ex ea filios filiasque ſuſtuliſſet.

Protome FRIDERICI. TAB. XXIX. N. I.

III. Prima huius tabulæ imago, FRIDERICUM ad genua uſque exprimens, ex Pinacotheca D. Baronis de BUOL deſumpta eſt. Veſte longa talari, ut videtur, induitur, patagiumque, quod quaſi conchis, peregrinantium more, conſitum cernimus, ſingulare eſt. Intuentium quoque oculos repetitæ parmulæ *Auſtriacæ*, cingulotenus conſpicuæ, in ſe convertunt. Porro iconi, ære expreſſæ, ſequens inſcriptio vernacula lingua ſubiicitur. FRIDERICH HERZOG VON OESTERREICH, MIT DER LEHREN TASCHEN: DIESER HAT ERBAUT ZU INSPRUG DAS GOLDENE TACHEL † 1439. id eſt: FRIDERICUS Dux *Auſtriæ*, dictus *cum vacua pera*: hic *Oeniponte* tectum aureum fieri fecit. Obiit 1439.

Idem tecti aurei conditor.

IV. Tecti huius, quod *Oeniponte* in podio veteris tablini rationum conſpicitur, typum dedimus tomo I. horum *Monumentorum* pag. 84. tab. XIV. ubi illud FRIDERICO noſtro auctori pariter adſcripſimus. Nam etſi notæ chronologicæ 1489. & 1500. in fronte ædificii conſpicuæ, aliud perſuadere videantur: dubium tamen non eſt, quin de reſtauratione duntaxat ædificii interpretandæ ſint: tecto nimirum antiquo ſuccedentibus identidem novis quibusdam molis partibus, quod quidem anno adhuc 1618. factum fuiſſe, ex adſcripto in frontiſpicio chronoſtico diſcimus.

Alia eius imago. N. 2.

V. Protome eiusdem FRIDERICI, quæ tam in BIRCKENIO, quam in *Germanica* editione *Gerardi de* ROO, quæ *Aug. Vindel.* an. MDCXXI. prodiit, reperiunda eſt. Eam ex integra ſtatua *Ambraſiana*, hic num. 4. producenda, exſumptam fuiſſe, intuentibus patebit. Barbam promiſſam oſtentat, qualem illi fuiſſe, ex hiſtoriola quadam, parum quidem honeſta, ſed tamen a Scriptore æquali, ac fide digno, relata a) intelligimus, legentes: Duci prolixam barbam fraudi fuiſſe, ut facinus eius palam fieret. Pileum quoque Ducalem in capite gerit: & ſupra patagium torques cum monili, quod auro marginatur, circumducitur; id quod ornamenti potius genus, quam equeſtris cuiusdam ordinis inſigne eſt. Qua de re conferri poteſt Anonymi *Leobienſis* locus, ſupra allegatus, b) ubi ait: *alii in ſiniſtra*

a) *Eberhard.* WINDECK inter rer. *Germ.* Scriptor. MENCKENII tom. I. col. 1094. a.

b) Supra cap. V. §. XLI. pag. 64.

stra parte pectoris imagines deferebant, alii circulis sericeis circa pectus per totum se circumcingebant. Atqui sericei *circuli*, interiecto tempore, facile in aureos, & a sinistro latere in medium transibant. TAB. XXIX.

VI. Succedit statua aenea, e templo *Palatino Oenipontano*, cuius generis iam plures spectavimus, educta. Dux totus quantus in chalybe latet, capite excepto, quod singularis formae pileo *Ducali* obtegitur. Sagum eius floribus contextum, ac pellibus murium *Ponticorum* pulchre ornatum est. Porro crumenam manu tenet, quae etsi vehementer turgeat, non est tamen dubium, quin ad cognomen eius, aut convitium potius, quo Dux *cum vacua pera* audiebat, alludatur. Cum enim ab Imperatore ac Concilio *Constantiensi* proscriptus, & bonis fere omnibus exutus fuisset, hoc ipsum convitium, ab hostibus sibi impositum, prudenti deinceps parsimonia ita elusisse narratur, ut incredibiles thesauros post se reliquerit, ac inter cetera supra memoratum tectum construi curaverit, cuius inauratio ducentis aureorum millibus constitisse fertur. a) Refert quidem non uno loco Cl. MONTEFALCONIUS, marsupii, ad zonam appensi, gerendi morem antiquissimum esse, ita ut viri, illud sic gestantes, in columna *Theodosiana* iam compareant, illumque ad infima usque perdurasse tempora. Quin etiam in *Germania* obtinuisse, cum aliunde, tum ex loco quodam *Æneae* SYLVII discimus: b) ubi de LADISLAO *Posthumo* loquens: *oculos*, ait, *huc atque illuc circumvolvens, loculos* IOANNIS, *magistri camerae suspiciens, ex phiacterio pendentes, qua ille nummos*, MORE TEUTONICO, *pauperibus erogandos asservabat.* At vero hic non nisi ad dictum convitium respici, persuasum tenemus. In basi statuae titulus eius legitur, Latine sic redditus: FRIDERICUS DUX AUSTRIAE, STYRIAE, CARINTHIAE & CARNIOLAE, COMES TYROLIS.

Statua *Oenipontana* cum crumena. N. 3.

VII. Aliud FRIDERICI signum ex Principum Comitum *Tyrolensium* iconibus, a *Dominico* CUSTODE, chalcographo *Augustano*, post annum 1622. editis, excerpsimus. Videtur ad schemata duo praecedentia effictum fuisse: mutatis, quae artifici mutanda videbantur. Dextra pugiunculum tenet, quem a *misericordia* appellari, saepius innuimus. Erat hic Princeps, ut HASELBACHIUS testatur: c) *mirae indolis in adolescentia*, itemque *pulcher facie* ac *in jurejurando Suevis plurimum conformis*, d) fortis etiam & imperterritus, ut GEBWILERUS ait. e) Qui tamen & naevis suis non caruit, male scilicet a magistro suo institutus: *Ob quod & crebro*, ut pergit HASELBACHIUS col. 811. *dum coram suis necessariis solus astaret, solitus erat dicere: Mearum notarum, in quibus deficio, meus paedagogus extitit scaturigo: qui si hodie superstes foret, hac manu mea gra-*

Alterum FRIDERICI signum, ac corporis animique habitus. N. 4.

a) Vid. BIRCKEN. lib. IV. cap. XIII. p. 445. col. 2. LEQUILE excurs. XI. pag. 267. alii.
b) Histor. *Bohem.* p. m. 100. adde BIRCKEN. p. 545. col. 2. qui tamen rem nonnihil aliter narrat.
c) Loc. cit. col. 811. a.
d) Et col. 814. d.
e) Chron. *Alsat.* lib. III. p. XXXIV.

Tab. XXIX. *gravi ultione vindicarem, quod me verbo & exemplo docuit, digna retributione compensarem.* Hanc vero iram iustissimam fuisse, nemo non agnoscet.

Succedunt statuæ monasterii *Stirpinensis*:

VIII. In Principali Comitatu *Tyrolensi* celebre quoddam Ordinis *Cisterciensis* monasterium est, *Stirpinum* nomine, vulo *Stambs* appellatum, quo de plura tomo sequenti. Ibi vero in sacello defunctorum plures numero statuæ spectantur, simulacra Principum *Austriacorum* referentes, a nobis suis locis recensendæ. Ex iis præsens est FRIDERICI *Senioris* ex ligno deaurata, ac altitudine quinque & semis pedes adæquans. Ipse Dux tunica palmata, intexto leone *Habsburgico* & aquila *Tyrolensi*, indutus, dextra sceptrum, sinistra hastam tenet. Pallio præterea decoratur, a tergo pendente, & quoad cetera cum præcedentibus fere convenit.

Quæ illustrantur.

IX. Ad hanc, ceterasque huius sacelli statuas *Austriacas*, universim illustrandas, cum primis relatio quædam facit Abbatis *Stirpinensis*, anno 1716. ad aulam Cæsaream missa, qua docet: *Dominum Abbatem* GEORGIUM *ruinosum mausoleum, summe antehac inclitum, novis Augustissimarum personarum statuis, sculptoria arte efformatis, adiunctisque provinciarum umbonibus, addito pictorum labore --- restaurasse.* Factum id esse anno 1684. sub GEORGIO II. Abbate, artifice *Andrea* THAMASCH, percelebri, dum viveret, sculptore, ex alia relatione, quam nobis non ita pridem Reverendissimus, ac amplissimus D. BENEDICTUS *Stœcklin*, Abbas *Thennenbacensis* in *Brisgovia*, pro suo in litteras favore, liberaliter procuravit, didicimus.

ELISABETHÆ, FRIDERICI coniugis primæ, statua, N. 6.

X. Sequenti statua FRIDERICI coniux prima, ELISABETHA exhibetur, ex HERÆI collectione iconum serenissimæ Domus *Bavaricæ* & *Palatinæ* exsumpta. Simile quoque schema in supra laudata editione *Germanica Gerardi* de ROO, ligno incisa, p. 476. reperitur. Manicæ strictæ dimidias manus obtegunt, quales fere supra tab. XX. inspeximus, quæque ELISABETHÆ ætate facile adhuc in usu erant. Capitis tegmen singulare quid habet.

Itemque alia. N. 7.

XI. Alia eius statua in laudato *Stirpinensi* monasterio cernitur: ubi caput eius corona Imperiali clausa coopertum, ad natales Principis adludit; utpote quæ RUPERTI Cæsaris filia erat. Ipsa desponsatio facta est an. 1401. die secunda *Iulii*, uti ex diplomate, quod Vol. huius tomi primo num. XV. vulgamus, intelligere est; ipsa matrimoniali coniunctione inibi in annum sequentem decreta, stipulataque; ubi & insimul dos a Cæsare adpromittitur quadraginta millium florenorum, Duce totidem vicissim spondente. Quæ vero nuptiæ, si BIRCKENIUM cum suis sequacibus audiamus, in annum 1406. procrastinatæ fuerunt, quod num revera ita se habeat, an secus? id equidem ex dicto diplomate decidi nequit; quippe ex quo solummodo docemur: dictas nuptias in annum 1402. solemni

ni ritu decretas fuiſſe; unde neceſſe, haud exiguum interveniſſe impedimentum, ut tamdiu deinceps protelarentur.

TAB. XXIX.

XII. Antequam ELISABETHÆ deſponderetur FRIDERICUS, pridem antea ZILIOLÆ, FRANCISCI *Iunioris*, *Carrariæ* Ducis filiæ, deſtinatus erat. Docet hoc ſummarium, quod penes nos eſt, contractus matrimonialis, ea lege initi, ut ſponſa centum millia aureorum allatura, intra triennii ſpatium duceretur: pro donatione propter nuptias ac vitalitio tandundem acceptura, quantum olim VIRIDIS, FRIDERICI mater (qua de nos in præcedentibus) acceperat, poſſederatque. Datum eſt diploma die XXV. *Ianuarii*, anno a librario omiſſo: fuiſſe autem 1384. in hiſtoria ſua *Auſtriaca Mſ.* cuius fragmenta nonnulla in ſcriniis noſtris aſſervantur, GUILLIMANNUS exiſtimat. At errare virum doctiſſimum, exinde probamus; quod FRIDERICUS eo tempore annum ætatis alterum vix ac ne vix quidem egreſſus fuerit, adeoque intra decennium matrimonium ſe initurum, ſpondere nequiſſet. Oſtendunt hoc litteræ anni 1382. quibus LEOPOLDUS, pater FRIDERICI, filiam ſuam HENRICO Comiti *Goritiæ* deſpondens, dominium, caſtrum & urbem *Portenaviam* in dotem ea conditione tradit, ut illa pro ſumma triginta millium aureorum ſibi, filiisque ſuis WILHELMO, LEOPOLDO & ERNESTO, cum libuerit, redimere liceat. Ubi cum FRIDERICI nulla mentio fiat, ſignum ſat manifeſtum eſt, illum tum nondum fuiſſe natum; ſecus enim cur a redimendi iure excluderetur? quare promiſſionem, ſeu deſponſationem cum ZILIOLA ſerius nonnihil factam fuiſſe, neceſſe eſt.

Sponſa FRIDERICI prima.

XIII. Priori adiungitur uxor FRIDERICI ſecunda, ANNA nomine, inter dictas *Stirpinenſes* ſtatuas una ſpectanda. Hæc varie ornata, coronam radiatam in capite gerit; ut quæ FRIDERICI, *Brunſuicenſium* Ducis & electi *Romanorum* Regis, nata erat. Etſi enim hic nequidem *Germanica* corona redimitus fuerit, nec etiam ipſe in actis publicis, quantum quidem conſtat, alio, quam Ducis nomine uſus fuerit: non tamen defuerunt, qui illum Cæſaris titulo etiam poſt cædem eius mactarent: quin ipſe LAMBECIUS pluribus contendit, a) illum catalogo Imperatorum *Romanorum* non eſſe excludendum. Quare vix dubitari poteſt, auctorem huius ſtatuæ, cum *Ducifſæ* coronam impoſuit, ad hanc paternam dignitatem, ut ut breviſſimam, ac cæde etiam illius contaminatam, reſpexiſſe.

Adiungitur ſecundæ uxoris, ANNÆ, ſtatua. N. 8.

a

XIV. Huius porro Principis elogium codex *Ambraſianus* texit, cuius verba, cum adhuc in *MS.* lateant, *Latine* reddita hic apponere operæ pretium erit: „ ANNA *Brunſuicenſis* (inquit) FRIDE-„ RICI, Ducis *Auſtriæ*, uxor ſecunda, *Oeniponte* poſtridie feſti S.

Unacum elogio illius.

„ LAU-

a) In addit. ad Diarium Sac. itin. *Cellenſ.* p. 256. aut 81. edit. FABRIC. Conf. MEIBOM. Iun. de FRIDERICI Ducis BR. & LUNEB. in Imperat. electione, & miſera cæde. Differt. inter Scriptor. eius rer. *Germ.* tom. III. pag. 420.

„ LAURENTII anno MCCCCXXXII. defuncta, in monasterio *Stirpi-*
„ *nensi* sepulta fuit. Erat hæc insignis pietate atque prudentia mu-
„ lier. Cilicium gestare solita, ecclesias nudis incedens pedibus, fre-
„ quentabat. Pauperes & ægrotos ipsa invisere, in deliciis habuit.
„ Cumque singularis clementiæ ac liberalitatis esset, quidquid æris
„ nancisci poterat, egenis distribuebat: nec minori enitens modestia,
„ pauperes quoscunque passim salutare, haud erubuit, eorum tueri
„ caussas, necessitatibusque subvenire consueta. Divini verbi præ-
„ cones diligenter auscultans, atque in reliquis etiam sacræ religionis
„ exercitiis assidua: cum mortuorum ossuaria, ac cumprimis incruen-
„ tum Missæ Sacrificium, summo mane peragi solitum, frequenter
„ adibat, duabus duntaxat pedissequis, totidemque famulis stipata.
„ Vestem syrmam gestare haud solebat. Denique virtutum omnium
„ exemplo, modestia imprimis, seu humilitate eminuit; unde mor-
„ tem oppetiens, ingens omnis generis & conditionis hominum post
„ se desiderium reliquit. „ Hucusque codex *Ambrasianus*: cete-
rum formam corporis eius brevibus adumbrat WINDECKIUS, testis
oculatus, dicens: facie pulchram, decoram atque coloris pallidi,
aut si mavis, candidi fuisse. a)

Recensentur proles FRIDERICI: TAB. XXX. N. I.

XV. In eiusdem *Stirpinensis* monasterii sacello mortuorum quatuor aliæ exhibentur statuæ, ex ligno fabrefactæ, ac deauratæ, quibus duo FRIDERICI liberi nobilioris sexus, totidemque sequioris repræsentari creduntur quidem, sed quorum singulos certis distinguere nominibus, haud adeo proclive est; quippe quod FRIDERICUS non quatuor modo, sed quinque admodum ex duabus coniugibus proles sustulerit. Prima erat ELISABETHA, quæ matri mortem afferens, anno 1409. nata iuxta ac denata est, ut alibi dicemus. Ex ANNA *Brunsuicensi* secuti sunt, ut laudatus codex *Ambrasianus* fidem facit, WOLFGANGUS, SIGISMUNDUS, MARGARITHA & HEDWIGIS, additque idem codex: MARGARITHAM an. 1424. octiduo post festum SS. PETRI & PAULI Apost. WOLFGANGUM anno 1426. ac anno demum 1427. die festo Cathedræ S. PETRI, HEDWIGEM obiisse. b) Eadem fere habet relatio Abbatis *Stirpinensis*, supra laudata, dies tamen emortuales MARGARITHÆ & HEDWIGIS, quos dictus codex affert, silentio prætermittens. Adiicit contra: *eodem anno* (1480.) *in cunis ad superos evolaverat* WOLFGANGUS, *filius Serenissimi* SIGISMUNDI.

Ac sua cuique statua adscribitur.

XVI. His ita se habentibus, satis ambiguum est, quibus ex senis his prolibus præsentes adscribendæ sint imagines. Inprimis enim SIGISMUNDUM, FRIDERICI filium, ideo computare nequimus; quod is non puer obierit, sed ad decrepitam potius ætatem pervenerit. Quid? quod eiusdem simulacrum in hoc sacello alias spectandum, atque infra recensendum sit. Ut ergo numerus duorum masculini sexus liberorum compleatur, dicendum erit: statua, quæ in

a) Loc. cit. col. 1112. d.

b) Conf. ARENPECK. col. 1280. a.

in medio a dextris consistit, WOLFGANGUM exprimi, SIGISMUNDI fratrem, natu priorem, eique adiectum esse WOLFGANGUM alterum, SIGISMUNDI ex coniuge prima filium, de quo dicta notitia *Stirpinensis*: ac reliqua demum duo loca a SIGISMUNDI sororibus, MARGARITHA & HEDWIGE occupari. Nec obest, quod WOLFGANGUS alter in cunis defunctus, hic quasi puer sex & amplius annorum exhibeatur; eius quippe rei rationem supra iam attulimus. a) Porro ELISABETHAM exclusam ideo putamus; quod illa vixdum nata, ad plures abierit, matrem post triduum secum trahens. De usu corollæ, quam WOLFGANGUS in capite gerit, pariter supra egimus; hicque non nisi cœlibatus, integritatisque signum esse, tanto magis credibile est; quod hodiedum iuvenes, virginesque, cum id genus ornatu sepeliri soleant.

Tab. XXX.

a

CAPUT XIII.

SIGISMUNDUS TYROLENSIS, NEC NON ET UXORES EIUS.

§. I.

FRIDERICI filius, secundo genitus, SIGISMUNDUS erat; nam etsi in diplomate quodam, infra adducendo, *primogenitus* appelletur, eius tamen rei rationem simul afferimus. Is ergo anno 1427. in lucem editus, ac sub tutela FRIDERICI *Pacifici*, agnati sui, ad omnem virtutem ac disciplinam institutus, tanto litteras, litteratosque amore ac favore prosecutus est, ut eorum *Pater* ac *Mœcenas* passim audiret, pluresque *Germaniæ* apud ipsum instituerentur Principes. Quanquam hanc laudem haud parum etiam obscuraverit vitiis quibusdam, fragilitati humanæ deputari solitis. Bella ut ut fugeret, memorabile tamen cum *Venetis*, fortuna satis propitia, secus vero cum fœderatis *Helvetis* gessit. Illis igitur brevi finitis, reliquum vitæ magna cum tranquilitate peregit, ac tandem anno 1496. die IV. *Martii* plenus dierum ad plures abiit: cum non longe antea MAXIMILIANUM I. *Rom.* Regem, heredem appellasset.

Breviarium vitæ.

II. Uxor eius, ELEONORA nomine, IACOBI, *Scotiæ* Regis, filia erat, quæ illi anno 1448. iuncta, filium unicum, WOLFGANGUM nomine, in cunis, ut supra vidimus, mortuum, cum genuisset, die XX. *Novembr.* anni 1480. viam universæ carnis ingressa est. Quo facto, post annos tres thori consortem CATHARINAM sibi adscivit, ALBERTI *Saxoniæ* Ducis, filiam, ex qua cum heredem haud sustulisset, linea *Austriaco-Tyrolensis* prima extincta est. De eius secundis nuptiis atque obitu alibi videbimus.

Nec non & coniugum eius.

III. Inter SIGISMUNDI monumenta cum primis eminet simulacrum eius, in templo *Palatino Oenipontano*, cuius generis imagines plu-

Statua SIGISMUNDI *Oenipontana.* N. 2.

a) Supra cap. VI. §. VIII. p. 73.

TAB. XXX.

plures iam adduximus, viſendum. Stat Princeps cataphractus, dextra ad ſuſtinendam certis temporibus tædam compoſita, ſiniſtra demiſſa. Pallio præterea, ſeu chlamyde potius, indutus comparet, ſubductis pellibus muris *Pontici*, circumductoque circa humeros torque aureo, in cuius medio pretioſa gemma innexa. Corona denique pilei Archiducalis radiata eſt, qualem in RUDOLPHI IV. ſtatuis iam obſervavimus, ac calcei inſuper nonnihil acuminati ſunt. Hos tum temporis apud *Germanos* maxime adhuc in uſu fuiſſe, ex *Ventura* de PERUSIO, qui de *adventu honorabiliſſimi Ducis* SIGISMUNDI *Auſtriæ*, *ad Conſtantiam civitatem anno* MCCCCLIX. relationem epiſtolicam ſcripſit, a) diſcimus: ubi de equitibus, Ducem comitantibus, ait: *roſtratis calceis calcaria inhærebant.* Singulare eſt, quod *Chriſtophorus* MANLIUS refert: celeberrimum illum *Franciſcanum*, *Ioannem* CAPISTRANUM, cum *Gorlicii* verbum DEI diſſeminaret, inter ceteros perverſos mores, & hunc pedum ornatum computaſſe, atque adeo *calceorum roſtratorum coronides præcidi* voluiſſe. b) Porro de pectoris ornamento SIGISMUNDI laudatus VENTURA ſcribit: *Pectore quoque geſtabat pretioſum lapillum, auro circum ligatum, quem nullo mercari theſauro poſſe aiebant.* In noſtra certe ſtatua lapis pretioſus prægrandis magnitudinis obſervatur.

Una cum inſcriptione, ac Archiducis titulo.

IV. Reliquum eſt, ut inſcriptionem, *Germanice* expreſſam, Latine legamus: SIGISMUNDUS ARCHIDUX AUSTRIÆ COMES TYROLIS. Ubi *Archiducis* titulus præcipue obſervandus, quem aliquando ſtrenæ loco SIGISMUNDO ab Imperatore miſſum fuiſſe, refert quidem ARENPECKIUS: ſed epocham haud deſignat. c) Id vero anno 1477. vertente contigiſſe, colligimus ex antigrapho SIGISMUNDI, quo Imperatori eo nomine gratias agit, a nobis in volumine huius tomi primo num. XXXIV. evulgato. Atque hinc vera & genuina cauſſa eluceſcit, cur Imperator FRIDERICUS III. cum in diplomate anni 1453. d) ipſa die *Epiphaniæ Domini* Duces *Auſtriæ* Archiduces creat, tam diſtincte eos duntaxat compellet: qui *Styriæ*, *Carinthiæ* & *Carniolæ* dominarentur: nulla Ducum, Comitumque *Tyrolenſium* mentione facta; nimirum quod illos ea tum dignitate adhucdum excluſos eſſe voluerit. e)

Aliæ duæ ex *Iacobo* SCHRENCKIO. N. 3.

V. Inſignem quoque SIGISMUNDI ſtatuam *Iacobus* SCHRENCKIUS in ſuo armamentario *Ambraſiano* exhibuit. Sincerum ac genuinum eſſe ſimulacrum, inde clareſcit; quod non minus, ac præcedens, in *Tyroli* fuſum ſit: eaque Pinacotheca auctorem non tam SCHRENCKIUM, quam ipſum FERDINANDUM *Tyrolenſem* Archiducem habeat. Stat Princeps, pileo Archiducali obtectus, ac chalybe totus quantus munitus, dextra ſceptrum protendens, ſiniſtra pallium

a) Extat. inter FREHERI Scriptor. rer. *German.* tom. II. p. 178.

b) Inter rer. *Luſaticar.* Script. ab HOFFMANNO editos, lib. IV. cap. 79. p. 361.

c) Loc. cit. col. 1282. c.

d) Extat apud DUMONT Corps diplomatique p. 194. LUNIG. Part. ſpec. contin. I. abth. 3. Abſ. IV. p. 33. aliosque. Fragmentum quoque dedit SCHOENLEBEN. Orig. *Habsb.* P. II. p. 108.

e) Conf. Nummoth. *Auſtr.* tom. I. in calce p. XLVI.

lium colligens. Gladio insuper præcinctus est, a sinistris affixo, a dextris vero gladiolo *Misericordiæ* prominente. Subtexitur simulacro vitæ series pro more diffusior, ubi auctor hunc in modum finit: *Princeps fuit placidus, & pacis, quam belli, amantior, mansuetus, iustitiæ ac doctrinæ amator.* Fere ut *Gerardus de* ROO: *Princeps fuit* SIGISMUNDUS *prudens, liberalis ac subditorum amans, ad quietem & pacem, quam ad bellum, proclivior.* a) Eius elogium RUDOLPHUS quoque AGRICOLA apud IRENICUM hoc tetrasticho contexuit: b)

TAB. XXX.

Viderat SIGISMUNDUS, *quid non videt iste?*
Inclita cui rerum est gloria, cuique decus.
Quo melior terris, quo non est iustior alter:
Fortis & in duris tam ratione potens.

Et sacello *Stirpinensi.* N. 4.

VI. Succedit statua lignea, auro obducta, in sacello defunctorum paullo supra laudati monasterii *Stirpinensis* spectanda, ac quinque & dimidium pedes alta. Cataphracta iterum munitur, pallioque a tergo pendente, dextra demissa bacillum tenet, sinistra paullisper elata. De huius generis statuis, quæ seculi opus superioris sunt, mox capite præcedenti latius egimus.

Ut & uxoris eius primæ, an. 1448. ductæ. N. 5.

VII. Eiusdem lateri uxor prima adhæret, ELEONORA nomine, quam anno 1448. duxisse fertur: ipsa die ac loco, quo solemnitas illa peracta fuerit, hactenus in obscuro latentibus. Quos vero feliciter, unacum aliis rebus, ad matrimonium illud pertinentibus, detegunt chartæ & diplomata nonnulla, ex Archivo *Oenipontano* educta, & a nobis volumine huius tomi I. p. 25. seqq. edita. Ex iis namque discimus: circa an. 1448. a IACOBO, Rege *Scotiæ*, *Wilhelmum* CREICHTON, regni Cancellarium & IOANNEM Episcopum *Dunckeldensem*, in *Germaniam* ablegatos fuisse; quatenus ex regiis duabus sororibus, IOANNA & ELEONORA, unam, vel ambas, uni, vel duobus *Austriæ* Ducibus in matrimonium offerrent. SIGISMUNDUS igitur, ad quem Rex singularem epistolam scripsit, conditiones acceptans, ELEONORAM delegit, quam & per procuratorem, *Ludovicum* de LANDSEE, Commendatorem provinciarum Baliviæ *Athesis*, Ordinis S. MARIÆ *Teutonicorum*, cui adiuncti erant *Parcivalus* de ANNEMBERG, Burggravius Castri *Tyrolis*, & *Leonardus* de VELSEGH, Capitaneus castri de *Taufers*, anno 1448. iuxta *Caynonem*, oppidum Diœcesis *Turonensis*, die VIII. *Septembris* solemni ritu, ac præsente inprimis CAROLO VII. *Francorum* Rege, unacum coniuge sua MARIA, sibi coniungi curavit.

Cuius nuptiarum circumstantiæ referuntur.

VIII. Inde per *Friburgum* in *Nuithonibus*, aut *Turegum*, quousque ALBERTUS, Dux *Austriæ*, SIGISMUNDI patruelis, obviam pro-

a) Lib. XI. p. 399.
b) Exeges. hist. *Germ.* lib. III. cap. LXIX. aut, si ob errorem typographicum mavis; cap. LXXI. p. m. 140.

processit, in *Tyrolim* deducta est: ubi post mensem *Novembrem* anni 1448. advenisse, necesse est. Sane die 27. eiusdem anni & mensis in itinere adhuc constitutam, atque *Turegii* exspectatam fuisse, ex totidem chartis innotescit. Denique vitalitium, atque dos, donatioque propter nuptias, illi iam ante promissa, anno 1449. die XXIV. *Febr.* assignatur, ad decem millia florenorum *Rhenensium*, seu aureorum, annui proventus, ascendens. Eadem occasione foedus mutuum inter CAROLUM VII. *Franciæ*, & IACOBUM, *Scotiæ* Reges, nec non & SIGISMUNDUM nostrum coaluit, nostris quidem temporibus pro parte feliciter renovatum.

Sigismundus primum Radegundi desponsus, quo pacto primogenitus vocetur? a

IX. Non erat hoc primum nuptiarum foedus, a SIGISMUNDO, aut eius nomine a patre eius initum. Vix enim annum ætatis tertium cum ageret, RADEGUNDI, CAROLI VII. *Francorum* Regis filiæ natu maiori desponsus fuit. At illa ante ætatem nubilem ad plures abeunte, nuptiæ illæ, quæ itidem foederi inter laudatum Regem, ac FRIDERICUM, patrem SIGISMUNDI, ansam præbuerunt, interversæ sunt. Extant ea de re duo Instrumenta apud LEIBNITIUM, a) in quorum altero etsi SIGISMUNDUS *primogenitus* vocetur, id tamen dictis supra cap. XII. §. XVI. de WOLFGANGO, fratre eius, quem anno 1426. defunctum, ætate præcessisse oportet, fraudi esse nequit. Notum quippe est, Regum filias Principibus haud facile desponderi, nisi quibus iura *primogenituræ* competunt. Hæc igitur cum mortuo WOLFGANGO, in SIGISMUNDUM nostrum devoluta fuerint, haud absurde *primogenitus* vocatur; non quidem nascendi sorte, quæ ante ipsum fratri obtigit: sed iure ac spe adeundæ olim paternæ hereditatis. Unde & in diplomate CAROLI VII. altero, *dato Senonis die XIII. mensis Septembris* MCCCCXXX. quod ad supplendum mox laudati LEIBNITII codicem evulgamus, eadem ex caussa dicta RADEGUNDIS alteri FRIDERICI *Tyrolensis* aut filio, aut nepoti, ea duntaxat conditione elocanda promittitur, *ut* FRIDERICI *Ducis Austriæ sit hæres principalis.*

Gerardus de Roo illustratur. b

X. Hæc vero *Gerardi* de Roo b) asserta pulchre illustrant, & ab iis vicissim illustrantur, dum ait: „CAROLUS (VII. Rex *Fran-* „*corum*, cui ingens cum Anglis bellum erat) uti vires suas confir- „maret, foedus & amicitiam cum FRIDERICO facit, RADEGUN- „DIM filiam SIGISMUDO eius filio despondet. Quem si ante pu- „bertatis annos mori contingeret, ne affinitas non procederet, RA- „DEGUNDIS vel secundo FRIDERICI filio, si quis ei nascere- „tur, vel FRIDERICO Iuniori, aut fratris eius Archiducis ERNE- „STI filio iungeretur. Hæc sponsalia, missis *Oenipontum* legatis, „*Simone* CAROLEO & *Ioanne* FRAUNBERGICO solemni ritu pera- „cta sunt, Anno a CHRISTO nato millesimo quadringentesimo & „tricesimo. RADEGUNDIS vero ante maturam coniugio ætatem „obiit.„

XI.

a) Cod. iur. Gent. tom. I. num. CXL. p. 349. DUMONT. Corps Dipl. tom. II. P. II. p. 228.

b) Lib. IV. exeunte, p. m. 166.

XI. Statuis SIGISMUNDI ſuccedunt ſimulacra minora: ac primum quidem Ducem cataphractum, dextra ſceptrum tenentem, ac ſiniſtra gladium apprehendentem, ad genua usque exhibet. In pectore parmula *Auſtriaca* obſervatur. Edidit *Dominicus* CUSTOS, chalcographus *Auguſtanus*, poſt annum 1622.

Icon SIGISMUNDI minor. TAB. XXXI. N. 1.

XII. Alterum, ex Bibliotheca *Buoliana* eductum, Ducem capite nudo, ac præter cataphractam pallio quoque indutum repræſentat, cum hac *Germanica* ſubſcriptione SIGMUND HERZOG VON MERAN UND TYROL HAT ANNO 1448. DIE BERGWERCK IN SCHWAZ ERFUNDEN, UND HAT TYROL DEM MAXIMILIANO I. RESIGNIRT, IST GESTORBEN ANNO 1496. LIGT ZU CLOSTER STAMS BEGRABEN. Id eſt: SIGISMUNDUS *Dux Meraniæ* (Atheſis ſeu agri Atheſini) & *Tyrolis anno* 1448. *mineras prope Sevetum detexit*, *Tyrolimque* MAXIMILIANO I. *ceſſit*. *Obiit anno* 1496. *ſepultus in monaſterio Stirpinenſi.* Ubi obiter notandum: tempora quibus mineræ *Sevetinæ* repertæ ſunt, cum iis, quibus MAXIMILIANUS I. Comitatus *Tyrolenſis* heres deſignatus fuit, huius inſcriptionis exemplo, haud eſſe confundenda; quippe quod hoc ultimum circa annum 1489. primum contigerit, teſte *Gerardo* de ROO, a) quanquam BURCHLENER ceſſionem hanc rectius in annum ſequentem referat, addens: SIGISMUNDUM cum annum ætatis tertium & ſexageſimum ageret, MAXIMILIANO provinciam *Tyrolenſem* ea conditione abdicaſſe: ut & paterna ibi habitatione, ſede videlicet palatina, iure venandi, ac quinquaginta millibus florenorum (aureorum haud dubie) annui proventus frueretur, ſtipulatione tamen, naſcituro ſibi forte filio, nullum habitura robur.

Itemque alia, ubi de abdicatione *Tyrolis*. N. 2.

XIII. Hoc enimvero ita ſe habere, certum fit ex litteris abdicationis, datis *Oeniponte die Martis poſt Dominicam Oculi*, ſeu XVI. *Martii* anno MCCCCXC. ex quibus tamen ſupplendum: ſummam, Duci quotannis perſolvendam, non ad quinquaginta modo, ſed quinquaginta duo florenorum millia, & quidem *Rhenenſium*, aſcendiſſe. Sunt & alia minoris momenti SIGISMUNDI poſtulata, quæ L. B. ex diplomate ipſo, P. I. huius Tom. num. XLVI. exhibito, ſic ubi opus habuerit, facile hauriet. Porro MAXIMILIANUM tum a SIGISMUNDO in filium adoptatum fuiſſe, laudatus obſervat BIRCKENIUS: id quod ex diplomate noſtro confirmatur.

Cuius epocha diplomate illuſtratur.

XIV. Agmen tandem claudit protome SIGISMUNDI in habitu domeſtico, ex Pinacotheca *Weiſſenwolſiana*, quæ *Lincium*, *Auſtriæ Superioris* urbem, decorat, educta. Effigiem non minus, ac præcedentes, veram eſſe, tanto minus dubitandum; quod ſculpendi, pingendique artes iam ante SIGISMUNDI ætatem caput efferentes, ipſius tempeſtate ad perfectionem deductæ fuerint. *Si ducentorum trecentorumque annorum*, ait *Æneas* SYLVIUS in epiſtola quadam, ad SIGIS-

Ac deinque tertia. N. 3.

a) Lib. X. pag. 380. Add. BIRCKEN. lib. V. cap. XXXVII. pag. 1013.

Tab. XXXI. a — GISMUNDUM noſtrum adoleſcentem ſcripta, a) *aut ſculpturas intueberis aut picturas, invenies non hominum, ſed monſtrorum portentorumque facies ... Sed ecce iam revixerunt pingendi ſculpendique diſciplinæ.* Has vero artes, regnante prudentiſſimo SIGISMUNDO, incrementa accepiſſe, atque ipſius etiam cumprimis ope caput magis magisque extuliſſe, non eſt, quod dubitemus.

Schemata uxorum: Eleonoræ, N. 4.

XV. Tandem ELEONORA, noſtri uxor prima, redit, de qua mox ſupra pluribus actum eſt. Schema hoc ligno inciſum, ex *Germanica* editione *Gerardi* de Roo pag. 382. mutuavimus. Stola, qua induitur, pellibus ſuffulta eſt, & in capite coronam geſtat, tanquam Regis filia, ut diximus.

Et Catharinæ. N. 5.

XVI. Eidem SIGISMUNDI uxor altera adiungitur, CATHARINA nomine, ex collectione iconum HERÆI deſumpta. Schema huic non multum abſimile in citata *Germanica* editione *Gerardi* de Roo p. m. 401. reperitur, quod æri inciſum KILIANUS quoque dedit. In eo petaſus, a cuius fronte egregium monile dependet, præcipue conſiderandus eſt. Reliqua nihil ſingulare habent.

Cuius epocha nuptialis oſtenditur, b c

XVII. Matrimonium cum ea an. 1484. *Oeniponte* celebratum fuiſſe, fidem inter ceteros facit BIRCKENIUS, b) multa præterea addens, ad ſolemnitatem ipſam ſpectantia, eamque die Veneris ante feſtum S. MATHIÆ, i. e. XX. *Februarii Auguſtæ Vindelicorum* advenientem, ibidem tribus diebus commoratam fuiſſe. Eidem adiungendus *Georgius* SPALATINUS, auctor ſuppar, e vernacula a nobis Latine redditus, ſic differens: c) „Hæc Princeps Domina „ANNA (ſubſtituatur CATHARINA) ALBERTI *Saxonici* & uxoris „ZEDENÆ (ſeu SIDONIÆ) e regia ſtirpe *Bohemica* deſcendentis, filia ac princeps, ſi qua alia in *Germania*, longe pulcherrima, vitæ „lumen anno Domini 1468. adiit. Eam pater illius ALBERTUS, „Dux *Saxoniæ*, anno 1484. *die Mercurii poſt feſtum Purificationis B. Virginis Oenipontem* deductam, SIGISMUNDO Archiduci „in matrimonium collocavit. Secundum hæc anno 1496. *die Veneris*, quarta *Martii*, hora decima, SIGISMUNDO Archiduce de „vita decedente, poſt unius anni ſpatium, a nativitate nimirum „Domini noſtri 1497. circa feſtum SS. PETRI & PAULI, ERICO, „*Brunſuicenſium* Duci, coniugio devincta, ac denique anno 1524. „e vivis erepta eſt, liberis nullis neque ex SIGISMUNDO *Auſtriaco*, neque ex ERICO, Duce *Brunſuicenſi*, ſuſceptis.„ Hæc SPALATINUS accurate ſatis.

Et ex Inſtrumento illuſtratur.

XVIII. Utrique autem tam SPALATINO, quam BIRCKENIO quoad tempus nuptiale ſuffragium ferunt chartæ aliquot, ex Archivo *Oenipontano* eductæ, atque a nobis loc. cit. num. XXXVI. ſeqq. vul-

a) Inter FREHERI rer. *Germ.* Script. tom. II. p. 176. edit. STRUV.

b) Spec. honor. lib. V. cap. XXX. p. 925.

c) De liberis ALBERTI Ducis *Sax.* apud Cl. MENCKEN. rer. *Germ.* Script. tom. II. col. 2139. c. d.

vulgatæ: ubi inter cetera in diplomate anni 1484. die XXVII. *Februarii* de matrimonio iam iam consummato agitur, pactaque matrimonialia confirmantur; ut adeo si sponsa ex calculo BIRCKENII die 22. aut 23. *Augusta Vindelicorum* discessit, nuptiæ XXV. aut XXVI. eiusdem mensis facile celebrari potuerint.

TAB. XXXI.

XIX. Sed & alia ex dictis diplomatis addiscimus, Scriptoribus nec antiquis, nec recentioribus, memorata. Quæ inter adnumeranda est dispensatio, quam vocant, a IULIANO Episcopo *Ostiensi*, Summi Pontificis SIXTI IV. *Pœnitentiario* Magno, super *quarto consanguinitatis gradu* anno 1483. *Id. Februarii* impertita. Qui nexus ex matrimonio ALBERTI, sponsæ patris, cum MARGARITHA, ERNESTI *Ferrei*, Archiducis *Austriæ*, filia, enatus est, & quod mireris, tertius ad secundum, non vero quartus consanguinitatis gradus erat. Eius schema instrumento ipsi subiungimus.

Quoto gradu consanguinitatis coniuncti fuerint?

XX. Ex alio Instrumento, *Torgaviæ tertio Maii* 1483. signato, nomina legimus IOANNIS Episcopi *Misnensis*, & ERNESTI HENRICI de *Endt*, pro contrahendo illo matrimonio ad SIGISMUNDUM nostrum legatione fungentium. Ac denique ex diplomate, hic num. XXXVIII. allegato, summam dotis, a patre sponsæ exsolutæ, donationisque propter nuptias, ac *vitalitii* intelligimus. Prior præter mundum muliebrem, tanta Principe dignam, viginti millibus florenorum *Rhenensium* constitit: hæc autem octo millibus id genus nummorum in annuos redditus.

Aliæque eius matrimonii res circumstantes.

CAPUT XIV.
LEOPOLDUS IV. CRASSUS, EIUSQUE UXOR.

§. I.

Antequam ad ERNESTUM *Ferreum*, communem Augustæ Gentis propagatorem, veniamus, de LEOPOLDO IV. brevibus adhuc agendum est: qui etsi rectius post WILHELMUM collocatus fuisset, illi tamen sine gravi ordinis præstituti turbatione & hic quoque facile locus esse potest. Natus est circa annum 1371. atque a corporis specie *Crassi*, a vivendi autem magnificentia, ac splendore, *Superbi* agnomen, aut, si mavis, convitium traxit. *Alsatiam*, *Sueviam*que regendam nactus, patris necem ulturus, fœderatis *Helvetis* bellum intulit, quo ei parum prospere succedente, pax brevi restituta est. Mortuo WILHELMO fratre, ALBERTI V. agnati sui tutelam suscepit: rivalem passus ERNESTUM fratrem. Quæ res multorum caussa malorum extitit: tum demum funditus sublata, cum ille anno 1411. die III. *Iunii* vitam cum morte commutavit. Uxor illi erat CATHARINA, PHILIPPI *Audacis*,

Breviarium vitæ.

TAB. XXXI.

dacis, *Burgundiæ* Ducis, & MARGARITHÆ *Flandrenſis*, filia. Hæc coniuge defuncto, SMARMANO de *Rapolſtein*, non ſine *Auſtriacorum* Principum indignatione nupſit. De eius obitu albi dicendi locus erit.

Et eius imago, N. 6.

II. Imaginem LEOPOLDI unicam tantum proferimus, ex iconibus *Tyrolenſium* Principum Comitum deſumptam. Eius cultus an ætati, qua vixit, congruat, nec ne? alii diiudicent. Crobyli ſane, ſeu plegmata, collo circumducta, ad pectus deſcendunt, fere ut ALBERTUM *cum trica* ſupra conſpeximus. Torques tamen, humeris circumductus, nec non caliptra, filis ferreis ſuffulta, vulgo *Drathaube*, eius tempeſtate facile in uſu fuit; quando FRIDERICUM *Placidum* ſimili cultu ornatum videmus. Sunt, qui huic iconi nomen LEOPOLDI *Probi*, at perperam, inſcripſerunt.

Corporisque ſpecies. a

III. Hunc animi fortitudine, ac eminenti ſtatura inſignem fuiſſe, teſtatur *Gerardus* de ROO. a) Et nonnullis iniectis: „ Fuiſſe pro„ditur ſtatura, mediocritatem aliquantulum excedente, corpore „pleno & habitiore, unde *Pinguis*, ſive *Craſſus* ab aliquibus: „ab aliis vero *Superbus*, ſive *Ambitioſus* dictus eſt; quod *Franco„furti* in Comitiis omnes Principes magnificentia ſuperaſſet, vbi præ„ter aulicum famulitium, duos & quinquaginta Comites & Barones, „in comitatu habuiſſe dicebatur. b) „ Hæc GERARDUS ex recentioribus: ſed &*ſtatura proceriſſimus* vocatur in veteri fragmento hiſtorico apud Clar. *Hier.* PEZIUM: c) quodque *Craſſus*, *magnus & validus fuerit*, affirmat HASELBACHIUS, auctor coævus, aut ſaltem ſuppar: d) quanquam eodem loco (quod obiter notamus) mendum irrepſiſſe fatendum ſit, ubi obitum illius tertio *Maii*, errore haud dubie librarii, illigat; cum feſtum S. ERASMI, quo illum diſceſſiſſe conſtat, & idem quoque innuit, tertio *Iunii*, non vero *Maii*, celebrari ſoleat.

b c d

Imago Uxoris. N. 7.

IV. Eidem hic adiungitur uxor eius, PHILIPPI *Audacis*, *Burgundiæ* Ducis, ut diximus, filia. Deſumpta eſt ex antiqua tabula, æri inciſa, hicque repetita: quemadmodum & in *Gerardi* de ROO editione *Germanica* lib. IV. p. m. 164. nec non in *Heræana* collectione iconum Ducum *Burgundiæ* & *Lotharingiæ*, reperitur. Quare alteri, quæ circumfertur, tabulæ, æri inciſæ, præferentique titulum: ANNA, FRIDERICI PROSCRIPTI UXOR, FRIDERICI BRUNSUICENSIS FILIA, minus fidendum, aut certe fides omnino deneganda eſt.

Itemque alia, verior in ſupplement. N. 1.

V. Multo igitur veriorem, ſincerioremque CATHARINÆ effigiem Cl. *Bernardus* MONTEFALCONIUS protulit ex magnificentiſſimo LUDOVICI *Malæi*, avi illius materni, ſepulcro, *quod viſitur*, ut inquit,

a) Lib. IV. p. m. 134.
b) Ibid. p. 145.
c) Loc. cit. tom. II. col. 385. c.
d) Ibid. col. 840. d.

quit, *Insulis in capella Beatæ* MARIÆ *Collegialis Ecclesiæ* D. PETRI. a) Hanc, cum oculos nostros primum fugerit, animadversam postea, in tabulam *Supplementorum* num. I. reiiciendam putavimus. Supparem esse, inde intelligas, quod sepulcrum ipsum, ut Doctissimus editor ibidem probat, postremis PHILIPPI *Boni*, quem an. 1467. discessisse tradunt, annis excitatum fuerit. Corporis habitum, vestimentorumque formam, quæ ad *Gallicum* magis, quam *Germanicum* morem, præsertim quoad capitis ornatum, accedere videtur, spectatoribus ipsis considerandam, diiudicandamque relinquimus. Obiter vero hic notandum: *Clar.* editorem CATHARINÆ huic LEOPOLDUM III. in maritum tradere, non quartum. Sed alium forte computandi modum secutus est, qualem etiam LAZIUS in chronica *Vindobonensi* observavit: b) ut scilicet LEOPOLDO II. OTONIS *Hilaris* filio, qui pueritiæ annos vixdum egressus, morti victima cessit, omisso, LEOPOLDUM *Probum* pro *secundo* computaret, *Crassum* pro *tertio*.

Quid de tempore matrimoniali LEOPOLDI *sentiendum?*

VI. Ceterum rariora plane sunt cum LEOPOLDI, tum CATHARINÆ, uxoris eius, monumenta, ita ut nec chartæ nobis suppetant, e quibus pro more tempus & conditiones contracti inter eos matrimonii assertum eamus; cum tamen id tanto opportunius foret, quanto auctores parcius de iis meminerunt. Quapropter defectum hunc ex parte saltem suppleat SCHOENLEBENIUS, qui in ephemeridibus suis desponsationi LEOPOLDI diem sextum *Septembris* anni 1387. destinat. Qui cum id ex LEQUILEO, maxime vero ex Msc. GUILLIMANNI hausisse se fateatur: facile acquiescimus. Sane in nostris thecis summaria duorum Instrumentorum asservamus, GUILLIMANNI assertum haud parum roborantia. Primum subscriptum est in Abbatia *Luxoviensi* die VI. *Septembris* 1387. alterum *Divione* die XVII. eiusdem mensis & anni. Utrumque Instrumentum de pactis matrimonialibus, dote, ac denatione propter nuptias agere, summaria quidem indicant: & quanquam præterea superaddant nihil, argumento tamen sunt, nuptias circa id temporis fuisse celebratas. Quod si denique GUILLIMANNI relatio certa est, desponsationem die VI. *Sept.* peractam fuisse, id in monasterio *Luxoviensi* contigisse, ex Instrumento priori, ubi signatum est, coniiciendum foret.

CAPUT XV.

ERNESTUS FERREUS CUM DUABUS UXORIBUS, ET FILIO EIUS SECUNDOGENITO ALBERTO.

§. I.

Breviarium vitæ,

ERNESTUS, a corporis, animique robore, cognomento *Ferreus*, inter LEOPOLDI *Probi* filios ordine tertius, in hanc lu-

a) Monarchie *Franc.* tom. III. p. 183. Ipsum vero simulacrum tab. XXXI. num. 3. spectatur.

b) Pag. m. 29.

lucem anno 1377. editus eſt. Ex provinciarum diviſione, poſt mortem WILHELMI fratris ſuſcepta, *Styriam*, *Carinthiam*, aliasque Interioris *Auſtriæ* provincias ſortitus, paci, ut ut ad bellum natus, factusque videretur, diligenter quidem ſtudens, diſſidia tamen cuncta, ea præſertim, quæ ob tutelam ALBERTI V. ut capite ſuperiori XIII. retulimus, ingenti *Auſtriæ* malo enata ſunt, haud evitavit. Secundum hæc FRIDERICUM fratrem, proſcriptionis fulmine proſtratum, fideliter iuvit, atque ut priſtinæ dignitati reſtitueretur, palmarem operam poſuit. Obiit anno MCCCCXXIV. decimo *Iunii*.

Ut & uxorum eius.

II. Matrimonia duo: primum cum MARGARITHA, BOGISLAI V. Ducis *Pomeraniæ*, alterum cum CIMBURGA, ZIEMOVITI, *Maſſoviæ* Ducis, filia, contraxit. Illa an. 1392. ducta, anno 1410. demortua eſt. Hæc vero in manus an. 1412. conveniens, marito ſuperſtes, vitam cum morte an. 1429. commutavit, *Campililii* ſepulta. De liberis alibi dicendi anſam ſumemus.

Statua ERNESTI *Oenipontana.* TAB. XXXII. N. 1.

III. Prima omnium ſe ſe hic offerens ERNESTI ſtatua, ex templo *Palatino Oenipontano* educta fuit. Pulcherrime aut operoſe ſaltem, ornata eſt: pileus Ducalis cauda pavonina faſtigiatur, circa collum nonnulla velut aurea argenteaque ornamenta ſplendent, circaque lumbos catena quaſi aurea circumducitur, nec non & cingulum militare; adeo ut vix dubium ſit, artificem veterem quandam, dum hoc ſimulacrum funderet, imaginem ante oculos habuiſſe. Singularem enim in rebus ſuis magnificentiam præſetuliſſe ERNESTUM, ita ut ea propter oculos etiam ipſius Imperatoris offenderet, cum affirmantibus multis, tum ex loco quodam HASELBACHII a) intelligimus, aientis: „Tunc etiam Dominus ERNE„STUS, poſtquam a terra ſancta b) reverſus, militiam adeptus, *pre„tioſe* venit ad regalem curiam, *Budæ* proclamatam: & quia in „tecturis equorum Trituratorum imagines pingi fecit, ideo Regi „SIGISMUNDO in præſentia ſui filii & generi, ſcilicet ALBERTI „Quinti, plurimum ſuus adventus diſplicuit; ſed agente Duce AL„BERTO, æquanimiter toleratus.„ Præterea ſtatua ipſa plurimam ſimilitudinem cum ea habet, quam in ſepulcro eius conſpicuam, tomo ſequenti proferemus. Eandem hanc ſtatuam delineari quoque curavit *Franciſcus* TERTIUS, addens Duci ſceptrum in dextra, ſiniſtra capulo gladii applicata.

Et ex *Domin.* CUSTODE. N. 2.

IV. Minoris momenti eſt ſtatua ſequens, ERNESTUM habitu cubiculari, iuvenem, atque imberbem repræſentans. Provectiori enim ætate barbam aluiſſe, ex laudato eius ſimulacro ſepulcrali apparet. Pedes præterea circa genua denudati, ac tibialia, ſeu ocreæ, ad

a) Loc. ſæpe. cit. col. 844. b.

b) Vid. LAMBEC. Sac. Itin. *Cellenſ.* ſegm. XIX. p. m. 14. & alias 35. ubi Nobilium, cum ERNESTO profectorum, catalogus exhibetur.

ad veterum potius exempla efficta videntur, quam ut ad inferiorem hanc ætatem referri queant. Edidit hanc imaginem *Dominicus* CUSTOS, chalcographus *Augustanus*, post annum 1622. forma tamen maiori. TAB. XXXII.

V. Ex duabus sequentibus protome prima in pinacotheca illustrissimi Comitis a WEISSENWOLF *Lincii* spectatur: altera ad exemplum, a *Luca* KILIAN maiori forma editum, expressa est. Priorem ex statua *Oenipontana* magnam partem desumptam fuisse, intuenti patebit. Posteriorem etiam in museo ill. D. Baronis de BUOL conspeximus, sed specie itidem grandiori. Aliæ duæ protome. N. 3. 4.

VI. Describitur vero ERNESTUS ab HASELBACHIO, quod fuerit *Princeps ad militaria opera exercitatus, scintillantibus oculis, licet subnigra facie, validus corpore, & gratiosus affatu.* a) Hunc forte ante oculos habuit auctor *historiæ Ducum Styriæ*, illum haud paullo elegantius sic exprimens: „ ERNESTUS *Bononiæ* literis operam dedit; uti equestri & militari arte probe institutus, ita a „ pugnis non admodum abhorrebat, vultu ipso quid Martium spirans, & habitudine corporis laboribus par. Nihilominus tamen „ comis, & mira suavitate sermonem aspergere gnarus. *Subnigra* „ *illi facies, & scintillantes oculi. Ferrei* illi nomen a valida cor„ poris compage, animique robore, adhæsit. b) „ Oris, corporisque species. a b

VII. Aliud elogium imagini suæ *Franciscus* TERTIUS adiecit, sed cum historica veritate minus congruens. Illum exemplo avi sui *Hierosolymam* petiisse ait; cum id solummodo de patruele suo ALBERTO IV. memoriæ proditum sit. Eundem tamen errorem etiam GANSIUS erravit. c) De eo quoque quasi monogamo loquitur; bigamus cum fuerit. Denique CIMBURGIS parentem, quem alii ZIEMOVITUM, aut SEMOVITUM appellant, is VITOLDI nomine mactat, quod & alios quosdam fecisse animadvertimus. Quin LAMBECIUS d) eundem ALEXII nomine compellat: sed id forte pro varia dialecto. Aliudque eius elogium. c d

VIII. Sequitur ERNESTI uxor prima, MARGARITHA nomine, ex thecis HERÆI educta. Sunt, qui imaginem ANNÆ, seu CATHARINÆ potius, FRIDERICI *Brunsuicensis* filiæ, atque SIGISMUNDI *Austriaci* uxori secundæ, alii contra AGNETI, ANDREÆ Regis *Hungariæ* coniugi, adscribunt. Nos cum HERÆO facimus. MARGARITHA, ERNESTI uxor prima, N. 5.

IX. Plerique hoc matrimonium an. 1392. celebratum fuisse referunt, & recte etiam; utpote quibus adstipulatur Instrumentum, in auctario nostro diplomatum num. XX. editum, atque anno 1392. die XI. *Iunii* ab ALBERTO III. & WILHELMO, ERNESTI Eiusque nuptiæ.

a) Loc. cit. col. 814. d.
b) Histor. Duc. *Styr.* P. II. p. 76.
c) In arboreto p. 7.
d) S. itin. Cellens. Segm. XIII. p. m. 10.

Tab. XXXII.

STI fratribus, ſubſcriptum, quo SIGISMUNDO Cæſari, qui MARGARITHÆ conſobrinus erat, pro dote, ab ERNESTO danda, ſponſores fiunt. Coniicimus autem præterea, nuptias ante feſtum S. ELISABETHÆ, quod in XIX. *Novembris* incidit, vel circiter, celebratas fuiſſe; ut quem terminum, ſancte obſervandum, Duces in ſe recipiunt: dotemque ac donationem propter nuptias utrinque viginti millia florenorum fuiſſe, certiores reddimur.

Ernesti uxor altera, eiusque corporis animique effigies, N. 6.

X. MARGARITHÆ uxor ERNESTI altera CIMBURGIS adſtat, ex ære fuſa, atque ex ſæpius laudato templo palatino *Oenipontano* exſumpta. Capitis tegumento in conum deſinente, circa collum torque ornatur, ac manicæ, humero tenus inflatæ ſunt. Eandem effigiem *Franciſcus* quoque TERTIUS in pinacotheca ſua exhibuit, quæ pro inſignis huius ſtatuæ *Oenipontanæ* ectypo habenda eſt. Attexuit quoque pro more elogium, quo illam *magnitudine animi & fortitudine corporis ſupra omnes fœminas excelluiſſe*, affirmat. Opportune Auctor hiſtoriæ Ducum *Styriæ*: *Nihil illi* (ERNESTO) *viribus conceſſiſſe* CIMBURGIS *fertur; ut quæ digitorum niſu iuglandes & avellanas nuces eliſerit, clavos ferreos in parietem ſolius manus adminiculo adegerit.* a) Idem in fragmento quoque codicis *Ambraſiani* legimus, qui inſuper mulierem piiſſimam, ac ieiunio, precationi, ceterisque ſacræ religionis exercitiis deditiſſimam fuiſſe teſtatur. Sunt, qui Archiduces ab hac ipſa communi eorum matre prominentiora labia traxiſſe memorant, qualia & revera in ſtatua hac *Oenipontana* obſervantur.

Itemque matrimonii tempus.

XI. De tempore nuptiali CIMBURGIS non ſatis convenit inter auctores. BIRCKENIUS b) ad an. 1411. reponit, HASELBACHIUS contra duobus annis poſterius, c) cui adſtipulatur hiſtoriæ Ducum *Styriæ* auctor. d) Et ſane cum, uxore illius prima anno eius ſeculi decimo obeunte, ERNESTUS Dux anno ſequenti, aut, quod idem *Styriæ* hiſtoricus aſſerit, anno primum duodecimo iter ſuum in *Palæſtinam* ſuſceperit: nuptiæ ille ante annum tertium decimum celebrari vix ac ne vix quidem poterant. De eo autem quidquid ſit, id pro certo habendum, illas anno ſaltem decimo quarto inferiores haud eſſe; ut ex die natali FRIDERICI *Placidi*, qui in XXIV. *Septembris* anni 1415. incidit, perſpicuum fit. Sed hæc interim, dum certiora eruantur.

Breviarium vitæ ALBERTI VI.

XII. ERNESTO *Ferreo* filium eius ſecundogenitum ſubiicere viſum eſt; ut illo, quod ſine liberis deceſſerit, paucis expedito, FRIDERICUS, Auguſtæ gentis propagator unicus, cum ſuis poſteris ordine haud interrupto proſequi poſſit. Natus eſt ALBERTUS anno MCCCCXVIII. cumque frater eius, tanquam primo loco genitus, tam paternam, quam ALBERTI V. agnati hereditatem ad ſe traxiſſet, iure ſe ſuo fraudatum conquerens, eidem bellum non ſine mul-

a) Loc. cit. p. 76.
b) Lib. IV. cap. IV. p. 415.
c) Loc. cit. col. 844. c.
d) Loc. cit. p. 74.

multis, graviſſimisque provinciarum damnis, intulit. Quod aliquoties recrudeſcens, ad ultimum non niſi ALBERTI morte, quæ anno MCCCCLXIII. die 2. *Decembris* evenit, finemque accepit. *Prodigi* agnomen a ſplendore & magnificentia vitæ, & quod ei nulla unquam pecuniæ vis, ſive ad domeſticos, ſive forenſes uſus, ſatis fuerit, indeptus fuiſſe perhibetur. Uxorem habuit MECHTILDEM, LUDOVICI, Comitis *Palatini Rheni* filiam, viduamque cognominis Comitis *Wirtenbergici*. Hæc marito longo tempore ſuperſtes, hanc vitam tandem in meliorem convertit anno MCCCCLXXXII.

XIII. Statua hæc ex niveo mormore, STRUDELII opus, in forulo *Paradiſi* (locus eſt in aula Archiducali *Vindobonæ*) ſpectanda olim fuit. Omnia ex arbitrio artificis profecta ſunt, & forte etiam ipſa vultus lineamenta; quanquam cum ſubſequentibus haud diſconveniant. Barbam aluiſſe, inde credibile fit; quod id & fratrem eius aliquando feciſſe, mox viſuri ſimus, & barbam pater eius ſimiliter aluerit. Subiicitur in baſi titulus: ALBERTUS VI. DUX AUST.

Ac ſtatua eius *Struteliana*. TAB. XXXIII. N. I.

XIV. Idem cataphracta munitus, diſcooperto capite, ac dextram menſæ imponens, ſiniſtraque gladium bellatorium tenens, æri inciſus fuit abs *L.* KILIANO. Addidit titulum: COMES TYROL. & GORITIÆ, DUX CARINTHIÆ, qui illi quidem convenit, at magis e re fuiſſet, titulum potiorem, v. g. *Archiducis* haud omiſiſſe. De illo *Vitus* ARENPECK. a) „ ALBERTUS Dux *Auſtriæ* (ait) „ *Alſatiam* poſſedit, Princeps humaniſſimus, & maximæ liberalitatis.„ Et pluribus interiectis, cum FRIDERICI, fratris eius, effigiem dediſſet, b) ſubinfert: „ ALBERTUS, frater eius, longe diſſimilis: celer „ in aggrediendis rebus, belli & gloriæ appetens, periculi contem- „ ptor, audax, laboris patiens, manu atque ingenio promptus, pe- „ cunias inter amicos partitur ac profundit, inter opes pauper, in „ paupertate dives, nullius rei magis, quam famæ avarus. „ Conſentit *Æneas* SYLVIUS, c) auctor itidem coævus, cuique Princeps notiſſimus erat: ALBERTUS *Auſtriæ Dux*, verba ipſius ſunt, *Germanus* FRIDERICI, *vir animo celſo, conſilio provido & omnibus* (malim *optimis*) *moribus egregie præditus, ſed profuſior aliquando, quam patrimonii vires ferrent, dum ſuos egere vetat amicos, in egeſtatem prolabitur, ſuaque diſtrahere cogitur.* Atque hæc eſt ALBERTI corporis, animique effigies; unde præterea intelligas, diſſidia cum fratre non tam ex malo eius ingenio, quam, ut quidam teſtantur, malo procerum conſilio, fluxiſſe, cauſſasque belli non tam invidiam, quam habendi, profundendique cupidinem fuiſſe.

Item alia, nec non & corporis animique effigies. N. 2.

XV. Protome ALBERTI in habitu ſolemni Principis, cum patagio ex pellibus muris *Pontici*, nec non galero Ducali in capite, ex

Itemque protome eiusdem. N. 3.

a) Loc. cit. col. 1291. d.
b) Ibid. col. 1293. d.
c) Hiſt. FRIDERICI III. Imp. p. 83. aut p. 44. editionis *Bœclerianæ*.

TAB. XXXIII. ex thecis HERÆI exſumpta. Ad huius imitationem ſchema quoque BIRCKENII p. 732. delineatum videmus, ac noviſſime in Bibliotheca Univerſitatis *Friburgenſis*, ſed integro corpore, ac ſuperpoſita inſcriptione, quam mox afferemus.

INSCRIPTIONES.

ALBERTUS primum lapidem cuiusdam capellæ ponit,

XVI. *Neapoli Auſtriæ* in templo novi monaſterii, ſeu *Ciſtercienſium*, in introitu capellæ S. BARBARÆ ad latus ſiniſtrum, ſeu Evangelii, lapis muro immiſſus eſt quadratus, ſuperne in formam triangularem efformatus, cui ſequens inſcriptio litteris ſemi-Gothicis inſculpta:

ANNO MILLESIMO CCCCLIII. XII. DIE MARTI.
ILLUSTRISSIMUS PRINCEPS ALBERTUS ARCHI-
DUX AUSTRIE STYRIE &c. GLORIOSISSIMI
FRIDERICI III. ROMANOR. IMPERATORIS
GERMANUS HUIUS CAPELLE AD GLAII *
EI HONOREM DEI ALTISSIMI PRIMUM SUIS
MANIBUS LAPIDEM POSUIT ANGULAREM.

Superne in medio ſcutum *Imperiale*, & paullo inferius a dextris *Auſtriaca*, a ſiniſtris parmula *Styrenſis* ſpectantur, ac ſubter his familiare FRIDERICI ſymbolum in ſchedula volitante:

A E I O V

Et Academiam *Friburgenſem* fundat.

XVII. *Friburgi Brisgoiæ* in ſupra memorata Bibliotheca, inſigni prorſus cura & labore noviſſime inſtaurata, ALBERTI effigies in tabula picta, locoque extantiori conſpicitur, cum inſcriptione, ſuperne legenda:

ALBERTUS VI.
ARCHIDUX AUSTRIÆ
ACADEMIÆ HUIUS
FUNDATOR.

Diploma fundationis, vernacula ſcriptum, datum eſt *Friburgi Brisgoiæ* in feſto S. MATTHÆI Apoſt. anno a nativitate CHRISTI milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo, fateturque Princeps: ſe pium hoc opus non minus FRIDERICI Imperatoris, fratris, ac SIGISMUNDI Ducis ac Comitis *Tyrolis*, quam ſuo nomine facere; ut adeo fundationis gloria iis recte etiam atque una adſcribatur. Non deſunt etiam, qui ALBERTUM ſuaſu ac precibus uxoris animum ad id adieciſſe ſcribunt. Diploma ipſum editione quidem digniſſimum foret, ſed a qua in præſentiarum conſulto ab-

*) Lege: *gloriam & honorem.* Litteræ nimirum exeſæ & detritæ obſcuram, impeditamque lectionem faciunt.

abſtinemus; cum quod longiuſculum ſit, tum quod id aliquando ab egregio quodam Univerſitatis membro opportunius exſequendum ſperemus.

CAPUT XVI.

FRIDERICUS PLACIDUS IMP.

EIUSQUE

UXOR ET FILIA.

§. I.

Iam ad eos *Auguſtæ* Domus poſteros delabimur, quorum vitæ breviaria utcunque in *Nummotheca* noſtra dedimus. Quare iis omiſſis, ad recenſenda eorum monumenta ſine ulla deinceps ambage progredimur, ſubiecturi ſingulis, quæ nunc uberiores erunt, inſcriptiones.

Moni-tum.

II. *Senis* igitur, *Hetruriæ* urbe cum primis nobili, Baſilica Cathedralis eſt, opus adeo magnificum & ſingulare, ut cum præcipuis nedum *Italiæ*, ſed & totius *Europæ* de palma certare queat. Ibi a latere ſacelli S. IOANNIS *Baptiſtæ* locus Bibliothecæ deputatus eſt, in cuius parietibus vita PII Papæ II. qui antea *Æneas* SYLVIUS, ex gente *Piccolominea*, a celeberrimis pictoribus PINTURICCIO, PETRO *Peruſino*, & magno RAPHAELE *Urbinate*, coloribus adumbrata cernitur. In udo ſingulæ hiſtoriæ expreſſæ ſunt, vultusque ad nativam ſpeciem delineatos eſſe, teſtatur, qui hæc refert, *Cl.* MONTEFALCONIUS. a) Tabularum numerus ad denarium aſſurgit, ſingulisque ſingulæ ſubiiciuntur inſcriptiones, quarum argumentis præcipuæ SYLVII vitæ actiones exprimuntur. Eas laudatus MONTEFALCONIUS integras retulit, & ante ipſum SWERTIUS, b) ac *Laurentius* SCHRADERUS, c) ſed is tertiam & quartam (calami an typothetæ errore?) in unam conflans, hiſtoricam lucem nonnihil obſcuravit.

Picturæ Bibliothecæ *Senenſis*, vitæ actiones *Æneæ* SYLVII exhibentes, TAB. XXXIII. * ■ b c

III. Ad noſtrum inſtitutum tabula cumprimis ordine quinta facit, quam eo, quod ſerius non nihil, atque reliquis iam æri inciſis, litterisque numeralibus ſignatis, in manus noſtras venerit (ut internoſcatur a præcedenti, eodem numero & littera alphabeti notata) aſteriſco diſtinximus. Illius cum a nobili & ampliſſimo Senatu *Senenſi* exemplum peteremus, res illi tanti viſa eſt, ut dato *Silvio* CAMPIONI, Patritio *Senenſi*, & pro S. M. C. *Senarum*, eiusque Dominii a ſecretis legum, negotio, ad illuſtr. atque Excellentiſſimum, dum viveret, D. Comitem *Emanuelem* de RICHECOURT, ſupremum Conſilii Cæſarei, quod *Florentiæ* eſt, Præfectum, deferretur.

Nobis, quantum opus fuit, a Senatu communicatæ.

a) Diar. *Ital.* cap. XXIII. p. 345.
b) Select. orb. delic. p. 227.
c) Monum. *Ital.* p. 93. averſa.

Tab. XXXIII. * retur. Is ergo pro ſua erga Cæſarem, ac univerſam Domum *Auſtriacam* obſervantia, ac devotione, ſingularem prorſus curam & ſollicitudinem adhibuit, ut a perita manu quam accuratiſſime exſcripta, ad nos transmitteretur. Quod quam illi feliciter ſucceſſerit, præſens teſtatur ſchema, egregium ſane, atque tanti viri diligentia plane dignum.

Argumentum picturæ,

IV. Argumentum picturæ cum ex ſubiecta illi inſcriptione intelligimus, tum ÆNEAS ipſe, cui honor, ſponſam ELEONORAM ſuis manibus ad Cæſarem FRIDERICUM adducendi, præ ceteris obtigit, fuſe & accurate deſcribit. a) Legi quoque meretur *Nicolaus* LANCKMANNUS de *Falckenſtein* b) in ſua hiſtoria deſponſationis FRIDERICI & ELEONORÆ, ſeu itinerario potius, quod iuſſu Cæſaris tanquam legatus ſecundarius in *Luſitaniam*, ad deportandum annulum nuptialem, ſponſamque deducendam ſuſcepit; quanquam is præter veritatem hiſtoricam nihil habeat, quo lectorem oblectet. Teſtatur de eadem re columna quoque marmorea, cuius inſcriptionem ſtatim afferemus. Nimirum cum FRIDERICUS anno MCCCCLI. exeunte, ſuſcepta in *Italiam*, pro obtinenda corona *Romana*, expeditione, ſuam ſponſam ELEONORAM, EDUARDI, *Luſitaniæ* Regis, filiam, atque ALPHONSI, tum regnantis, ſororem, *Senis* exſpectaret: *Æneas* SYLVIUS cum pluribus aliis Principibus præmiſſus, illam Cæſari, ex eadem urbe obviam progredienti, ſua manu adduxit VI. Kalendas *Martias* anni ſequentis eo in loco, ubi poſtea ad perpetuam rei memoriam dicta columna marmorea conſtituta fuit. Ea de re ÆNEAS hunc in modum pergit: c) „Occurrunt „autem ei apud *Senas* primum ciues natu & auctoritate maiores, „deinde ALBERTUS, germanus Cæſaris, illuſtrium Virorum comitante caterua, tertio loco LADISLAUS (Poſthumus) Rex *Hungariæ*, apparatu ſublimiori, quarto proceſſio Cleri & vrbis Magiſtratus: FRIDERICUS cum legatis Apoſtolicis extra duas vrbis „portas intra tertiam, --- ſpatioſo loco, quam plurimis ac nobiliſſimis proceribus circumdatus, ſponſæ manebat aduentum, qua „viſa, mox ex equo deſcendit: neque illa ſegnior fuit, tumque „in amplexus ambo venere.„ Subiungit deinde, quid advenienti ſponſæ *Henricus* LEUBIN iuſſu Cæſaris locutus ſit, quidque ipſemet SYLVIUS loco ſponſæ repoſuerit, de quo poſtea.

Perſonarumque recenſio, deſcriptioque,

V. Erant igitur in ſplendidiſſimo illo congreſſu, præter Ducum, aliorumque Principum, quorum SYLVIUS antea mentionem fecit, multitudinem, regiæ perſonæ omnino quatuor: quarum tamen omnium vultus hic fruſtra quis quæreret. At vero ſatis ſuperque conſpicui ſunt, quorum cauſſa picturam producimus, neo-ſponſi, pone quos dictus ÆNEAS, tanquam urbis Epiſcopus ornamentis pontificalibus indutus, atque ſingulari prorſus artificio expreſſus con-

a) Hiſtor. FRIDERICI III. Imp. p. 72. ſeqq. edit. *Bœclerianæ*, ſeu *Kulpiſianæ*.

b) Inter Scriptor. FREHERI, a STRUVIO editos tom. II. p. 71. ſeqq. & emendatius apud *Hier.* PEZ. rer. *Auſtr.* tom. II. col. 570.

c) Ibid. p. 73.

conſpicitur. Cæſar ſupra togam, infra ſuras defluentem, veſte manicata opertus, mitram ſingularis formæ in capite gerens, LEONORÆ ſuæ dextram porrigit, humerum eius dextrum ſiniſtra blande demulcens. Suſpiciendi quoque eius calcei ſunt, in acumen deſinentes, ceteraque varie & magnifice exornati. Modicam præterea barbam gerit; cum tamen in ſequentibus imaginibus conſtanter raſus appareat: ſed eam Imperator, patris, fratrisque exemplo, vegeta illa ætate, aut certe eo in itinere conſtitutus, facile aluit: quemadmodum & plures alii in hac tabula barbati comparent. Quanquam *Æneas* SYLVIUS ipſum, eadem hac occaſione ad ALPHONSUM, Regem *Aragonum*, *Neapoli* inviſentem, deſcribens, de barba illius nihil memoret. ALPHONSUS, inquit, *Cæſarem, alto ſanguine natum, florida iuuenta, egregia forma, prolixa coma, erecta ceruice, graui facie, robuſto corpore, primum orbis Dominum lætus intuebatur.* a) Quando autem figuræ omnes, ut laudatus MONTEFALCONIUS refert, ad vivum expreſſæ ſunt, ac reliqua, ut inter cetera *prolixa coma*, cum hac deſcriptione conveniunt, etiam modicam barbam tum aluiſſe, teneamus. Regina ſupra crocotam pallam geſtat, per cuius foramina, a lateribus inciſa, brachia emittens, dextra ſponſo iuncta, ſiniſtra ſtrophiolum tenet. Reliquus autem eius tam corporis, quam oris habitus ad modeſtiam, atque ita compoſitus videtur, qualiter illum nobis laudatus SYLVIUS deſcriptum reliquit: *Statura mediocri virgo annos nata ſedecim, læta fronte, integerrimis atque illuſtribus oculis, ore paruo, genis ad gratiam rubeſcentibus, ceruice candida, facie ex integro venuſta, nullaque videbatur parte mendoſa. Verum forma corporis egregia, dotes animi multo præſtantiores fuere, virgo regia absque interprete loqui, graues ſententias dicere, prudenter reſpondere, apta cuncta diſponere, regios in quauis re mores oſtendere.* b) Retro inter ceteras fœminas pediſſequæ ſunt, munere ſuo fungentes, quarum una, ut videtur, pigmææ ſtaturæ eſt. Extremo quoque loco Sanctimonialis quædam obſervatur, & pone Epiſcopum duo Capellani ordinis S. IOANNIS de *Ieruſalem*, in habitu veteri. c)

Tab. XXXIII. *

a

b

c

VI. Reliqua inſignis huius picturæ L. B. ſpectanda mittimus, advertentes tamen: columnam, in medio conſtitutam, illam ipſam eſſe, quam in congreſſus huius memoriam a *Senenſibus* poſitam fuiſſe, diximus. Binis ſcutis faſtigiata eſt, altero aquilam *Imperii* bicipitem, (quam FRIDERICUS, a S. Pontifice mox coronandus, pro teſſera aſſumpturus erat) altero digma *Luſitanicum* repræſentante. Meminit illius ſæpe laudatus SYLVIUS, d) nec non & LANCKMANNUS, e) ex cuius ultimis verbis colligimus, eam auctori, adhucdum

Itemque poſitæ hac occaſione columnæ:

d

e

a) SYLVIUS loc. cit. p. 83.
b) Ibid. p. 72.
c) Conf. P. HELIOT. l'Hiſtoire des Ordres mon. & militaires tom. III. p. 96. tab. 31. cuius tamen ſchema, eo quod in eo collum quoque obtegatur, id quod ſerius in uſum venit, hoc noſtro recentius eſt.
d) Ibid. p. 73.
e) Loc. cit. col. 595. d.

TAB. XXXIII. * dum in *Italia* agenti, visam, atque adeo tempore intermedio, quo Imperator ad coronationem *Romanam*, indeque *Neapolim* profectus, per *Romam* & *Senas* in *Germaniam* rediit, positam fuisse. Ait enim: *& in perpetuam rei memoriam in eodem* (quo convenerunt) *loco, ante portas statua lapidea est erecta*, UT PATET INTUENTIBUS. Statuam lapideam vocat, parum scilicet proprie; cum columna lapidea vocanda fuisset. Meminerunt quoque illius *Antonius* CAMPANUS, a) ALLEGRETTUS de *Allegretis* b) aliique. SWERTIUS & SCHRADERUS solam quoque inscriptionem adducunt, sed hic mendose, annum MCCCCXLI. VII. Calend. *Martii* prorsus erronee legens. c) Melius enim supra excitatus MONTEFALCONIUS p. 351. hunc in modum:

CÆSAREM FRIDERICUM III. IMP. ET LEONORAM SPONSAM, PORTUGALÆ REGIS FILIAM, HOC SE PRIMUM SALUTAVISSE LOCO, LÆTISQUE INTER SE SE CONSALUTAVISSE AUSPICIIS, MARMOREUM POSTERIS INDICAT MONUMENTUM.

A. D. MCCCCLI. VI. KAL. MARTIAS.

Cuius inscriptio illustratur.

VII. Nullum quidem huius inscriptionis in pictura nostra vestigium observatur; quia illa nempe, ut dictus ALLEGRETTUS, qui columnam hanc luculenter descripsit, opportune monet, parte posteriore insculpta est. Monendus est præterea Lector: celeberrimum hunc congressum, secundum nostrum, i. e. hodiernum computandi modum, non anno MCCCCLI. ut lapis præfert, sed anno sequenti contigisse. Ut enim apud Historicos satis, superque, constat, iter illud anno quidem MCCCCLI. præcipiti iam autumno susceptum est a FRIDERICO: at *Italiam* non nisi *Kalendis Ianuarii* anni proxime subsequentis intravit. d) Apud CHERUBINOS certe Bulla extat NICOLAI V. Papæ, FRIDERICI nostri electionem approbans, eidemque coronationem *Romanam* decernens, ita subscripta: *Datum Romæ apud* S. PETRUM, *anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo* SECUNDO, *XIV. Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri anno VI.* e) Et apud LUNIG, f) aliquot reperiuntur diplomata, eodem an. 1452. ac postridie eius diei subscripta & obsignata; ut adeo de anno dubium nullum supersit. Sed neque tamen ideo epigramma in mendo cubare, existimandum est; cum certum sit, *Hetruscos* epocham suam non a *Kalendis Ianuarii*, sed more *Francorum* a XXV. *Martii* duxisse. De *Florentinis* certe, *Senensibus* vicinis, conceptis verbis testatur COVARRUVIAS. g) *Nerius* quoque CAPPONIUS, Nobilis *Florentinus*, eadem æra utitur, atque adeo

a) In vita PII II. inter Scriptores rer. *Ital.* a MURATORIO collectos, tom. III. P. II. col. 972. d.

b) In Diar. *Senensi*, ap. eund. tom. XXIII. col. 767.

c) Monument. *Ital.* p. 99.

d) Vid. STRUV. Corp. Hist. *Germ.* p. 736. §. XX.

e) Tom. I. p. 361. nov. edit.

f) LUNIG P. Spec. *Contin.* IV. Th. II. pag. 756. 768.

g) Var. resol. lib. I. cap. 12.

adeo Imperatricem anno 1451. die VI. *Februarii* hora 23. *Piſas* intraſſe a) perſcribit: nec minus ſupra allegatus ALLEGRETTUS de *Allegretis*, Nobilis *Senenſis*, annum, in columna ſignatum, indicat: ſed ex eius *Diario* facile intelligas, quam computandi rationem ſequatur. Quid? quod SYLVIUS tempus accurate deſignet, dicens: *diem* ſolemnitati *ſecundum ieiunii*, quadrageſimalis videlicet, deſtinatum fuiſſe, qui revera non niſi cum VI. *Kal. Martii*, ſeu XXIV. *Februarii*, anni 1452. non cum VII. *Kal. Martii*, quem SCHRADERUS obtrudit, correſpondet. Atque hinc quoque corrigendus LAMBECIUS, b) qui, ab *Etruſco* forte computandi more deceptus, coronationem FRIDERICI ad annum 1451. mendoſe conſignavit.

TAB. XXXIII. a

b

VIII. Supereſt titulus, in tabulæ noſtræ calce legendus, qui etſi ſatis dillucidus appareat, in eo tamen difficultatis aliquid involvere videtur; quod de laudibus PUELLÆ, AC REGUM LUSITANORUM, quas ÆNEAS tum una complexus ſit, memorat, cum tamen ÆNEAS ipſe loco, ſupra citato, mentionem eius rei nullam faciat. Sed difficultatem diſſolvit CAMPANUS, dicens: *Senæ* (ÆNEAS) *ad aream pomœrii*, *ſponſa* FRIDERICO *exhibita*, *Orationem habuit perelegantem*, *quæ puellæ*, *Luſitanorumque Regum laudis complecteretur.* c) Quod igitur ÆNEAS ipſe loco, ſupra allegato, reticuit, aut ſaltem explicatius, quod poterat, non retulit, id cum tabula noſtra, tum & CAMPANUS, temporibus illis æqualis, conſervavit. Porro LAUDIS hic ſcribitur pro *laudes*, more veterum, *Auguſteo* præſertim ævo, ut in nummis: OB CIVIS SERVATOS, & ſimilia. MONTEFALCONIUS tamen & SCHRADERUS *laudes* ediderunt.

Nec non & titulus ipſius tabulæ.

c

IX. Variæ varia ætate hæ protome FRIDERICUM noſtrum repræſentant. Priores duæ in arce *Wildegg* prope Abbatiam *S. Crucis* Ord. *Ciſterc.* in *Auſtria inferiori* aſſervantur: tertia ex Pinacotheca illuſtr. D. Comitis a WEISSENWOLFF, quæ *Lincii* eſt, educta fuit. Habitu *Perſico*, quem, ut ſupra ex *Ænea* SYLVIO docuimus, *Schubam*, Germanice *Schaube*, vocant, ubique repræſentatur. Caliptra cooperitur, pretioſis lapillis conſperſa, qualiter & in nummis occurrit, quodque genus operimentorum, filis ferreis munitum, vulgo *drathaube* nuncupatur. Capilli equidem admodum breves ſunt, utut alias *comam prolixam* aluiſſe, mox laudatus SYLVIUS teſtetur, aliæque eius imagines oſtendant: ſed huius generis tegumento forte exigente, cæſaries ſub illud reducta, ac coacta videtur. Quod num. 5. exhibetur ſchema, recentius eſt, quam ut ætati FRIDERICI conveniat, aut ornatu ſaltem alieno incruſtatum. Ut enim de inciſuris iis veſtimenti, quæ tum nondum tam numeroſæ erant, nihil dicamus, collare certe, criſpatum præſertim, hæc tempora prorſus reſpuit, certumque eſt, ac innumeris fere antiquitatis lipſanis oſtendi poſ-

Aliæ FRIDERICI icones. N. 4. 5. 6.

a) De reb. *Florentin.* apud cit. MURATOR. tom. XVIII. col. 1211. b.

b) In addit. I. Diar. Sacr. Itin. *Cellenſ.* p. m. 82. alias 257.

c) Vita PII II. PP. apud MURAT. T. III. P. II. col. 972.

Tab. XXXIII. poſſet, colla obtegendi morem inde a remotiſſimis uſque temporibus, ad CAROLI V. ætatem, in uſum haud veniſſe; niſi forte id exigente armatura, & quod in MAXIMILIANO I. obſervamus, venationis item cauſſa.

Quarta FRIDERICI effigies, addita & illa corporis animique. N. 7.

X. Elegantior iuxta ac ſincerior, quanquam quoad veſtimenti genus, prioribus haud multum abſimilis, eſt effigies FRIDERICI in hac tabula quarta: eundem ætate iam provectum repræſentans. Prototypon eius aſſervatur in templo S. STEPHANI *Vindobonæ*, iuxta ſepulcrum ſuſpenſum, Cæſaremque, ſi qua pictura alia, native referre, haud fruſtra creditur. Siquidem memoriæ relictum eſt: a) „ corpus illi fuiſ„ ſe egregium, & ſpecies Imperatore digna, animus ſedatus & tran„ quillus, ingenium perſpicax, memoria tenacior, religionis ardens „ zelus, ingens cupiditas pacis & otii. Singularem virtutem in quo „ homine diligit, dignam quoque præmio ducit. Ædificat ſplendi„ de, hortos tamen & gemmas plus æquo admiratur & amat, & „ in rebus gerendis tardior, ac remiſſior eſt. Tenacem plerique „ accuſaverunt, & ad rem minus (nimis) attentum. Id fecere pro„ ximi anteceſſores, SIGISMUNDUS & ALBERTUS Cæſares, quorum „ prodigalitati cuiusvis comparata liberalitas, videri avaritia poteſt. „ Hæc ARENPECKIUS, auctor æqualis. Prolixior, comptiorque, eſt auctor Hiſtoriæ Ducum *Styriæ*, qui cum imaginem FRIDERICI pingens, hunc noſtrum, ut videtur, atque SYLVIUM, nobis ſupra laudatum, ante oculos habuerit, illius pauca duntaxat hic delibare iuvat: „ Statura (ait) mediocritatem excedebat. Habitudo corporis „ vegeta illi, optimisque viribus. Maieſtatem, quam toto vultu, inceſ„ ſu, frontisque compoſitione, ſpirabat: placida frontis ſerenitate, co„ mique aſpectu mire temperare norat: excellenti memoriæ peracre in„ genium natura in illo coniunxit. Ipſe cibi, vinique modicus, fru„ galem vitam unice, & in aliis amabat -- Æris tamen tenacior & „ pacis ſtudioſior viſus nonnullis, ut qui iuſto crebrius, citiusque, „ familiari illo dicto: inter Reipublicæ damna, quæ armis averti po„ terant, dolorem levarit: *Rerum irrecuperabilium ſumma felicitas „ eſt oblivio.* In hortorum præterea apparatum, gemmas, pretioſa „ vaſa, veteres nummos, magnam pecuniæ vim profudit: b) „ Breviſſimus eſt auctor orationis cuiusdam, *Cremonæ* an. MCCCCLII. XIII. *Kal. Iun.* præſente FRIDERICO habitæ, c) eum *Principem formoſiſſimum, proceritatis Heroicæ, gratiſſimi coloris, pugnacitate, ac robore ſingulari,* appellitans eo tempore, quo Impetator in vigore ætatis erat.

Statua *Oenipontana.* Tab. XXXIV. N. I.

XI. Inſignis quoque huic Imperatori ſtatua ænea in templo *Palatino Oenipontano* dicata fuit, ubi cum ſolitis Imperatoriis ornamentis exhibetur, ſceptro tamen & globo omiſſis; utpote cum, ut iam monuimus, dextra ſuſtinendæ, ſtatis temporibus, tædæ deſtinata ſit. *Franciſcus* tamen TERTIUS, qui eandem hanc ſtatuam, æri inci-

a) ARENPECK. loc. cit. col. 1293. c.
b) Loc. cit. P. II. p. 94.
c) Inter FREHERI Scriptor. tom. II. p. 45.

incisam, inter ceteras edidit, sceptrum & globum in manus dedit. Subiicitur titulus: FRIDERICUS III. ROMANOR. IMPERATOR. MAXIM. I. PATER.

TAB. XXXIV.

XII. Sequuntur duæ statuæ haud paullo minoris & authentiæ, & auctoritatis. Prior ex niveo marmore, recens Celeberr. STRUDELII opus, in loco aulæ *Vindobonensis*, qui *Paradisiacus* audit, adservatur, FRIDERICUM laureatum, cumque signo crucis in pectore exhibet, quod insigne ordinis equestris S. GEORGII, ab eo instituti, putamus. Altera ex *Tyrolensium* Principum Comitum iconibus a *Dominico* CUSTODE, chalcographo *Augustano*, primum in maiori forma post annum 1622. edita, proficiscitur. Laureatus pariter est, sceptrumque, ac globum Imperii, manu tenens, habitu *Persico* induitur, qualem & in præcedentibus vidimus: sed quem ad talos usque pertingentem gestare solebat Imperator. Certe cum anno 1474. *Augustæ Tervirorum* unacum filio suo MAXIMILIANO, CAROLUM *Audacem* conveniret, talari veste incessisse perhibetur: „Vestiebatur enim textili auro, *vestis ad pedes profusa*, & „circa collum replicata, perque humeros more *Turcorum* sparsa, „limbo circum pedes, manusque, ingentis pretii margaritis pictu-„rato. a)„ *Turcarum* morem dicit, quem nos cum *Ænea* SYLVIO, supra laudato, *Persicum* vocamus.

Aliæque duæ minoris momenti. N. 2. 3.

a

XIII. FRIDERICI iconem ad genua usque illustrissimus quoque Dom. Comes a WEISSENWOLFF *Lincii* asservat, ubi iterum in veste talari *Persica* cum latis manicis ac patagio, nec non & corona in capite, comparet: dextra sceptrum, sinistra globum Imperii tenens. Altera imago, ad exemplum, a *L.* KILIANO maiori forma editum, expressa est, ab integra statua *Tyrolensi*, quam hic num. 1. contemplati sumus, parum differens, quin, ut videtur, ex eadem mutuata.

Duæque illius protome. N. 4. 5.

XIV. Recurrit hic quoque ELEONORA, FRIDERICI uxor, de qua paullo supra egimus. Veste syrma induitur cum latis manicis, pellibus muris *Pontici* suffultis, cumque corona in capite, tanquam Imperatrix; utpote unacum marito *Romæ* ab ipso Pontifice coronata, ut citatus LANCKMANNUS, & SYLVIUS, memoriæ commendarunt. Edidit illam *Franciscus* TERTIUS in forma maiori, addito hoc elogio: „ELEONORA, EDUARDI *Lusitaniæ* Regis filia, FRIDE-„RICI *Pacifici* Imp. uxor, multis virtutibus floruit, benignitate im-„primis, & pietate erga DEUM, quas ornabat eximia pulchritudine, „sic, ut maritus eam in oculis ferret.„ Eiusdem *Augustæ* effigies, affabre marmori insculpta, *Neapoli Austriæ* in choro templi Abbatiæ Ord. *Cisterciensis* visitur, cui nos tomo sequenti inter monumenta sepulcralia locum dabimus.

ELEONORÆ statua ex *Fr.* TERTIO cum eius elogio. N. 6.

XV. Eidem adiungitur CUNEGUNDIS filia. Nata hæc est anno 1465. die XVI. *Martii*. ALBERTO IV. Comiti *Palatino Rheni*, ac

Breviarium vitæ CUNEGUNDIS, eius filiæ:

a) Verba sunt *Arnoldi* de LALAINGE apud eundem FREHER. loc. cit. p. 303.

TAB. XXXIV. ac utriusque *Bavariæ* Duci, fœcundo matrimonio iuncta, eidemque superstes, monasterium Ord. S. FRANCISCI ingressa, ibidemque ad finem usque vitæ pie & religiose victitans, non sine ingenti sanctitatis opinione ad cœlos evolavit, anno salutis 1520.

Statua *Oenipontana* vitaque illius monastica: N. 7.

XVI. Huic Principi inter tot *Austriacos*, aliosque Heroas, in sæpe laudato templo *Palatino Oenipontano* statua ænea posita fuit, negato, quod mireris, eo honore illius matri. Crocota, floribus contexta, induitur, dextra demissa, sinistra librum tenet apertum, coniectis in eum oculis; quo haud dubie pietas eius, studiumque precationis, contemplationisque, indigitatur. Hanc certe laudem multi ei tribuunt, ac inter ceteros CZERWENCKA epistolam exhibet, qua, marito etiamnum inter mortales agente, affectum suum erga institutum Monialium Ord. S. FRANCISCI testatur, inque habitu eiusdem Ordinis aliquando sepeliri rogat. Quem & revera obtinuit, dum, eodem anno 1508. defuncto, iustisque ei persolutis, recta ad monasterium Sanctimonialium Ord. S. CLARÆ *Monachii* tendens, ibidemque piis atque religiosis exercitiis iugiter intenta, post annos duodecim moriens, in eiusmodi veste sepulta est. a)

Itemque nuptiarum circumstantiæ,

XVII. Laudatur quoque CUNEGUNDIS a *præcellentia animi, corporisque insigni specie*, ut ad annum 1487. scribit ADLZREITTERUS, b) *quibus allectus* MATHIAS, *Rex Hungariæ*, *sæpius thori sociam, spe irritus*, & a FRIDERICO Cæsare repulsus, optarat. Quare ALBERTUS IV. Dux *Bavariæ*, ut pergit ille, similem ob ereptam Imperio *Ratisbonam* offensionem veritus, rem, quatenus ad illius nuptias perveniret, alia via adgressus est. Ipse enim *Oenipontem* ad SIGISMUNDUM Archiducem, apud quem virgo educabatur, profectus, apertis animi sui secretis, illataque in ærarium Principis præstabili, qua ipsum, bello *Veneto* implicatum, laborare noverat, pecuniæ vi, id effecerat, ut illi regia virgo, rata, patruum iniussu Cæsaris nihil ausurum, lubens volens matrimonio iuncta fuerit. *Ergo nuptiarum solemnia* (sunt verba illius) *Oeniponti in æde* S. IACOBI *festis ceremoniis*, WILHELMO, *Episcopo Eistadiano sacris operante*, *peraguntur*, *initus thorus genialis*, *& tum primum Imperator de matrimonio fit certior.* Qui re cognita, ingentique, non solum ob inita, se inconsulto, pacta matrimonialia, sed & quod iisdem in dotem sponsæ *Tyrolis* adpromissa fuerit, ira exardescens, prope abfuit, ut ALBERTO bellum inferret. Hæc ADLZREITTERUS. Similia habet GANSIUS in *Gynæceo*, c) BIRCKENIUS, d) aliique, eorum vestigia legentes. Quin CUSPINIANUS, Cæsarem in animo habuisse, perscribit, filiam suam MAHOMETI, ut refert BIRCKENIUS, *Turcarum* Imperatori, in matrimonium elocandi; quatenus illum, a Catholica fide non usque adeo alienum, facilius eo pertraheret; atque ideo animum FRIDERICI his nuptiis adeo exulceratum fuisse.

XVIII.

a) CZERWENCKA Piet. *Austr.* lib. III. cap. VII. p. 425.
b) Annal. *Boic. Gent.* ad annum 1487. p. m. 199. num. XLVIII.
c) GANS. lib. V. cap. II. p. 84.
d) Lib. V. cap. XXXIV. p. 962. col. 2.

XVIII. At vero tabulas Archivi *Oenipontani* ſi conſulamus, multa in hac narratione ſpongia potius, quam fide & aſſenſu digna videbuntur. Imprimis enim gratis aſſeritur: negotium illud inconſulto, inſcioque Cæſare, pertractatum fuiſſe; quandoquidem SIGISMUNDUS in *Inſtructione*, legatis ſuis, ad ALBERTUM IV. Ducem *Bavariæ* miſſis, ſub XXV. *Iulii* MCCCCLXXXVI. data, a) conceptis verbis innuit, ſe animum, conſiliumque Cæſaris, de filia ſua, ALBERTO in matrimonium elocanda, ex Epiſcopo *Eiſtadienſi*, qui non ita pridem apud ſe *Oeniponte* fuerit, didiciſſe, inque dotem dominium *Abensberg* unacum defunctæ Imperatricis ELEONORÆ cimeliis, decretum, a MAXIMILIANO *Rom.* Rege certa pecuniæ ſumma augendam. Porro ipſe SIGISMUNDUS legatos ſuos viginti, aut ſi hoc parum videretur, triginta, aut quadraginta millia florenorum, ea ſe conditione adiecturum, ſpondere iubet, ut nonnullæ arces, invito Imperatore, ALBERTO a ſe oppignoratæ, liberæ, ac eo iure ſolutæ, pronuntiarentur. His accedit *Inſtructio* altera, *Ioſepho Nicolao* de ZOLR, SIGISMUNDI ad Imperatorem legato, ſub die ſecundo *Auguſti* eiusdem anni 1486. porrecta, ſimilia omnino continens, ac manifeſte probans, tantum abeſſe, ut contractus ille matrimonialis clam Cæſare habitus fuerit, ut eius potius auſpiciis, litteris, legatisque, ultro citroque miſſis, dimidio, & quod excedit, ante anno inceptus, perfectusque fuerit. Nec abludit contractus matrimonialis ipſe, ſignatus *Oeniponte* anno 1486. Dominica ante feſtum diem S. THOMÆ *Apoſt.* ubi SIGISMUNDUS expreſſis verbis, omnia ſe iuſſu & auctoritate Cæſarea egiſſe, fatetur.

Quarum fides nutat: a

XIX. Quod vero de Principali Comitatu *Tyrolenſi*, ſponſæ in dotem dato, & accepto, narratur, fabulam æqualiter ſapit. Neque enim de illo in dictis litteris, aut fœdere nuptiali ullibi, ſed dominio duntaxat *Abensbergenſi* ſermo eſt, adiectis a SIGISMUNDO quadraginta, de quibus iam meminimus, florenorum millibus, quorum cenſus annuus ex Comitatu *Hochbergenſi* profluat. Ratio præterea abs ADLZREITTERO allata: tam nobilem provinciam ab Auguſta Domo *Auſtriaca* ideo abalienandi, quod SIGISMUNDUS *prolis expers & exſpes* fuerit, præter illius mentem adducitur; ut qui in citatis litteris aperte fatetur, ſibi ſpem prolis ſuſcipiendæ minime adhuc acciſam eſſe. Simili porro fundamento aſſeritur, SIGISMUNDUM ea tempeſtate bello *Veneto* implicatum, pecuniæ anguſtiis laboraſſe; cum bellum illud, ut ſatis notum eſt, æſtate primum ſequenti denunciatum fuerit.

Quemadmodum & quæ de pignore adducuntur;

XX. Hæc cum ita ſint, ADLZREITTERUM, aliosque, cum ipſo facientes, non poſſumus non poſtulare errati. Quod ſi tamen mitius agendum, excuſari poterunt, arbitrando, communem forte tum temporis ſic tuliſſe famam, fierique potuiſſe, ut, data opera, nec ſine gravi conſilio, eiusmodi rumor ſpargeretur, nutrireturque; ut

Unde & reiiciuntur, excuſatis eorum auctoribus.

a) Edimus hæc Inſtrumenta in Auctario Dipl. P. I. huius tomi num. XLII. ſeqq.

ut ne Imperator filiam ſuam marito, *Ratisbonam* Imperio ſubducenti, in matrimonium tradere viſus, gravem ſibi conflaret invidiam. Sed tamen neque hoc ſibi facile perſuaſerit, qui ARENPECKIUM a) iis temporibus æqualem, conſuluerit; quippe qui hiſtoriam matrimonii illius in vita ALBERTI, ſeu, ut ipſe ſcribit, ADELBERTI, præciſe referens, clandeſtina eiusmodi nuptiarum conſilia prorſus ignorat: non omiſſurus, ſi revera ſuſcepta fuiſſent. Ceterum quod ad CUSPINIANUM pertinet, is, utpote inſignem committens achroniſmum, BIRCKENIO ipſi vapulat.

INSCRIPTIONES.

Inſcriptiones *Neoſtadinſes*, b

XXI. Neapoli *Auſtriæ* in arce Palatina multis in locis Cæſaris ſymbolum, quinque vocalibus expreſſum, quo de LAMBECIUS *Sacr. Itin. Cellenſ.* agit, b) cernere eſt, adiecta plerumque nota chronologica. Ibidem etiam in porta, ab eadem arce appellata, leguntur, ac præſertim ſub tecto novæ capellæ S. GEORGII, litteris ſemi-*Gothicis*, adiecta nota temporis 1475. ſubque eadem capella in fornice quadam dictas litteras, lapidi forma *Gothica* inciſas, videre eſt, addita æra 1471. Ac denique extra memoratam portam ante pontem duæ pilæ eriguntur, quarum ſingulis aquila Imperii *Romani* ſimplex, unacum teſſeris *Auſtriæ* & *Styriæ*, ac ſequenti inſcriptione, *Gothicis* litteris inſculpta, ſpectantur:

FRIDERICUS REX &c. A. E. I. O. U. 1447.

Idem quoque legitur in domo ſenatoria, ſed cum nota chronologica 1448. Omnium porro antiquiſſimi ſunt memorati tres clypei in ſuprema parte portæ *Nov-Eccleſienſis* ex lapide conſpicui, adiectis vocalibus cum æra 1442.

FRIDERICI munificentiam oſtendunt, c

XXII. Cum vero FRIDERICUS in diario ſuo c) ipſe memoret: quod, in quocunque ædificio, vaſe argenteo, aut cimelio, quinque eiusmodi vocales, transverſa linea ſubductæ, legantur, indicium eſſe: ea aut ad ſe pertinuiſſe, aut eius cura, & expenſis, exſtructa, factaque fuiſſe; recte inferimus: illum etiam horum operum auctorem dici poſſe. Quanquam, ut fateamur, quod res eſt, transverſa illa linea, cuius forma apud laudatum LAMBECIUM videri poteſt, aut alias, aut deſignatoris noſtri incuria, plerumque omiſſa fuerit. Sed quidquid ſit, certum eſt, plurima FRIDERICI noſtri munificentiæ, atque adeo & hæc pleraque urbis *Neoſtadienſis*, ubi reſidere conſueverat, opera deberi, & ornamenta.

Præſertim in fundationibus monaſteriorum. d

XXIII. Inter illa vero præter collegia *Canonicorum* tam Secularium, quam Regularium S. AUGUSTINI, nec non Eremitarum S. PAULI, quorum fundationis litteras Doctiſſ. *P. Bern.* PEZIUS vulgavit, d) numerandum quoque eſt monaſterium *Ciſtercienſium*, cuius

a) Extat in theſ. *Bern.* PEZII tom. III. P. III. col. 454. ſeq.
b) P. m. 8. alias 16.
c) Idem p. m. 9. alias 18.
d) Cod. Dipl. epiſt. P. III. p. 293. 415. 429.

ius Capellæ primum lapidem an. MCCCCLIII. ab ALBERTO, fratre, positum fuisse, supra innuimus, litteris fundationis pridem antea, anno scilicet MCCCCXLIV. die V. *Aprilis*, obsignatis. a) Itaque supra portam huius monasterii, plateam versus, tria scuta lapidea cernuntur, figura trigonali posita, atque aquilam simplicem *Imperii* cum tesseris *Austriæ*, & *Styriæ*, exhibentia: subtus illa litteræ A. E. I. O. V. 1444. leguntur, superne vero schedæ oblongæ volitanti unica linea sequens epigraphe, compendioso scribendi genere insculpta est:

FRIDERIC. DEI. GRATIA REX ROMANORUM SEMPER AUGUSTUS, ELECTUS IN DIE PURIFICATIONIS ANNO DOMINI MCCCCXXXX.

Similem de electione sua notitiam vernacula lingua in diarium suum retulit FRIDERICUS, b) actaque huius electionis a KULPISIO *rer. Germ.* pag. 183. edita fuerunt.

Ubi eius arma visuntur,

XXIV. In eiusdem monasterii templo, sub fornice, mox memoratæ tesseræ, unacum *Lusitanica*, aliaque, tres aquilas argenteas in area cœrulea repræsentante, observantur, adiectis iisdem vocalibus, notaque chronologica 1467. De ultimo hoc clypeo, qui difficultate haud caret, dicendi locus erit tomo sequenti, ubi similes tres aquilas, in sepulcro eius visendas, interpretari conabimur.

Ac inscriptiones.

XXV. Extat præterea brevis inscriptio sub concammeratione iuxta aram summam monasterii *Neobergensis*, ab OTTONE *Hilari*, ut suo loco retulimus, fundati. Ibi nempe genius schedam protendit, cui litteris veteribus inscriptum:

FRIDERICUS TERCIUS ROMANOR. IMPERATOR. A. E. I. O. U.

Pone sunt septem scuta hoc ordine: primum *Austriacum* cum fascia, secundum *Imperiale* cum aquila bicipiti, sub qua nota temporis 1461. tertium digma *Styriæ*, quartum *Marchiæ Vinidorum*, & quintum *Carinthiæ* exhibet. Sextum denique *Lusitanicum* est: sex videlicet lilia aurea in area cœrulea, & septimum leonem, ut videtur, *Habsburgicum*, continet. Qua vero ex occasione & caussa hæc scuta ibi posita fuerint, nobis quidem incompertum est: nec tamen dubium, quin aut fundatoris ob memoriam, aut ob beneficium aliquod, sive parvum, sive magnum, religiosis viris, ibidem DEO famulantibus, a FRIDERICO præstitum, adsint, aut denique honoris & observantiæ ergo.

FRIDERICUS in Recanatenses munificus,

XXVI. RICINETI, vulgo *Recanati*, agri *Piceni* oppido, palatium est, ubi sequens epigramma legitur:

SERENISS. CÆS. FRIDERICUS, ROM. IMP. SEMPER AUGUST.
A REPUB. RECANATENSI HONORIFICENTISSIME SUSCEPTUS,
MAGISTRATUM EIUSDEM, DE SUA MAIESTATE B. M. AURO
INSIG-

a) Extant. ibidem p. 303.

b) LAMBEC. Sac. Itin. *Cellens.* p. m. 11. alias 24.

INSIGNIVIT, PROCREATOS EX DAMNATO COITU LEGITIMANDI, NOTARIOSQUE CREANDI AUCTORITATEM CONCESSIT. M. CCCC. LXVIII. DIE XX. SEPTEMB.

SCHRADERUS Monum. *Ital.* p. 274. & apud SWERTIUM ſelect. orb. delic. p. 196. ſed alia editione ab illa, quam nos hic citare conſuevimus. Contulit hoc beneficium Cæſar, cum *Romanam* profectionem ſecundam ſuſciperet, de qua legi meretur AUGUSTINUS, Patritius *Senenſis*, apud MURATOR. a) aut IACOBUS Card. apud FREHERUM. b)

Et *Lincenſes.*

XXVII. Arx *Lincenſis*, qua D. MARTINI montem reſpicit, hanc inſcriptionem præſefert:

A. E. I. O. U.
1481.
FRIDERICVS ROM. IMPERATOR.

Quæ vero urbem proſpectat, hæc palam legenda proponit:

RVDOLPHVS II. IMP. CÆS. P. F. AVG.
ROM. GERM. HVNGARIÆ. BOHEMIÆ. &c. REX.
ARCHIDVX. AVSTRIÆ. DVX. BVRG. &c.
ANNO M. D. C. IIII.

Auguſti nimirum hi Cæſares in ornandam arcem, ampliandamque, munificentiam ſuam contulerunt.

CAPUT XVII.

MAXIMILIANUS I. IMP. CUM DUABUS UXORIBUS ET SPONSA, NEC NON MARGARITHA, EIUS FILIA.

§. I.

MAXIMILIANI periculum ad parietem S. MARTINI. TAB. XXXV.

Inter MAXIMILIANI I. Imp. quæ ſuperſunt, monumenta, primus omnium debetur locus imagini CHRISTI Domini, cruci affixi, ab eodem in prærupta, altiſſimaque rupe Principalis Comitatus *Tyrolenſis* conſtituta. Eo quod formam ingentis muri ſolidi referat, quodque non longe ab eccleſia, S. MARTINI honoribus conſecrata, duobus ab *Oeniponte* milliaribus, *Italiam* verſus, diſſita ſit, *Paries* S. MARTINI appellatur. Occaſionem monumento periculum MAXIMILIANI, adhuc iuvenis, dedit, qui eo in loco rupicapras iuvenili ardore, nimiaque audacia inſectando, eo evaſit, ut nec referre pedem, nec ulterius, niſi in præcipitium, ut ait PIGHIUS, progredi poſſet. c) Stabat igitur attonitus, ut pergit ille, in abrupto loco infelix ille Princeps, cumque iam noctes, atque

a) Script. rer. *Ital.* tom. XXIII. p. 203. aut MABILLON. M. *Ital.* P. II. p. 256.
b) IACOB. Cardin. Tom. II. p. 284.
c) In HERCULE *Prodicio*; p. m. 164. edit. *Colon.* an. 1609.

que dies integros duos in tam afflicto ſtatu continue permaneret, nec ulla ſalutis ſpes reſidua videretur eſſe, SS. Dominici corporis Euchariſtiam afferri iuſſit, & e viciniori loco ſibi monſtrari, ut quando corpus mortali cibo reficere non daretur, ſaltem oculos a longe, mentemque, immortali viatico, quantum concederetur, non nihil muniret, DEUMque Servatorem ſuum præſentem adoratione poſtrema reconciliare ſibi poſſet. Populus interim omnis dum votis, pro Principis ſui ſalute ſuſceptis, DEO in omnibus templis, atque ædibus ſacris, preces, ſupplicationesque, offerret: factum eſt, ut audito ſtrepitu, circumſpiciens, iuvenem quemdam ignotum, habitu ruſticum, dimoventem ingentia ſaxa, & callem parantem, videret, dextraque porrecta, ſalvum & incolumem ad ſuos reduceret. Eo igitur ſumma cum lætitia recepto, publicoque luctu in ſummum confeſtim gaudium converſo, cum poſtero die Patris edicto promulgato, dux iſte, quo meritum reciperet præmium, ubique terrarum requiſitus, nuſpiam compareret, creditum eſt, Angelum Cuſtodem a DEO miſſum, qui adoleſcentem Principem, ad maxima quæque natum, ab immatura morte ſervaret. *Ad rei memoriam pius Princeps ſemitam lapicidarum more muniri, & in eodem periculi ſui loco, in quadrum exciſo, Crucifixi Servatoris noſtri imaginem ligneam (quæ licet altitudinis, ut ferunt, quadraginta circiter ſit pedum, vix tamen bipedalis ab imo cernentibus apparet) conſpicuam e via poni curavit, ut peregrinantes Divini auxilii gratiam ubique piis eſſe paratam in periculis, inde cognoſcerent.* Hæc & multo uberiora PIGHIUS, in eo a LAMBECIO a) emendatus, quod imagines Beatiſſimæ DEI Genitricis, & S. IOANNIS *Evangeliſtæ*, ſub eadem, ut ſchema quoque noſtrum docet, cruce ſtantium, prætermiſerit. Teſtantur præterea de eadem hiſtoria *Mathæus* SCHULTESIUS, b) *Georgius* SABINUS, c) *Nicolaus* VERNULÆUS, d) CASTRITIUS, e) RIVANDER, f) *Sigismundus* BIRCKENIUS, g) *Mathias* MERIAN, h) *Adamus* LEWALDUS i) nec non & mox laudatus LAMBECIUS, ſinguli de veritate hiſtoriæ nihil dubitantes.

TAB. XXXV.

a b c d e f g h i

II. At horum tamen omnium auctoritate nihil admodum motus *Heinricus Gottlieb* TITZ, ſeu TITIUS, totam narrationem *anilibus, atque a vulgi rumuſculis ortis fabulis adnumerare*, nullus veretur: k) cauſſam afferens ſilentium Poetici libri *Theuerdanck*, a *Melchiore* PFINZINGIO, Præpoſito S. ALBANI *Moguntiæ*, auſpiciis ipſius

Fabulis annumeratur.

k

a) Bibl. Cæſ. lib. II. cap. VIII. p. 723.
b) In not. ad librum, *Theuerdanck* inſcriptum, ad fig. XX.
c) In Hodœperico Itin. *Ital.* p. 32.
d) De virtut. Aug. Gent. *Auſtr.* l. 1. c. 3.
e) In *Germanor.* Principum dictis & factis. fol. 316.
f) In der Feſt-Chronica. P. II. fol. 29.
g) Specul. honor. Aug. Dom. *Auſtr.* lib. VII. cap. XX. p. 1379.
h) In Topographia *Tyrol.* p. 155.
i) In Damographia. P. I. p. 23. Add. BORNMEISTER. WAGNER *Ehren-ruff Teutſchlands*, Anonym. Beſchreibung von *Tyrol.* edit. 1703.
k) In diſquiſit. de libro Poetico *Teuerdanck.* p. 27. examini, Præſide *Io. Dav.* KOELERO, an. 1714. *Altdorfii* ſubiecta, recuſa. 1737. Idem agit D. KOELERUS in delic. nummar. P. I. p. 189.

TAB. XXXV.

ſius MAXIMILIANI conſcripti, eoque etiamnum vivente, CAROLO, eius nepoti, anno 1517. dedicati. In eo enim, etſi omnia Imperatoris pericula in unum poema, data opera, ac ſtudio, coacta fuerint, nihil tamen aliud legi, animadvertit, quam quod ille „non „procul *Oeniponte* accito in ſpectaculum gynæceo, virtutis oſten„tandæ cauſſa, conto miſſo, damam de rupe deiecerit, ipſe ſaxo „innitens vivo, dum in vicinum cuſpidem pedem alterum promo„vere voluit, alterius pedis unci ſexagoni, calceis ſubnexi, impares „ponderi, loco ceſſerint, atque adeo ille unius unci, & quidem in„curavati, ſed foramini rupis inhærentis, firmitudine, a præcipitio „ſervatus fuerit, quod miniſter contum alterum ſubminiſtravit.„ Hæc duntaxat cum in ipſo poemate (pergit) memoraſſet PFINTZINGIUS: ſimili ſilentio in ipſa etiam clave uti: quod tamen, ſi hiſtoria veritate niteretur, ab auctore tanto minus prætermittendum fuerat; quod tanquam Theologus, & *religionis Pontificiæ præiudiciis imbutus*, ob apparitionem cœleſtis genii, & communionis ſpiritualis efficaciam, ſalva conſcientia reticeri haud potuiſſet; præſertim cum propoſitum ei fuerit, omnia MAXIMILIANI pericula enarrare, atque adeo in multo levioribus tam induſtrium ſe exhibuerit. Addit deinde *Ioannis* CUSPINIANI, ſolertiſſimi vitæ MAXIMILIANI Scriptoris, ſilentium: ac ultimo denique *Laurentii* BEYERLINCKII & *Seb.* FRANCKII teſtimonia, qui ambo cum PFINTZINGIO facere, nec relationi eiusdem quidquam ſuperaddere dicuntur. Poſtremo, quæ de via, a MAXIMILIANO eapropter lapidibus ſtrata, memorat PIGHIUS, falſi ideo coarguit; quod illa via militaris *Romanorum* ſit, ex *Italia* per alpes *Auguſtam Vindelicorum* ducta, quod cum aliunde, tum ex titulo columnæ milliariæ, iuxta viam poſitæ, probat.

Sed immerito; quippe nec PFINTZINGII,

III. Non eſt inficiandum, argumentis TITII, ſeu KOELERI Præſidis potius, roboris nonnihil ineſſe, ac veri ſpeciem: at num tanti ſint, ut tot non ſolum graviſſimorum Hiſtoricorum teſtimonia, ſed & conſtantem, ad nos usque propagatam hominum perſuaſionem, falſi convincant, id equidem iure, meritoque, inficiamur. Imprimis enim animadvertere iuvat: PFINTZINGIUM Poetam non cuncta ita diffuſe perſcripſiſſe, ut rerum omnium circumſtantium mentionem faceret. Fatetur hoc TITIUS ipſemet, a) affirmans: *ex ipſo libro conſtare, quod parcius potius Vates noſter pericula enumeraverit, & ſæpe una duntaxat ſectione carminica, omnia pericula incendiorum, exploſionum, prœliorum &c. complexus fuerit.* Deinde niſi periculum maius fuiſſet, quam cum narratur a PFINTZINGIO, tanti ſane non videretur, ut MAXIMILIANUS eapropter votum concipiens, tantum tantis ſumptibus, tamque in abrupto, ac difficili loco, conſtituiſſet monumentum. Et ſi mediocre ob diſcrimen, ut illud putat TITIUS, tantos Cæſar ſumptus, quod eum feciſſe, ipſe non negat TITIUS, impendit: quid non facere debuerat ob innumera fere alia, ac multo etiam graviora, a laudato PFINTZIN-

a) TITIUS §. VI. p. m. 28.

ZINGIO relata? quorum tamen cauſſa cum illum nihil admodum ſuſcepiſſe legamus, argumentum ſane haud ineptum ducimus: diſcrimen MAXIMILIANO eo loci ſingulare prorſus, atque adeo facile tale imminuiſſe, quale a plurimis, iisque graviſſimis, Scriptoribus, *non præiudiciis Pontificiis*, ut maligne ſciſcit TITIUS, ſed *vera, Catholica*, & *Apoſtolica* fide imbutis, relatum novimus. Quibus ſane expenſis, ſilentii cauſſam libri *Theuerdanck* longe alibi, quam cum TITIO inter aniles fabulas, quærendam exiſtimamus. Nimirum cum egregium illud opus MAXIMILIANUS ipſemet non deſignaverit modo, ſed & primarius, præcipuusque, id quod nuper Fr. *Conſtantinus* de KHAUTZ adverſus TITIUM invicte demonſtravit, a) auctor habendus ſit: Chriſtiana humilitas facile illi perſuaſit, ut beneficium tam ſingulare, a DEO ſibi adoleſcenti exhibitum, Apoſtoli exemplo, b) modeſto præteriret ſilentio, ut *ne quis* ipſum *exiſtimaret ſupra id*, quod in illo aut *videret*, aut ex eo *audiret*.

Tab. XXXV.

Nec aliorum auctorum ſilentio obſtante.

IV. Ad ſilentium ceterorum auctorum quod attinet, fateri quidem oportet, coævos, ac præſertim CUSPINIANUM, nos deſerere; ſed hoc mirum non eſt; cum, ut ipſe fatetur, vitæ MAXIMILIANI compendium duntaxat dederit, non plenam, ac numeris omnibus abſolutam hiſtoriam. *Hæc habui*, inquit, *quæ ſuccincte & obiter de vita* MAXIMILIANI *Cæſaris, pii, felicis, Chriſtianiſſimi & religioſiſſimi Principis, perſtringerem . . . ut ea etiam intermittantur, quæ in iuventute geſſerat fortunatiſſimus Princeps.* c) Atqui factum hoc, de quo diſputamus, ad iuvenilem Cæſaris ætatem pertinere, nemo diffitetur. Quod ſi præterea CUSPINIANUM curatius legamus, digitum in hoc ipſum *Maximilianeum* periculum ita intendere videbimus, ut eius magnitudinem minime reticeat. *Criminantur autem plerique*, ait, *quod nimium venationibus indulſerit, quodque ea ita exercuit, ut ſæpe perículoſiſſimis obiectus periculis, dum in altiſſimis rupibus capreas ſectaretur, de eius vita dubitatum ſit.* Dubitatum fuiſſe, inquit, ut intelligas, periculum non tantum in unci cuiusdam ſexagoni aberratione conſtitiſſe, atque adeo uno, alterove duntaxat, duraſſe momento, ſed multo longius, tantoque temporis ſpatio, ut de ſalute eius ambigerent, qui infelicem MAXIMILIANI ſtatum vel viderant, vel inaudierant. Miramur denique, in partes vocari *Sebaſtiani* FRANCKII auctoritatem; quaſi vero ille non aperte nobiſcum faceret, conceptis verbis hoc ſaltem affirmans: MAXIMILIANO periclitanti Auguſtiſſimum oſtenſum fuiſſe ſacramentum. d) Hic vero, cum Cæſaris noſtri ætatem facile adhuc attigerit, vix non pro teſte coævo habendus eſt, tanto magis ſuſpiciendus, quanto a noſtris ſacris alienior. Quemadmodum nec rei veritatem negare auſus eſt *Mathæus* SCHULTESIUS, Lutheranus

a) In tentamine hiſtor. Litterario-*Auſtriac.* vernacula edit. *Francofurti* 1755. in 8. p. 95. ſeqq.

b) II. Cor. XII. 6.

c) Loc. cit. p. 494.

d) Chronic. p. 281. cit. a TITIO, ſeu KOELERO §. VII. pag. 29.

TAB. XXXV. nus *Ulmenſis*, quartus dicti libri *Theuerdanck* editor. Sed demus etiam, æquales deeſſe, non deſunt certe Scriptores ſuppares: oſtenditque Celeb. PIGHII, qui haud multum ultra quadraginta poſt Cæſaris noſtri fata annos parietem hunc S. MARTINI contemplatus eſt, teſtimonium, perſuaſionem de miraculo illo inolitam iam ac pervulgatam fuiſſe. Poſtremo viam illic, lapidibus ſtratam, opus *Romanorum* eſſe, atque adeo MAXIMILIANI Imperatoris nomini male adſcribi, nihilo plus probat, quam puro metallo admixtum aliquid eſſe ſcoriæ: id quod veritati hiſtoricæ, reique actæ ſubſtantiæ, obeſſe nequit. Quod ſi quis adhucdum ambigat, huic nos tabulam hanc noſtram contemplandam offerimus, conſiderare rogantes: an homo in eum locum parietis, ubi ad perpetuam rei memoriam imaginem Servatoris noſtri modo poſitam videmus, & ubi MAXIMILIANUM periclitatum fuiſſe, ex ipſius teſtimonio compertum habemus, quacunque demum via, ac modo, eluctans; aut proprio marte, aut alieno auxilio, debito, & antequam fame enecaretur, tempore, adhibendo, ſalvus & incolumis evaſurus eſſet, ac non potius præſenti & Divino auxilio opus haberet?

Icon MAXIMILIANI cum corona laurea, qua delectabatur. TAB. XXXVI. N. I.

V. Effigies MAXIMILIANI Archiducis, educta ex Mſc. codice illuſtr. D. Comitis a FUGGER, qui in Auguſta Bibliotheca *Vindobonenſi* inter Hiſtoricos profanos num. IX. fol. 314. averſa pagina, aſſervatur. Toga manicata, ſubductis pellibus, ac eius generis pagio induitur, circumducto ab humeris ordinis aurei velleris inſigni, dextra volumen tenens, ſiniſtra extenta. Porro caput corona laurea redimitur, quo generis ornamento, in iuventute præſertim, delectatum fuiſſe MAXIMILIANUM, ex nummis, alibi a) adductis, colligimus; ubi ſane frequenter aut laureatus, aut alio ſerto obtectus comparet. Nec quod amavit iuvenis, reſpuit ætate provectus. Sane in celebratiſſimo illo trium Regum ad MAXIMILIANUM conventu, anno MDXV. *Wiennæ* habito, plus ſimplici vice inter cetera donaria etiam corollæ diſtributæ fuerunt. *Venienti* (MARIÆ *Bohemiæ* Reginæ) ait *Richardus* BARTHOLINUS, b) *Reges de more aſſurrexere*, PROPINATISQUE CUIQUE COROLLIS, *quas ſecum non vulgaris pretii portauerat, eius nomine gratia Regibus, qui ad patrium ſolum, Viennamque vrbem venerant, relata eſt.* Et CUSPINIANUS, c) de eodem congreſſu agens, *tum accerſita*, inquit, ANNA (ULADISLAI II. Regis *Hung.* fil. & LUDOVICI Regis *Boh.* ſorore) *eam* CORONA AUREA *donauit* (Cæſar) *& capiti ſuo impoſuit, quæ res ſeniorem Regem* VLADISLAUM *prouocauit in lacrymas: viciſſim ipſa Cæſarem pretioſiſſimo ſerto exornauit.* Et pluribus interiectis: *Poſt ſunt* SERTA *& munera donata Principibus & nobilibus, qui in illo die in torneamento duellum fecerunt.* d)

VI. Ex

a) Nummoth. P. I. pag. 16. num. II. ſeqq. tab. X.

b) In Hodœporico MATHÆI *Gurcenſis* Epiſcopi apud FREHERUM tom. II. pag. 656.

c) In Diar. de congreſſu Cæſaris MAXIMILIANI & trium Regum &c. ap. eund. p. 606.

d) Ibid. p. 609. Conf. etiam dicta ſupra cap. X. §. XII. p. 102.

VI. Ex adverſo MARIA, coniux eius prima, ſiſtitur, ex dicti *Fuggeriani* codicis fol. 315. exſumpta. Hæc pileum, in conum deſinentem, defluente a tergo longa tænia, quo de genere tegumenti alibi diximus, quodque MARIÆ ætate, in *Gallia* preſertim, maxime adhuc in uſu fuit, in capite gerit. Manicæ eius large pellibus itidem ſubductæ ſunt, & circa humeros apertæ, inciſæque tæniolis colligantur. Manibus denique complicatis, roſam tenet, & collare eius pretioſiſſimis gemmis & unionibus conſtare videtur. Roſis conſpergi ſolebant ſponſæ Principum, niſi forte ſingulare ſit, quod de ELEONORA, MAXIMILIANI parente, LANCKMANNUS refert, a) ad eam poſt benedictionem præviam nuptialem, ab Archiepiſcopo *Ulyſſibonenſi* acceptam, ex alta turri iuvenem, ad genii formam alatum, advolitaſſe, qui in deaurata pelvi roſas plurimas adferens, ſuper caput Dominæ ſponſæ ſparſerit, cantanto: *Accipe flores, & roſas, ut tu & ſemen tuum floreatis in terris, quatenus cum virtutum moribus poſt longum tempus hic in terra, merearis flores æternæ beatitudinis recipere a Deo in cœlis.* Quidquid tamen ſit, roſam aut nulla, aut multis etiam ex cauſſis in manibus habere poteſt. Ambæ hæ effigies Principes noſtros iuvenes exhibent, nec longo poſt nuptias tempore confectæ videntur. Nec obeſt, quod MAXIMILIANUS magiſterium ordinis aurei velleris, cuius hic teſſeram geſtat, anno primum poſt nuptias inſecuto, ſuſceperit; etenim nos nummi noſtri pridem docuerunt, illum eius inſigni iam antea uſum fuiſſe. b)

Itemque MARIÆ. TAB. XXXVI. N. 2.

VII. Sequitur idem MAXIMILIANUS habitu Regis *Romanorum*, qualiter fere in nummis quibusdam exhiberi ſolet. c) Cataphracta ſcilicet, cum ſuccinctorio, floribus pulcherrime contexto, itemque pallio indutus, dextra ſceptrum tenet, ſiniſtra gladium bellatorium, ſub cuius capulo teſſera *Auſtriaca* obſervatur, ac caput denique corona redimitur aperta. Deſumpta eſt imago ex citati codicis *Fuggeriani* pag. 315.

Icon MAXIMILIANI tanquam *Rom.* Regis. N. 3.

VIII. Eidem ex adverſo opponitur ſponſa eius ANNA FRANCISCI, ultimi *Britanniæ minoris* Ducis, filia, ex dicti codicis pag. 317. mutuata. Palla cum latis manicis induta, litteram A. in pectore inſcriptam gerit, nominis eius haud dubie indicem. Nam & in ſchemate ſequenti nomen BLANCÆ MARIÆ obſervamus, & infra tab. XLIII. num. I. ſtatua MARIÆ *Burgundicæ* recurret, in cuius pectore litteram M. nominis illius pariter initialem, legimus. Clar. quoque MONTEFALCONIUS, d) Procerum quemdam LUDOVICI XI. Regis *Galliæ*, temporibus hisce æqualem, repræſentat, in cuius pileo cum ſimilis littera ſingularis legatur, nominis eius indicem eſſe coniicit, id quod noſtris hisce imaginibus confirmatur.

Ut & ſponſæ eius, ANNÆ *Britannicæ*, cum littera A. ſupra pectus. N. 4.

IX.

a) Hiſtor. deſponſ. & coronat. FRIDERICI III. apud. PEZ. P. II. p. 579. c.

b) Nummoth. P. I. p. 18. col. 2.

c) Ib. tab. XV. num. XLVII. & XLVIII.

d) Monarch. *Franc.* tom. IV. p. 145.

Ad cuius nuptias cur non pervenerit MAXIMILIANUS? TAB. XXXVI.

IX. Non pervenit MAXIMILIANUS ad huius Principis nuptias, etiamſi illi procuratorio nomine, ac ritu ſolemni, legitime deſponſa fuiſſet. CAROLUS enim VIII. *Galliæ* Rex, cum illius nuptias æque appetens, ægerrime ferret, illam unacum *Britannia minore* MAXIMILIANO cedere, remiſſa, non ſine graviſſima iniuria, filia eius MARGARITHA, cui per pacem *Atrebatenſem* inde ab anno 1482. fidem dederat, in *Germaniam*, ANNÆ nuptiis qua vi, qua conſilio, potitus fuiſſe ſcribitur, ingenti cum multorum ſcandalo. Qua de re cum plures extent coævorum ſcripta, ultro citroque pro ſtudio partium emiſſa, Lectorem eo remittimus; ſatis habentes, effigiem ſponſæ pro noſtri inſtituti ratione attuliſſe. Id duntaxat addere lubet, tractatu pacis inter laudatum CAROLUM VIII. Regem *Francorum*, & FRANCISCUM, Ducem *Britanniæ*, anno 1488. die XX. *Auguſti* firmatæ, cautum eſſe, ut ne filiæ Ducis ſine præſcitu, conſilio, & aſſenſu Regis, ulli deſponderentur, a) id quod factum Regis ſane plurimum excuſat. Quin MARGARITHAM non multo poſt, volente & conſentiente patre, omni ſuo iuri, quod ſibi ex dictis ſponſalibus provenire poterat, renuntiaſſe, ex inſtrumento, ea ex cauſſa obſignato b) didicimus. Aliam eius iconem, aliquoties repetitam, laudatus MONTEFALCONIUS c) in tabulis, pompam eius funebrem exhibentibus, repræſentat, ab hac noſtra non nihil abludentem. At hic iunior, illic ætate provecta ſiſtitur.

Alia MAXIMILIANI icon. N. 5.

X. Icon MAXIMILIANI in habitu *Perſico*, quem, ut diximus, *Schubam* vocant, fere ut num. I. huius tabulæ. Loco tamen coronæ laureæ biretum, ut illud CUSPINIANUS nominat, in capite gerit, omiſſoque volumine, manus ad uxorem ſuam ſecundam BLANCAM MARIAM, GALEATII MARIÆ SFORTIÆ, Ducis *Mediolanenſis*, filiam extendit.

Nec non & uxoris ſecundæ, N. 6.

XI. Hæc e regione comparens, pulcherrime ornata, calantica obtegitur, ex panno ſerico villoſo texta, atque auro interſtincta, dependente a fronte egregio monili. Manicæ pluribus in locis fiſſæ, tæniolis denuo committuntur: collum unionibus, ac monili, veſtis vero reliqua variis inſignibus decoratur, adeo diſtincte haud internoſcendis. Supra pectus denique faſcia transverſa ducitur, in qua ſub corona monogramma nominis eius inter duas cruces *Andreanas*, ex teſſera ordinis aurei velleris deſumptas, advertimus. Et licet MARIA BLANCA potius, quam BLANCA MARIA legendum videatur, id tamen contractioni litterarum adſcribendum, nec facile dubiam reddere poteſt lectionem.

Cuius dos etſi ampliſſima fuerit,

XII. Ampliſſimam ab hac coniuge MAXIMILIANO allatam fuiſſe dotem, atque ob eam potiſſimum cauſſam ab eo ductam fuiſſe, contendunt quidem auctores; at de quantitate ſummæ non æque con-

a) Extat inſtrumentum ap. DUMONT Corps dipl. tom. III. P. II. pag. 209.

b) Ibid. p. 310.

c) Loc. cit. tab. XV. XVIII.

conſpirant. *Gerardus* de Roo a) cimelia, veſtiumque apparatum, quadraginta duntaxat aureorum millibus æſtimata fuiſſe, perſcribit: HEUTERUS contra ducentis millibus. b) „Mirabantur (ait) com-„plures, Cæſarem MAXIMILIANUM ad tam impares deſcendiſſe „nuptias. Sed rerum ignari, non conſiderabant, Cæſarem ad pro-„digam liberalitatem, continuaque bella, ſemper pecuniæ indigum, „cum ea in dotem, ac pro diplomate, quo LUDOVICUS *Sfortia*, „ſponſæ patruus, Dux *Mediolanenſis* renuntiabatur, accipere qua-„dringenta millia aureorum ducatorum, pro mundo eius muliebri „ducenta millia, aliaque centum millia, quibus ſponſæ nuptias cog-„nati eius, ac affines, honorare dicebantur.„ Hæc *Pontus* HEUTERUS, cui addendus laudatus *Gerardus* de Roo, plerisque *Germaniæ* Principibus eas nuptias diſplicuiſſe afferens; quod *Sfortiarum ac Vice-Comitum familia*, *Auſtriacæ veteri*, *& tot maiorum imaginibus auctæ proſapiæ*, *impar eſſet*, *videreturque Cæſar*, *dote magis*, *quam genere adductus*, *eam affinitatem inire*. Similia habet *Philippus* COMINÆUS c) ambobus hisce vetuſtior, unde & ſua illos hauſiſſe, coniicit, qui hæc pleraque collegit Cl. KOELERUS, d) qui & quoad dotem fidem præ ceteris omnibus *Iaſoni* MAYNO adhibendam putat, ſcribenti: *in dotem conſtituta ſunt ad quater centena millia aurei nummi, inſuper in parapherna adducta eſt ſumma aureorum ſexaginta millium pro iocalibus, veſtimentis, pretioſa ſupellectili, & reliquo mundo muliebri.* Nec immerito; quandoquidem MAYNUS cum contractui matrimoniali, tum nuptiarum ſolemnitati non ſolum præſens, tanquam *Sfortiadum* ea in re Nuntius, adfuit, ſed & verba illa e ſuggeſtu tam coram ſponſis, quam ingenti Principum, ex omni parte eo confluentium, concione recitavit.

TAB. XXXVI. a b c d

XIII. Verumtamen, ut ut huius ultimi auctoritas magna ſit, nec contemnenda ceterorum, maior tamem haud dubie eſt fides & auctoritas diplomatum, ac chartarum veterum, ex quibus modo, tanquam inſignem *occultæ hiſtoriæ* particulam, verba ipſius MAXIMILIANI, teſtis utique omni exceptione maioris, proferemus, quibus dotem, ſibi a futura uxore afferendam, non obſtante, quod cum *Eraſmo* BRASCHA, *Sfortiadum* Oratore, ac mandatario, litteris, cum omni ſolemnitate ſignatis, firmatisque, e) de quadringentis ducatorum millibus pactum, & conventum fuerit, ad trecenta tamen (quidquid Oratores etiam ſui, ea ex cauſſa *Mediolanum* ablegandi, ſubſcripturi ſint) aureorum millia reſtringit. „Fatemur (inquit) „quod quamvis illuſtriſſimi Principes Dominus IOANNES GALEAZ „MARIA *Sfortia*, de Vice-Comitibus, & Dominus LUDOVICUS „MARIA, Dux *Bari*, nobis pro dote illuſtriſſimæ Dominæ BLANCÆ „MARIÆ *Sfortiæ*, de Vice-Comitibus, eorum ſororis & neptis, pro-„miſerunt per eorum patentes litteras, ſubſcriptas propriis mani-„bus

Minor tamen erat opinione pleroque rumque: e

a) Lib. XI. p. 392.
b) Lib. V. p. 222. ad annum 1494.
c) Lib. VII. cap. 3.
d) Delic. nummar. P. IV. p. 77.
e) Vulgamus ea Vol. I. huius tomi in Auctario Dipl. an. 1493. & 94. a num. XLVIII. ad LXIII.

Tab. XXXVI. „bus, & ſigillatas, & datas, *prout in ipſis litteris continetur*, *ſum-* „*mam ducatorum quatuor centum millium, quam ſummam etiam i-* „*terato promittent Oratoribus noſtris, quos ad deſponſandam ipſam* „*Dominam* BLANCAM MARIAM *per verba de præſenti, mittemus,* „& ita prædicti illuſtriſſimi Principes ſe obligarunt, & dictis Ora- „toribus ſe obligabunt, ad ſolvendum prædictam ſummam qua- „tuor centum millium ducatorum pro dote ſupra ſcripta - - - ve- „ritas tamen ſic ſe habuit, habet, & eſt: quod prædicta ſumma „quatuor centum millium ducatorum fuit appoſita *tantummodo pro* „*honore vtrumque noſtrum ad publicandum factum*, ſed vera dos „prædictæ illuſtriſſimæ Dominæ BLANCÆ MARIÆ eſt ſolum *duca-* „*torum trecentum millium*, & ita verum eſſe, confitemur ſponte, „libere, & ex certa ſcientia.„ Hucusque MAXIMILIANUS.

Qui emendantur:

XIV. Cuius vero verba, cum luculenta ſint, ac munificentia tanti Cæſaris digna: facile patet, quam a vero aberrent, qui dotem BLANCÆ cum ROO, & MAYNO, ad quater, aut cum HEUTERO ad quinquies centena aureorum millia aſcendiſſe, putant: nec melius rem tetigerunt, qui mundo muliebri aut cum HEUTERO nimium, aut cum ROO mediocre pretium ſtatuunt; quando apocha l. c. evulgata a) ante oculos eſt, qua illum Cæſar ipſe ſexaginta aureorum millibus æſtimat. Tanto nempe chartæ & diplomata, ubi de veritate agitur, præſtant auctoribus, etiam coævis.

Quidquid afferatur in contrarium;

XV. Nec dicas fortaſſis: Cæſarem mentionem de afferenda ſibi dote duntaxat facere, nullam vero de centenis illis aureorum, a *Sfortiadis* pro confirmatione ſuorum in Ducatum *Mediolanenſem* iurium perſolvendis: quæ vero ſi trecentis illis adnumerentur, indicatam a MAYNO quatuor millium emergere ſummam. Hæc, inquam, ne dicas. Enimvero niſi hæc in illis, & illa in hisce comprehenderentur; litteræ MAXIMILIANI, quibus integra centena remittit millia, ſuperfluæ ſane forent; quippe cum in Inſtrumento omnium in hoc negotio primo, atque *Gemundæ* die XXIV. *Iunii* an. 1493. obſignato, ad quod Cæſar in ſuis litteris provocat, tam pro dote, quam pro iurium confirmatione non plus, quam quater centena aureorum millia adpromiſſa fuerint.

Hinc MAXIMILIANUM in his nuptiis non ad dotis magnitudinem,

XVI. Iniurios præterea in Cæſarem eſſe, qui eum dote hac præcipue illectum, ad has nuptias animum adieciſſe perſcribunt, ex hoc ipſo facto eluceſcit; quod tam ingentem pecuniæ ſummam, a mandatario *Sfortiadum* ſolemniter adpromiſſam, tam liberaliter condonat. Ingentem, inquam, ſummam; id quod e. g. ex valore bovis coniicias, in coronatione MAXIMILIANI noſtri in Regem *Romanorum*, *Aquisgrani* peracta, de more aſſati, cuius pretium, tanquam non exiguum, ad ſeptem florenos aſcendiſſe memorat eius temporis Scriptor apud FREHERUM. b) Teſtantur præterea Hiſtoricorum non nulli, patetque ex allegatis litteris *credentialibus*, quas vocant,

a) Dat. an. 1494. 20. *Mart.* num. LXII. p. 33. alias 27.
b) Script. rer. *Germ.* edit. STRUV. tom. III.

cant, *Erasmi* BRASCHÆ, sponsam Cæsari oblatam, minime vero pecuniæ ergo ab eo primum petitam fuisse. Postremo MAXIMILIANUM, quamvis plurimis bellis identidem implicatum, pecuniæ non tam indigum fuisse, ut illi putant, post fata illius claruit; dum ingens, quem post se reliquit, apertus est thesaurus, de quo vitæ eius Scriptor CUSPINIANUS. a) „Non tamen unquam, etiam in „summa necessitate, voluit auream, argenteamque, & ex gemmis, „multis seculis congestam supellectilem, a patre, avo, socero, ac „maioribus suis, distrahere, aut alienare, sed integram in nova ci- „vitate *Austriæ* reliquit nepotibus, donec FERDINANDUS, Archi- „dux, iussu fratris CAROLI, Cæsaris, aperto thesauro, ac viso, ob- „stupuit tremebundus, atque incredibilem, ac inæstimabilem the- „saurum fratri suo in *Flandriam* traduxit. Adeo, ut qui eum „pauperem ex tot bellis gestis arbitrabantur, mirati sint, tantas post „se reliquisse divitias.„ Præmisit quidem idem CUSPINIANUS de eodem: quod sæpe *ob penuriam rei pecuniariæ res magnas, prospere inchoatas, deserere coactus sit*; at ex verbis recitatis patet, non tam penuriam fuisse, quam obfirmatum, nihil ex eo thesauro decerpendi animum; adeoque Cæsarem reipsa nunquam fuisse indigentem.

Tab. XXXVI.

a

XVII. Hæc igitur cum ita sint, persuasi simus, MAXIMILIANUM virtute potius, incitamento sanctiori, nobiliorique, inductum, ad eas nuptias animum applicuisse, quam pecuniarum cupidine, sordida, ac tanto Imperatore indigna illecebra. Sponsam certe IOANNES GALEAZ, frater ipsius, MAXIMILIANO in litteris, cit. loc. editis, non ab his ultimis, sed a virtute commendat: *Nam præterquam,* ait, *quod ex iisdem parentibus nobiscum originem ducit, quoddam specimen admirabilis indolis, quidam eximius morum & vitæ candor, simulque mirifica quædam in illa venustas, & prisci pudoris continentia refulget; ex quibus virtutibus, ad sanguinis vinculum, amoris in eam nostri ingens quotidie fit accessio.* Quin ZASIUS in oratione funebri, BLANCÆ nostræ dicta, hanc ipsissimam quoque matrimonii caussam inter ceteras allegat, BLANCAM nostram hunc in modum adumbrans: „Insigni formæ venustate Princeps nostra, „totiusque & corporis & membrorum elegantia mirifice enituit, vt „sicut nomine, ita & veritate rei BLANCA MARIA, *id est pulchra,* „diceretur, *quæ insignes & generis & naturæ dotes nimirum merue-* „*re, vt ipsa orbis terrarum Domino, Diuo* MAXIMILIANO, *Prin-* „*cipi inuictissimo, matrimonii nexu iungi digna haberetur.* b) „ Hæc ZASIUS ut encomiastes quidem, sed tamen vere; ut fragmentum historicum apud Cl. *Hieron.* PEZIUM c) hoc modo refert: „Quæ „quidem mulier Augusta, *sicut* BLANCA *nomine, ita certe & re* „non solum membris, sed & moribus, & omni vita, atque naturæ „& corporis muneribus, fortunæque & animi bonis prædita fuit: „&

Sed ad virtutem potius respexisse, claret.

b

c

a) Pag. 494.
b) ZASIUS apud cit. FREHER. tom. II. p. 774.
c) *Rer. Austr.* tom. II. col. 555.

„ & in his præſertim, quæ in muliere præcipue (præcipua) haben„ da ſunt, pudore videlicet, & pudicitia, probitate, venuſtate, at„ que ingenti acumine. Quæ quamvis illuſtri ſanguine ſit orta, ta„ men in omnibus mulierum exercitiis, utpote in *Italia* (in tela) in „ acu, in *Phrygiis* operibus, & omni alio muliebri mundo inſtru„ cta, omnium mulierum ſui temporis in eisdem exercitiis gloriam „ evicit. Fuit & inprimis gratia oris eximia, forma totius corpo„ ris procera, & elegantiſſima, & in omnibus aliis lineamentis in„ ſigniſſima. „ Omittimus ſuffragium encomiaſtes alterius, *Iaſonis* MAYNI, cum hoc ex aſſe conveniens, præterquam, quod *Rhetoricis* illud exornaverit floribus. Ceterum cum verba verbis ut plurimum reſpondeant, ſignum eſt haud obſcurum, alterum alterius cæcidiſſe vineta.

MAXIMILIANUS litterarum ſtator. TAB. XXXVII. N. I.

XVIII. Sequitur effigies MAXIMILIANI, facie obliqua, & ad ſiniſtram converſa, ex thecis HERÆI educta. Longa veſte manicata induitur, inque capite petaſum, ſeu *biretum*, ac circa humeros torquem velleris *Cholchici* geſtat, dextra volumen tenens, ſiniſtra ſupra libros poſita; quo quidem amorem eius erga litteras, litteratosque, ſignificari credimus. Qua de re laudatus biographus eius CUSPINIANUS: a) „ *Omnes ad hæc bonas diſciplinas plurimum ve„ nerabatur. Muſices vero ſingularis amator. Quod vel hinc ma„ xime patet; quod noſtra ætate muſicorum principes omnes, in om„ ni genere muſices, omnibusque inſtrumentis in eius curia, veluti „ in fertiliſſimo agro ſuccreverint.* „ Et multum antea: „ Primus „ inter omnes Principes noſtra ætate ſingulorum genealogias inda„ gavit, miſſis per *Italiam*, *Franconiam*, & *Germaniam*, nunciis, „ qui omnia cœnobia, omnes Bibliothecas, omnia archiva Principum „ diſquirerent, evolverent, ac perſcrutarentur. Atque ob id anna„ les ſingularum provinciarum, qui ſitu deliteſcebant, ac ſqualore, „ tineis, abſumebantur, eius opera revixerunt, & in lucem commi„ grarunt. *Quotusquisque enim Principum noſtri ſeculi atavum ſu„ um norat?* De rebus ſacris nonnunquam acriter, ſed non ſine lu„ mine (ut PYTHAGORAS docuit) diſſeruit. In medicinis ſæpe „ magna quædam experimenta exhibuit. Solis Iureconſultis, qui „ BARTOLI, BALDIque opiniones pro oraculis afferebant, contra„ rius. Eius inſuper ductu litteræ *Hebraicæ*, *Græcæ*, ac *Latinæ*, „ elegantiores quoque diſciplinæ, quaſi in *Germania* primum ortæ „ ſunt, ac paullatim ſuccreverunt, ac tandem vi, ac impetu quo„ dam eruperunt. Quia bona ſtudia fovit, litteratos amavit, eve„ xitque, ac præmia digna elargitus eſt. b) „ His adde libros, ab ipſomet compoſitos, de quibus infra.

Idem ab *Alberto* DURERO pingi ſolitus, collo, ut incedebat, nudo. N. 2.

XIX. Inſignis eſt protome MAXIMILIANI, e lingo exſcalpta, atque in gazis caſtri *Ambraſiani* in *Tyroli* adſervata, auctore celeberrimo *Alberto* DURERO. Similis imago, e ligno dolata, theſaurum Archiducum *Vindobonenſem* exornat. Pellibus ubique munitus

a) Loc. cit. pag. 494.

b) Ibid. p. 486.

tus eſt, collo tamen tam in hac, quam in pleriſque ceteris imaginibus, nudo, & aperto: qui mos inde a remotiſſimis temporibus ad usque MAXIMILIANUM, ut ex innumeris imaginibus ac nummis perſpectum, & exploratum habemus, obtinens, ætate primum nepotum CAROLI, & FERDINANDI, deſiit; ut ex iconibus, infra recenſendis, apparebit. Vetuſtiores ſane non niſi morbi cauſſa colla, aliaque non nulla membra, obtegere ſolebant. Unde illud QUINTILIANI: a) *Palliolum & faſcias, quibus crura veſtiuntur, & FOCALIA, & aurium ligamenta, ſola excuſare poteſt valetudo.* Itemque HORATII, b) *inſignia morbi Faſciolas, cubital,* FOCALIA. Ceterum, qua inſigni apud MAXIMILIANUM *Albertus* DURERUS, vir in arte pictoria non minus, quam ſculptoria, chalcographica, & architectonica, longe exercitatiſſimus, gratia valuerit, teſtantur eius biographi, nec non epitaphium, a *Bilibaldo* PIRCKEIMERO poſitum, ac in TONIOLÆ *Baſilea ſepulta,* c) legendum. Sunt etiam, qui MAXIMILIANUM haud ab alio, quam a DURERO adumbrari voluiſſe, tradunt: fere ut ALEXANDER M. a ſolo APELLE pingi, a PYRGOTELE ſculpi, & a LYSSIPPO ære duci voluiſſe, teſtantur veteres. Hinc quanti cum hæc, tum ſequentes non nullæ tam inſignis artificis imagines, faciendæ ſint, L. B. facile æſtimabit.

TAB. XXXVII.

a

b

c

XX. Præcedentis igitur pretium haud adæquat, quæ ſequitur, Cæſaris imago, ab artificibus licet haud ignobilibus, *Ioanne* van LEYDEN, pictore, & *Ioanne* SUYDERHOOF, ſculptore, concinnata. Adverſa fronte repræſentatur, nec ætatis, ut videtur, admodum provectæ: quanquam Imperatoria dignitate iam auctus; ut ex ſubiecta iconi inſcriptione claret, quæ ita ſonat: MAXIMILIANUS DEI GRATIA IMPERATOR, SEMPER AUGUSTUS, ARCHIDUX AUSTRIÆ, DUX BURGUNDIÆ, & BELGARUM PRINCEPS.

Item a *Ioan.* van LEYDEN. N. 3.

XXI. Sequentem MAXIMILIANI iconem ex ſæpe laudato MONTEFALCONII opere d) deſumpſimus, ille ex ſcriniis GAGNERII, GAGNERIUS ex autographo *Urſinorum,* hanc in imo inſcriptionem præſeferente: MAXIMILIANUS, ARCHIDUX AUSTRIÆ, FRIDERICI FILIUS, IMPERATOR AUGUSTUS, COMES FLANDRIÆ INAUGURATUS 1477. OBIIT 1519. IMPERAVIT FLANDRIÆ ANNIS 17. ÆTATIS SEXAGESIMO MORTUUS EST, NATUS ANNO 1459. *Autographum ex familia D. Urſinorum.* Ad vivam Cæſaris imaginem pictam eſſe, non dubitat *Cl.* editor, idque paullo ante mortem illius factum fuiſſe, ex epigraphe iudicat: at illam a GAGNERIO iuvandæ memoriæ ergo, appoſitam fuiſſe, verba inſcriptionis ultima: *Autographum ex familia D. Urſinorum,* innuere videntur. Quidquid tamen de hoc ſit, vultus lineamenta ſatis oſtendunt, nativam exhiberi imaginem Principis, ac iam iam ætate provecti.

Recenſetur protome eius quarta. N. 4.

d

XXII.

a) Lib. XI. cap. III.
b) Lib. II. SATYRA III. V. 255.
c) In appendic. p. 24.
d) Tom. IV. tab. V. p. 60.

Nec non insignis quinta cum corporis, animique, descriptione. TAB. XXXVII. N. 5.

XXII. Certius tamen eſt, protomen, hic num. 5. exhibitam, paullo ante mortem ipſius effictam fuiſſe; quod tam ex vultus lineamentis, quam ex appoſita æra diſcimus. Auctorem habet laudatum *Albertum* DURERUM, a quo ex ligno ſcalptam, *Lucas* van LEYDEN, ſeu *Lucas* de HOLANDIA, ære expreſſit. In petaſo eius, plumis exornato, & ad hodiernos propius accedente, eo in loco, ubi alias nodus figi ſolet, imagunculam B. Virginis Deiparæ cum puero IESU obſervare eſt. Porro vere, ac genuine, hic exhiberi Imperatorem, non eſt dubitandum, atque adeo talem, qualem nobis deſcribit biographus eius, CUSPINIANUS a) hisce coloribus: „Fuit autem humaniſſimus (ait) Princeps, ſtatura quadrata, in qua „Cæſarea maieſtas eluxit, ac reſplenduit. Nemo non hunc Imperatorem eſſe, etiam exterus, inter triginta maximos Principes, antea non viſum, agnovit: tanta erat oris probitas. Corpus erat „laborum patientiſſimum, adeo, ut in multam noctem crebro ſcriberet, conſuleret, res magnas ageret: ſæpe etiam arma tractaret, haſtis concurreret cum Principibus in ludis, & ſerio cum „hoſtibus: æſtum & frigus inediam & commeatus penuriam, iuxta „ferret. Erat alioqui par victus frugalitas; licet quotidie veſceretur ſplendide, adeoque munde, ut nemo non ipſum videret non „ſine magna animi voluptate aut cœnantem, aut prandentem. Inter prandia raro bibebat, in menſa ut plurimum ter: atque ideo „valetudo illi uſque ad periodum vitæ proſpera ſemper fuit.„

Ac denique ſexta, mortis illius tempus deſignans. N. 6.

XXIII. Non multum a præcedenti abhorret effigies hæc ſequens, dictum DURERUM agnoſcens auctorem, ut ex monogrammate nominis eius, in ſuperiori angulo a ſiniſtris conſpiciendo, patet. Autographum, in gazis aulæ *Vindobonenſis* aſſervatum, ab artifice primum e ligno excalptum, ac deinceps coloribus etiam expreſſum fuit. Epigraphe, hinc inde in area tabulæ conſpicua, facile legitur: alteram, in tabulæ calce poſitam, ſic interpretamur: OPTIMUS PRINCEPS, IMPERATOR MAXIMILIANUS, DIE XII. IANUARII PIE OBIIT, ÆTATIS SUÆ LIX. DOMINI 1519. Ubi obiter notamus: inſcriptionem accuratiorem futuram, ſi loco LIX. annum ætatis LX. poſuiſſet auctor; utpote cum anno 1459. die XXII. *Martii* natus, ſexageſimum ætatis prope impleverit.

Adiectis aliis de forma eius iudiciis.

XXIV. Imagini huic, aliisque præcedentibus, affabre adeo ſculptis, pictisque, præter CUSPINIANUM, de oris eius ſpecie differentem, addere lubet & alterum, *Pontum* HEUTERUM; b) ut imagines cum Scriptoribus contendere volens, facilius de utrisque ferre queat iudicium. Ait igitur: „Erat MAXIMILIANUS facie decora, „& virili, oculis mediocribus, ac glaucis, fronte producta, naſo aquilino, malis ſolidis, ore venuſto, mento reducto, ſtatura quadrata, ac mediocri, comæ, vultus, ac ſuperciliorum color e *Germanico Luſitanicoque mixtus*, gratam patris, matrisque memoriam „ad-

a) Loc. cit. p. 494.

b) *Rer. Belgic.* lib. VII. p. m. 340.

„ adſpicienti offerebant, ut & forma vere Imperatoria, dignitate, „ auctoritateque, plena. Valetudine firma fuit, ac ad ferendos la-„ bores, aeris mutationes, vigilias, famem, ac ſitim, corporis con-„ ſtitutione aptiſſima. Aſſueverat enim per omnem vitam victui „ frugali ac parabili, ſplendide tamen ſerviri volebat. „ Hæc & multo uberiora HEUTERUS : ubi facile videt lector, per colorem e *Germanico & Luſitanico mixtum*, haud alium, quam fuſcum, albumque intelligi, qualiter illum & BIRCKENIUS a) depingit, nec non & auctor appendicis ad librum *Theuerdanck,* b) editionis *Schulteſianæ*, qui tamen eundem mox adoleſcentem deſcribens, capillos flavo inficit colore : niſi dicere malis ex fuſco, alboque, naſci demum flavum, ſed utrumque pro ratione temporis vero congruere poteſt. Noſtræ imagines, coloribus expreſſæ, tam cæſariem, quam vultum Imperatoris, pigmento, inter fuſcum, albumque, medio adumbrant.

XXV. NEAPOLI *Auſtriæ* in ſanctiore capella palatii olim Cæſarea, tabula altaris, a mox laudato *Alberto* DURERO picta, ſpectantium oculos mirifice paſcit. Ea altitudine ſupra quatuor, latitudine tres pedes adæquans, effigiem Deiparæ Virginis, in ſolio ſedentis, procumbentique ad ſiniſtram partem MAXIMILIANO corollam, roſis nexam, imponentis, præbet. A tergore Cæſaris genibus pariter inſidet CUNZIUS *de Roſa*, vir iocis ſuis non minus, quam fide in MAXIMILIANUM, aulæ charus, ceterum honoratus, & equeſtris ordinis : adſunt & plures alii ex comitatu. Et hi quidem ad ſiniſtram. Ad dextram vero Deiparæ Virginis in genua ſe demittit Summus Pontifex, in habitu Pontificali, quem Divinus puſio, in ſinu matris ſedens, corolla quoque, ex roſis confecta, exornat. Præterea iuxta Deiparam Virginem S. DOMINICUS adſtat, ſimili corolla quemdam e S. R. E. Cardinalibus redimiens, comitantibus eum multis ex eodem S. Ordine viris religioſis. Porro gremio Virginis muſca inſidet, tanto artificio adumbrata, ut vel pictoriæ artis apprime peritum facile falleret. Ipſe pictor, *Albertus* DURERUS, cum amicorum quodam (forſitan eius fratre) velut e longinquo ſpectatur. Ex hac vero tabula unum Imperatorem, & qui pone illum genibus innititur, CUNZIUM, ſeu CONRADUM *de Roſa*, hic exhibendos curavimus. Ceterum eadem hac tabula ad *confraternitatem ſacri Roſarii*, a S. DOMINICO, eiusque diſcipulis propagati, reſpici, eamque emblematice adumbrari, conſiderantibus patebit. Unde & credibile eſt, religioſiſſimum Imperatorem ſacram eiusmodi ſocietatem *Neapoli* in ipſa Cæſarea arce introduxiſſe.

MAXIMILIANI erga B. V. pietas. TAB. XXXVIII. N. I.

XXVI. Animi, oculorumque attentione dignum quoque eſt MAXIMILIANI ſimulacrum in habitu venatorio, quod in gazis aulæ *Vindobonenſis* aſſervatum, in ſæpe quoque laudato Codice Mſc. illuſtr. *Ioh. Iacobi* Comitis de FUGGER reperitur. Veſtis a pileo ad

Idem ut venator, N. 2.

a) Lib. VI. cap. XX. p. 1367. col. 1.

b) Pag. 6. col. 2.

TAB. XXXVIII. ad calcem pulli coloris eſt, a latere præterea gladius, & a faſcia diagonali, ac humero ſiniſtro ad latus dextrum demiſſa, cornu dependet venatorium. In picturis ſupra citati libri *Theuerdanck*, quarum inventionem non minus, quam librum ipſum, MAXIMILIANO auctori deberi, laudatus D. de KHAUTZ a) oſtendit, ſimili habitu quam ſæpiſſime occurrit Imperator, dempto, ſicubi alii a venatione rei operam dat, interiori capitis, collique, tegumento. Comparet quoque eodem modo in nummis, a nobis alibi productis; b) ut adeo hunc habitum, omiſſis armis venatoriis, eidem familiarem fuiſſe, nulli dubitemus.

Ac eques. N. 3.

XXVII. Tertium in hac tabula locum occupat MAXIMILIANI ſtatua equeſtris, ex eodem *Fuggeriano* codice Mſc. fol. 317. averſa pagina, eruta. Imperator totus quantus in chalybe latens, equo itidem armato inſidet, fere ut eum in nummis, c) cum hoc præprimis diſcrimine vidimus: quod hic e corona, caſſidi impoſita, cauda pavonina, vetus apud *Auſtriacos* galearum ornamentum, non ſine decore ſingulari exſurgat, & in ſtragulis equi, quæ, ut & colli operimentum, ex ſolido ferro, vel ære ducta ſunt, teſſeræ, hinc *Auſtriaca*, illinc *Burgundica* obſerventur. Equeſtrem hanc ſtatuam pulchre illuſtrat ſupra excitati *Ioan.* CUSPINIANI locus, ubi ait: *Vigeſima nona Iulii, horam circiter nonam, Cæſar* (MAXIMILIANUS) *in equo cataphracto ornatiſſimis armis a capite ad pedes tectus, & pretioſiſſima torque, ex unionibus & gemmis, cum* LUDOVICO *Rege* (Bohemiæ) *iisdem armis & equo cataphracto ornatus,* (ornato) *quibus a Cæſare donatus erat, ... ad novam civitatem perrexit.* d)

A *Clauſtro-Neoburgenſibus* ſtatua honoratus, TAB. XXXIX. N. I.

XXVIII. MAXIMILIANI ſtatuæ equeſtri ſuccedunt pedeſtres, quarum primo loco hic comparet lapidea, cuius archetypum, inſignis magnitudinis, *Clauſtro-Neoburgi* ſuper oſtium templi a latere poſitum eſt, a binis illis ſtatuis S. LEOPOLDI & AGNETIS, in ipſa fronte propylæi ſpectandis, non nihil diſtans. Iniuriæ temporum titulum ſchedæ, a medietate corporis ad usque pedes defluenti, inſcriptum, nec non duo inſignia, in baſi exſculpta, deleverunt; quemadmodum & manu ſiniſtram detruncatam cernimus. Eam autem MAXIMILIANO recte tribui, partim ex nota chronologica 1491. præprimis vero ex aquila ſimplici, in baſi poſt ſymbolum *Auſtriacum* & *Hungaricum*, viſenda, colligimus. Accedit corona in capite radiata, *Romanorum* potius Regi, quam Imperatori, conveniens. Aurem tamen nobis vellicavit vir quidam Clariſſimus, ea ſtatua FRIDERICUM repræſentari admonens. Et revera non deſunt rationes, ſcite & prudenter monentem auſcultandi, idque inprimis ideo; quod credibile ſit, eiusmodi honorem ſuperſtiti etiamnum patri, quam filio, potius habitum fuiſſe: deinde, quod FRIDERICO præ-

a) Cap. IV. p. 102.
b) Nummoth. *Auſtr.* P. I. tab. XII. num. XXVI-XXVIII.
c) Ibid. num. XXV. & tab. XIII. n. XXXII. & XXXIII.
d) CUSPINIANUS in Diar. de congreſſu Cæſ. MAXIMILIANI & trium Regum &c. apud FREHER. tom. II. p. 610. alias 319.

præcipuam operam dante, S. LEOPOLDUS in Sanctorum numerum relatus fuerit; unde pone illius, atque uxoris eius, ſtatuas, non immerito illi locus datus ſit. Aquilam ſimplicem, coronamque regiam, vir doctus non moratur; quando ea tempeſtate inter eiusmodi inſignia, non tantum, quantum poſtea, diſcrimen poſitum fuiſſe, compertum ſit. Nos vero; cum FRIDERICO aquilam Imperii duplicem ſtatim poſt coronationem *Romanam* placuiſſe, tam ex ſupra adducto monumento *Senenſi*, quam ex nummis, alibi prolatis, nec non monumentis *Neobergenſibus*, ſupra ſpectatis, didicerimus: iudicium de hac ſtatua prudenti Lectori relinquendum duximus.

TAB. XXXIX.

XXIX. *Friburgi Briſgoiæ* domus mercatoria, e regione templi ſummi ad dextram conſtituta, ſtatuis *Auſtriacis* omnino quartuor, retro hypæthrium in pariete collocatis, ſuperbit: MAXIMILIANI ſcilicet, PHILIPPI filii, ac CAROLI, FERDINANDIque, nepotum. Multi hactenus totidem Duces *Zaringenſes*, urbis, templique fundatores, exiſtimarunt: erroris ex torque *velleris Cholchici*, quod geſtant, facile convincendi. Ex iis præſentem adducimus, reliquis ſuo loco ſecuturis. Stat Imperator adverſa fronte cataphractus, ac corona clauſa ornatus, ſupra acropodium, dextra gladium bellatorium, ſiniſtra globum Imperii tenens. Gratitudinis ac devotionis ergo adverſus MAXIMILIANUM, eiusque Auguſtam familiam, hæ ſtatuæ procul dubio poſitæ ſunt a civibus *Friburgenſibus*; ut quos ſibi fideliſſimos ſemper expertus laudatiſſimus hic Princeps, plurimis vice verſa proſecutus eſt beneficiis. Utrumque proxile laudat *Udalricus* ZASIUS, Profeſſor in celeberrima illa univerſitate olim publicus, oratione funebri, a) in obitu illius habita: „Vos autem, vos „o viri *Friburgenſes* (inter cetera ait) qua memorabili beneficen„tia, quo ſincero fauore proſecutus fuerit, nemo, quam vos ipſi „prædicare vel poſſit verius, vel cupidius velit. *Ciues ſuos fide„liſſimos* nominare ſolebat, quoties de vobis loqueretur, & ſi qui, „male forte fauentes, aquam ſuffundere frigidam, mentem ipſius „auertere aggrederentur, conſtanti grauitate compeſcuit: vt interim „prætercam ampliſſimos *Romani* Imperii conuentus, quos pro eui„denti veſtra vtilitate, pro veſtra immortali fama, in hac ciuitate „celebrauit: vt omittam ciuilia veſtra ſtatuta, ad reipublicæ aug„mentum, *non ſine labore meo compoſita*, qua animi promptitudi„ne, inſtaurari, ſuppleri, erigi, & confirmari curauerit. Nec mi„nori affectu famigeratam noſtram Vniuerſitatem fauentiſſimus „Princeps fouendam ſuſcepit, quam & liberali ſemper gratia affe„cit, liberalique munificentia honeſtauit.„

Nec non & a civitate *Friburgenſi* in *Brisgoia*, N. 2.

a

XXX. Tertia, quæ hic comparet, ſtatua ex niveo marmore, a ſæpe laudato STRUDELIO exſcalpta, in forulo *paradiſi*, qui locus eſt in aula Cæſarea *Vindobonæ*, inter ceteras, ſibi ſimiles, poſita cernitur. Quarta vero ordine recentior pariter eſt, a *Theodoro* a THULDEN

Itemque alibi. N. 3. 4. 5.

a) Extat tom. I. orationum & elegiarum in funere Princ. *Germ.* celebrat. *Francofurti* 1566. edit. p. 26. averſa, & apud FREHER. tom. II. p. 772.

Tab. XXXIX.

DEN delineata, ſcalpta & excuſa *Antverpiæ* in porticu Cæſareo-*Auſtriaca*, ubi duodecim ex hac gente Cæſares repræſentabantur, exhibiti in pompa introitus Sereniſſimi Principis Infantis FERDINANDI A. A. edente, & elogia addente Cl. *Caſperio* GEVARTIO *Antverpiæ* 1641. Totus armatus comparet Cæſar, cum pallio Cæſareo, ut & reliquæ eiusmodi ſtatuæ, a GEVARTIO productæ. Maioris momenti eſt quinta numero, ex *Iacobi* SCHRENKII armamentario *Ambraſiano* deſumpta. Parum differt a *Gevartiana*: pedes tamen armatæ haud ſunt, ſed tegumenta eorum ita conſtricta, ut formam crurium genuine referant.

Præcipue autem in templo *Palatino Oenipont*e. N. 6.

XXXI. Omnibus ſine dubio, quæ MAXIMILIANUM noſtrum ad immortalitatem conſecrant, ſtatuis palmam præripit ea, quæ ex ære fuſa, atque in faſtigio Mauſolæi eiusdem, quod *Oenipont*e viſitur, quo de alias diximus, ac dicturi ſumus, poſita. Armatus eſt, cum corona Cæſarea clauſa in capite, ac *Dalmatica*, ſeu pallio Imperatorio exornatus, ac complicatis erectisque manibus in genua provolutus, faciem ſupremo altari obvertit. Non eſt dubium, quin vultum Cæſaris quam exactiſſime referat, peritiſſimo fuſore artem hic ſuam (utpote in perſonam operis ſui primariam) omnem profundente.

Eiusdem novum in B. V. MARIAM pietatis argumentum:

XXXII. Non in hoc ſolo templo piiſſimi Imperatoris monumenta ex teſtamento eius ſuperſunt: etiam *Hallæ* in *Belgio*, tum adhuc Archidux, munificentiam ſuam oſtendit, quæ an ætatem tulerit, nec ne, nobis quidem incompertum eſt: operæ tamen pretium fuerit, LIPSIUM ea de re audire teſtem: „ Princeps fuit (inquit) virtu-„ tibus, & animi magnitudine, itemque benignitate cum optimis „ comparandus . . . ſed Principis huius laudes non arcta pagina ſtrin-„ go: pietatem memoraſſe contentus, quæ agmen virtutum eius du-„ xit. Oſtendit, habuitque eximie in Virginem *Hallenſem*, & quem, „ niſi ipſum, teſtem demus? Conſpicitur enim nunc genibus nixus „ in ſacelli dextro latere, tabulato paullulum altiore, loricatus, ce-„ tero cultu militari. Dona MAXIMILIANI ſunt calix cum patena „ inauratus, cui inſculpta *Auſtriæ* Gentis inſignia, ſuperaddito pileo „ Archiducali; ex quo liquet, ſub initium Archiducem adhuc de-„ diſſe. Eiusdem eſt Divi MAXIMILIANI ſtatua argentea admo-„ dum bipedalis, quæ mitram capite, crucem una manu, altera gla-„ dium geſtat, & ab eo dependentes aureas duas claves. Fama te-„ net (& clavium argumento adſtruas) *Bruxellenſes* noſtros antea „ aliarum partium, tunc in pacem, ditionemque, acceptos, velut „ mulctam dependiſſe. Eſt ab eodem arbor, ſeu roſæ frutex, e pu-„ ro auro, cum pluſculis ramis, floribusque, item bipedalis: quam „ ſacratam a ſe Pontifex MAXIMILIANO donavit, ipſe porro Divæ „ *Hallenſi* miſit. „ Hæc LIPSIUS a)

Atque in litteras, litteratosque amor,

XXXIII. Statuis MAXIMILIANI ſubiungimus monumenta litteraria, & quidem primo loco ſchema, in ſæpe laudati Mſc. codicis

Fug-

a) Div. Virg. *Hallenſ.* apud. SCHOENLEBEN. Diſſert. Polem. P. poſter. p. 149.

Fuggeriani tom. I. fol. 70. aversa pagina reperiundum, quo Imperator *Iacobum* MANLIUM, historias de maioribus Gentis *Austriacæ* prælegentem, auscultat. Sedet Imperator, habitu *Persico* indutus, in solio, seu suggestu saltem, sede etiam MANLIO e regione concessa. Reliquis, eodem habitu *Persico* indutis, circumstantibus, tegumentis capitum variis. Sunt & calcei nonnullorum superne decisi, & aperti, observandi. Quanto studio MAXIMILIANUS Maiorum suorum origines, ac genealogias, indagari curaverit, quantumque eius exemplo, & hortatu, reliqui etiam Principes, incredibili cum historiæ patriæ, atque adeo universæ rei litterariæ, incremento, ad similia studia accensi fuerint, in vulgus notum est. Ea de re late agit biographus eius, ut diximus, a) de hoc nostro MANLIO subdens: *Friburgensis ille Iacobus* MANLIUS, *quidquid summo labore consecutus est, illi obtulit:* missus videlicet varias in regiones, ut urbium, monasteriorumque, tabularia, ac bibliothecas, perlustraret. Extat opus eius in bibliotheca Cæsarea *Vindobonensi*, voluminibus XI. chartaceis comprehensum, quod etsi GENTILOTTUS in suo catalogo Msc. opus quidem vastum, sed non magni ponderis, appellet, rectam tamen a MAXIMILIANO, præter codices veteres, etiam archiva adiri volente, præscriptam fuisse viam, fateri oportet. Et quanquam mentem Imperatoris haud assecutum fuisse auctorem, ex recensu operis, alibi b) a nobis dato, intelligere sit; nihilo tamen secius illud tanti fecit Imperator, ut iam supremo cum morbo conflictatus, noctu cum gravi insomnio laboraret, c) MANLIUM nostrum audiret, *res suas, & Maiorum suorum gestas prælegentem, quibus oblectabatur; erat enim & historiarum studiosissimus.* Plures seculi XVI. Scriptores, MANLII nomen gerentes, reperiri, cum hoc nostro *Friburgensi* haud confundendos, monet *Clar.* STRUVIUS. d)

Tab. XI. N. 1.

a

b

c

d

XXXIV. Eiusdem cum præcedente argumenti est schema huius tabulæ alterum, ubi MAXIMILIANUS, in solio sedens, Secretario suo, *Marco* TREITZSAURWEIN ab *Erentreitz*, coram in genua provoluto, gesta sua, calamo excipienda, dictat. Reperitur pictura in mox laudati Comitis a FUGGER opere Msc. tom. I. fol. 70. aversa pagina, nec non in fronte ipsius libri, a MAXIMILIANO dictati, DER WEISE KUNIG, i. e. *Rex Sapiens*, inscripti. Edidit illam ante nos BIRCKENIUS, e) itemque LAMBECIUS, f) qui & dictum librum copiose recenset. Elegantissimis nimirum imaginibus, ligno insculptis, exornatus, narrationem gestorum MAXIMILIANI continet magna ex parte ænigmaticam, nec sine peculiari nominum propriorum clave intelligendam; utpote quæ anagrammatice, aut, si mavis, ordine retrogrado, proferuntur, ut *Lagutrop* pro *Portugal*, *Lorit* pro *Tyrol*, *Iophas* pro *Saphoi*, *Ainapsih* pro *Hispania*, & sic de

Quod altero monumento illustratur. N. 2.

e f

a) Hic supra num. XVIII.
b) Prolegom. VIII. ad Genealog. Dipl. pag. LXVII.
c) Verba sunt CUSPINIANI l. c. p. 491.
d) Cit. tom. II. rer. *Germ.* pag. 707.
e) Pag. 1122.
f) Bibl. Cæs. lib. II. cap. VIII. p. 967.

de ceteris. Sententia rhytmorum, in gradibus folii vernacula legendorum, quibus Imperator librarium fuum alloquitur, huc fere redit: *Adverte, ut, cum de rebus meis, domi, forisque, geftis, multi multa fcribant, operam des, ut non nifi quæ dixero, memoriæ tradas; quatenus hoc pacto nuda orbi innotefcat veritas.* Ceterum etfi opus in ipfa præfatione imperfectum dicatur, digniffimum tamen cenfet LAMBECIUS, *ut beneficio typographiæ publici fiat iuris, & veterum monumentorum Germanicorum amatoribus integrum exhibeatur.*

Eremus Imperatoris, rarum in Principum aulis opus. TAB. XLI.

XXXV. Poft litteraria, ad monumentum MAXIMILIANI facrum accedimus, *Neapoli Auftriæ* in ipfa arce regia conftructum. Eremus eft Imperatoris, opus fane in regiis palatiis admirandum magis, quam quærendum: nifi, quod hodie fit, oblectamenti duntaxat cauffa. Sed inde pulchre monentur a religiofiffimo Cæfare mortales, pietati, virtutum omnium fundamento, in aulis etiam locum, proboque Principi inter profani ftrepitum Imperii non ultimam operam navandam effe; ut mentis tranquillitati, falutique animæ profpiciat. Exemplum præivit MAXIMILIANUS nofter, qui, ut nonnunquam femetipfum fibi redderet, atque adeo mentem haberet a mundanis curis liberam, inque rerum Divinarum contemplatione defixam, in hunc fæpe locum folitudinis fe fubduxit.

Quæ defcribitur, & primo quidem hortulus eius,

XXXVI. Conftituit hanc eremum, cuius ichnographiam hic exhibemus, fubdiale arcis, verfus ortum folis. Aditus ad illam (1) per hortulum (2) a latere *Septentrionali* fit, perque oftium, pedes fefqui tertios patens, quinque octoque pollices in altum erectum, cuius fuperliminari interiori littera L. coronam fupra apicem ferens, factæ ab Imperatore LEOPOLDO renovationis indicium præbet. Horti longitudo XXXVII. pedum, & octo pollicum eft, latitudo viginti duorum pedum, pollicumque trium. In eo pofitæ funt e lapidibus quatuor bafes, imponendis florum teftis deftinatæ. Murus illius, ad veterem capellam S. GEORGII porrectus, intrinfecus ad fex pedes affurgit, circum undique lapidibus, petras, rupesque imitantibus, obductus, intermixtis picturis, veterum ruderum imaginem exhibentibus.

Deinde conclavia,

XXXVII. Ab hortulo in eremum ipfam ingreffus patet per oftium, tres pedes latum, & fex altum, ftatimque duobus gradibus in parvam culinam (3) defcenditur, feptem pedes novemque pollices extenfam, feptemque pedes porrectam. In ea furnus, focusque, ex lapidibus, rupes, petrasque cryptæ, aut fpelæi imitantibus, conftructi funt. Singula conclavia octo circiter, vel novem pedum, altitudine, ac intrinfecus lapidibus, ad formam cryptæ ac fpelæi muro hærentibus, exornata, precatoriam capellam contingunt Auguftæ Imperatricis, ad eremum tamen haud pertinentem. Singula fornicibus claufa funt, ac ianuæ in apicem acutum furgunt, quinque & femis pedes in altitudinem extenfæ. A dextris culinæ cella

penua-

penuaria (4) eſt, quinque pedes lata, ſeptemque longa. A ſiniſtris acceſſus patet in conclave, (5) decem pedes, quatuorque pollices longitudine, ac ſeptem, & ſemis pedes latitudine adæquans, ubi & fornax conſiſtit. Duabus hoc conclave modicæ magnitudinis feneſtris illuſtratur, altera ab Aquilone, ab Oriente altera, quæ, ſicut & ceteræ, figuræ ovatæ, duorum pedum latitudinem, unius, & trium pollicum altitudinem habent. Proxime contingit cubiculum, (6) ſeptem pedes, octoque pollices longum, ac ſex pedes, ſeptemque pollices latum. In pariete dextro, locus eſt concavus, recipiendo gutto, ſeu vaſi, ad lavandum manus, vultumque, deſtinato, accommodatus. Adeſt & lectiſtitium ligneum, ſtramine & cortice arborum exornatum. Feneſtella ad *Orientem* ſpectat.

TAB. XLI.

XXXVIII. Ab eo cubiculo oſtium patet in cellam ſacram, (7) ſex pedes, & decem pollices, longam, ſex pedes, & octo pollices, latam. In ea ſtat arula lapidea, cui imminet ſignum ligneum, Beatiſſimam Virginem Doloroſam, corpus CHRISTI Salvatoris exanime ſuper genua ferentem, exprimens, nec non & tabula lignea, ex vetuſtis picturis ſacris, ſcutulatim poſitis, conſtans: lumen a meridie intromittitur. Ianuæ inditi ſunt cancelli minores lignei. Porro in angulo ſtat ſella, forma ſingulari, ex alcis, & cervi cornibus, confecta, altitudine trium pedum, duorumque pollicum, in cuius media fronte conſpicua ſunt inſignia *Auſtriaca*. Illius auctor Cæſar ipſe fuiſſe traditur.

Cum capella, in qua ſella ſingularis,

XXXIX. Decem paſſibus ab eremo diſtat puteus, a ſubdiali deſcendens, ac area arcis aliquanto profundior. Aqua putei ex monte profluit: circumducta vero foſſa, multis abundans ſcaturiginibus, piſcibus trutis aquam ſuppeditat. Hinc proverbium illud enatum: *Neapoli Auſtriæ puteus eſt, in frigeratorio ſtans.*

Ac denique puteus.

XL. In eiusdem civitatis templo palatii *Archiducalis* ſupra ſummum altare, divo GEORGIO dicatum, magna, ac ſemi-*Gothico* more ſtructa lucet feneſtra, in qua ſequentes figuras cernere eſt. Primo & honoratiori loco, in medio nimirum a dextris, MAXIMILIANUS comparet, a cuius ſiniſtris non prima, ſed, quod forſitan mireris, ſecunda eius uxor, BLANCA MARIA; ut ex ſubiecto ſcuto patet, conſiſtit; idque haud dubie ideo: quod illi adhuc inter vivos degenti, prior ac honoratior præ mortua coniuge locus deberi videretur. A dextris horum PHILIPPUS *Pulcher* eſt, Rex *Caſtiliæ*, & a ſiniſtris MARIA *Burgundica*, PHILIPPI mater, retro quam infantulus, quaſi pilæ affixus cernitur, ad denotandam fortaſſis MARIÆ fœcunditatem: niſi dicere malis, fœtum eius quintum eſſe, quo gravida, inter venandum equo decidens, unacum eo interiit. Neque enim iuſta infantis granditas, qua velut in lucem emiſſa, ac veſtimentis iam iam induta apparet, huic coniecturæ obeſſe poteſt, ut alibi obſervavimus. Omnes hæ perſonæ, excepta hac ultima, coronatæ, & in genua provolutæ repræſentantur: MA-

Explicatur feneſtra picta *Neoſtadienſis.* TAB. XLII. N. I.

Tab. XLII. XIMILIANUS quoque, cuius corona non tam clauſa eſt, quam arcuata, & BLANCA MARIA preces ex libro fundunt, vivi ſcilicet pro MARIA uxore, & PHILIPPO *Pulchro* defunctis. Etenim picturam anno 1508. quo hi fatis iam iam conceſſerant, ſuperiorem haud eſſe, ex ſubiecto Cæſaris pedibus ſcuto iudicamus; ut de quo conſtat, aquila Imperii bicipiti ante titulum *Imperatoris electi*, dicto primum anno 1508. concedente Summo Pontifice, aſſumptum, uſum haud fuiſſe; a) unde & conſequitur, idem vitrum pictum nec an. 1511. inferiorem eſſe; quandoquidem BLANCÆ MARIÆ, quæ eo anno obiit, honoratiorem illum locum nonniſi ſuperſtiti aſſignari potuiſſe, vero ſimillimum eſt. Reliqua ſcuta, ſingulis figuris ſubiuncta, cum aliunde nota ſunt, tum ex collatione ſigillorum, nummorumque, a nobis alibi allatorum, facile internoſcuntur. De hoc monumento ſermo recurret tomo ſequenti.

Duæ MAXIMILIANI ſtatuæ: N. 2. 3. XLI. Addimus his quoque duas ſtatuas, ad MAXIMILIANUM pertinentes. Prima ex *Franciſco* TERTIO deſumpta eſt, *Oeniponte* circa annum 1569. æri inciſa, ad cuius imitationem caput, & pectus, expreſſit *Iacobus* ab HEYDEN, ſed cuius typum conſulto prætermittimus. Altera ex iconibus *Tyrolenſium* Principum Comitum, a *Dominico* CUSTODE, Scalptore *Auguſtano*, poſt annum 1622. editorum, educta fuit. Ambæ MAXIMILIANUM armatum, atque ornamentis Imperatoriis ornatum repræſentant. Prior tamen non ſolum, quod vetuſtior, atque adeo diebus Imperatoris vicinior ſit, maiori præ altera fide, & auctoritate pollet; ſed & in hoc anteponenda: quod coronam apertam, non clauſam, ut illa, præſeferat, qualem a MAXIMILIANO nunquam geſtatam fuiſſe, alibi monuimus. b)

Ut & mortui effigies: N. 4. XLII. Denique haud ſatis erat, deſideratiſſimum MAXIMILIANI vultum ſuperſtitis, atque adhucdum ſpirantis, coloribus exprimi: mortuum quoque depingendum curarunt amici, & proceres, qualiter illum in ſæpius laudato Mſc. codice *Fuggeriano* p. 318. averſa reperimus. Factum eſt id eo temporis intervallo, quo poſt exceſſum, qui WELSII obvenit, exanime corpus unius diei ſpatio publico hominum conſpectui expoſitum fuit. Quam in rem biographus eius CUSPINIANUS c) refert: „Dehinc præcepit, ut poſtquam animam efflaret, pilis eius tonſis toto corpore, omnes „dentes evellerentur, in foveaque, ſuppoſitis carbonibus, ac igne, „in cemiterio obruerentur, corpuſque eius flagellatum triplici ſac„co, ex lino, ſerico albo, ac quod vulgo vocamus, damaſco, in„volveretur, cum calce, ac cinere mixto.„ Atqui tonſus apparet hic MAXIMILIANUS, & amiculum rubro, tegmen capitis atro, duplicatio albo colore infecta eſt. Quod autem dicit CUSPINIANUS, eum *toto corpore* tonſum fuiſſe, id vel ſecus dictum, vel de cæſarie, & barba, non omnibus reliquæ cutis pilis accipiendum eſt; cum id ut

a) Vid. Nummotheca P. I. p. 47. ſeq.
b) Nummoth. P. I. p. 98. a.
c) Loc. cit. p. 492.

ut nollet, innata eius verecundia persuasisset. *Erat enim*, ut vel ipse CUSPINIANUS eodem loco refert, *Omnium mortalium verecundissimus, adeo, ut nemo unquam ex cubiculariis eius viderit naturae opera exercentem . . . paucissimi medici eius urinam, dum aegrotaret, viderunt, tantae erat verecundiae.* Idem sentit *Ioannes* FABER in oratione eius funebri, a) asserens: *Balsamo noluit condi, cum tamen principibus Germaniae, maxime autem Austriae, id sit consuetum, atque commune. Neque voluit ob pudicitiam illam innatam (crediderim ego) exenterari, sed iussit, vt corpus mortuum calce repleretur.* Et paullo antea: *Pudicitiae talis, & tam ingenuae, vt & in hora mortis, vltimique agonis illius non fuerit oblitus; panneolo, quem manibus tum forte moriens gestaret, pudenda (ne a quoquam se mortuo videri possent) obtexit.*

Tab. XLII.

a

XLIII. Consideranda restat crux, pectori Caesaris imposita. Auro expressa est, formaeque trifoliatae. Insigne ordinis S. GEORGII, ab eius patre instituti, sustinere, dubitare vix sinunt verba mox laudati FABRI, citato loco sic pergentis: „Sacco quintuplici (CUSPI-„NIANUS *triplici* habet) *& diverso est involutus, subque signo crucis,* „quod militares fratres S. GEORGII deferunt, sepulturae traditus.„ Verumtamen cum alterius tum formae, tum coloris, haec crux sit ab ea, quam tomo primo huius operis, b) inter insignia ordinum equestrium attulimus (illa nempe plana, & rubra, haec trifoliata, & aurea) non satis perspicimus, quo pacto utriusque & color, & forma, combinari possint, ita, ut vix non hariolandum sit, pictorem FUGGERI ad formam & colorem vel non satis attendisse, vel cruci successu temporis alium inductum fuisse colorem, & formam. Certe in saepius laudato *Fuggeriano* codice crucem auream cum corona, circulo aureo inclusam, pro insigni ordinis illius perperam venditari, loco citato animadvertimus. Quidni igitur & in hisce errare potuit?

Cum cruce Ordinis S. Georgii.

b

XLIV. Redit in hac tabula MAXIMILIANI uxor prior, MARIA *Burgundica:* ac primo quidem simulacrum eius, ex aere fusum, in templo palatino *Oenipontano*, inter ceteras, de quibus egimus, colosseae magnitudinis statuas visendum. Crocota, floribus contexta, induitur, dextraque ad continendam, statis temporibus, taedam, composita, sinistra libellum tenet; quo forte illius historiae legendae studium exprimitur, de quo *Pontus* HEUTERUS in elogio: c) „aliquando *Musicis*, aliquando *Historicis* se dabat; non illis, qui fa-„bulis volumina implentes . . . teneram aetatem mendacia admirari, „narrareque docent; quippe oleum igni addentes, e fictis artificio-„se inanibus, stultissimisque amoribus -- in veram saepissime mise-„riam teneram adolescentiam -- coniiciunt; sed illis gaudebat au-„ctoribus, qui maiorum, avorumque suorum, ac vicinorum Prin-„cipum res gestas vere, diligenterque, narrabant. Horum facta „ad-

Mariae *Burgundicae* statua *Oenipontana*, eiusque historiae studium.

Tab. XLIII. N. 1.

c

a) Apud. FREHER. Script. rer. *Germ.* tom. II. p. 741. seq.

b) Differt. VI. §. XIX. p. 137.

c) P. m. 728.

TAB. XLIII. „admirabatur, ſimilemque ſobolem, fortitudine, virtuteque præ„ſtantem, tacito animo proponebat, ſperabatque.„ Præterea tubum conicæ formæ in capite geſtat, *Gallis*, *Burgundis*que fœminis, tum familiarem, etſi non ita longum, ut in ſchemate mox ſequenti. In pectore repetita littera M. legitur, eius haud dubie nominis, ut hic paullo ſupra diximus, index. Poſtremo dubium haud eſt, quin ampliſſima hæc ſtatua ad nativum aliquod prototypon effiсta fuerit; utpote uxoris illius, cuius honoribus & immortalitati Mauſoleum, quod cum ceteris circumſtat, conſecratum fuit. Unde & patris eius, CAROLI *Audacis*, ſimulacrum adſtat: quod tamen, ut ad res *Auſtriacas* proprie haud pertinens, miſſum fecimus.

Item alia ex MONTEFALCONIO. N. 2.

XLV. Mediam inter hasce figuram ex opere ſæpe memorato Celeberr. MONTEFALCONII eduximus, a) ab eodem hunc in modum deſcriptam: „MARIA *Burgundica* --- veſtibus inſignita pul„cherrimis, capite geſtat tubum illum conicæ figuræ, qui per ſecu„la fere bina in uſu fuit. Hic autem longiſſimus eſt: in ſummi„tate eius annectitur tænia lata, ex lino tenuiſſime contexta, quæ „ex utraque parte ad terram uſque defluit. Pectoralem veſtem, „quam *ſurcotium* vocabant, habet, ex muris *Pontici* pellibus con„fectam, duasque longiſſimas tunicas.„ Germana effigies & hæc eſt, a præcedenti haud abludens; unde *Ponti* HEUTERI deſcriptionem pro more noſtro adiungere lubet; ut hac cum effigie ipſa collata, certius Lector iudicium ferre queat, atque, ſi opus fuerit, unum ex altero emendare.

Cum eius corporis habitu.

XLVI. „Patrem (ait) adeo vultu, moribusque, exprimebat, „ut nihil ſupra, niſi quod colorem candidiorem, oculosque lætio„res, blandioresque, præ ſe ferret. Mentum oblongum, patulum„que os, a Maioribus *Francis* derivatum, ac ad poſteros *Auſtria„cos* transmiſſum, celare non poterat: emendare, ac caſtigare, quan„tum natura permittebat, didicerat. Salubris, ac ſucculentus cor„poris habitus, integra, conſtansque valetudo, magis formam da„bant, augebantque, quam delicata ad debitam proportionem re„ſpondentia vultus lineamenta. Referebat enim magis venatricem „DIANAM, quam amoribus operam dantem NYMPHAM.„ Hucuſque HEUTERUS. Quod vero de ore patulo, ſeu prominentibus labiis dicit, id aliis CIMBURGI, MAXIMILIANI noſtri aviæ adſcribunt. Brevior eſt CUSPINIANUS, cum inquit: *Habuit autem uxores tres. Primam,* MARIAM CAROLI *Bellicoſiſſimi Burgundionum Ducis filiam, qua cum unanimis vixit ſumma cum voluptate, corporis forma elegantiſſimam. Cuius in omni vita nunquam ſine ſuſpirio, & lacrymis, meminit.* b)

Tertia ex *Franciſco* TERTIO: N. 3.

XLVII. Quod hic tertio loco producimus ſimulacrum, ex *Franciſco* TERTIO exceptum eſt, ab eodem haud dubie ad ſtatuam *Oenipontanam* effictum: eo cum diſcrimine, ut illam hic oblique poſuerit, nec ſimilitudinem ſatis belle aſſecutus fuerit, cuius rei

a) Mon. Fr. tom. IV. p. 60. tab. IV. b) Loc. cit. p. 493.

rei extare voluimus hic exemplum. Eandem ille ſequenti elogio mactat:

Tab. XLIII.

Heres magnanimi poſt fata ego ſola parentis,
Quam thalami ſociam ſceptriſque, armiſque, potentes
Mille proci optarant, feci nupta ÆMILIANO
Ut Sequanos cum Pleumoſiis regat Auſtria proles.

Quos *mille* procos exaggeratione Poetica nominat, hos alii ad decem, alii ad duodecim reducunt. a)

a

Duæque protomæ, N. 4. 5.

XLVIII. Protome duæ ſequentes, æri inciſæ, antea iam extabant. Priorem effigiavit *Petrus* SOUDMAN, *Ioannes* SUYDERHOF ſculpſit. Altera, maioris momenti, in ſumptuoſiſſimo *Petri* SCRIVERII de Comitibus *Hollandiæ* opere, pictore *Rogierio* van BRUGGHE, reperitur. Ambæ inter ſe parum differunt. Veſtis utriusque pretioſis lapidibus exornata eſt, dependentibus a collo cruciculis, quarum poſterior ex gemmis conſtans, inſigni quoque monili inſtructa apparet. Adiecit SCRIVERIUS:

Dum iacet & fama Mavors ſpoliatus & armis,
Idaliæ iuſſu bella Cupido movet.
Huius conſilio Cæſar, Galluſque MARIAM
Uxorem nato quærit uterque ſuo.
Patria ſtat iudex: hac victor iudice Cæſar
Iungit eam thalamo MAXIMILIANE *tuo.*
Felices ambo: niſi quæ diſrumpere Gallus
Fœdera non poterat, morte ſoluta forent.

Cum tumulo MARIÆ. N. 6.

XLIX. Tumulus MARIÆ *Burgundicæ*, *Brugis* in *Flandria* erectus, per errorem huc irrepſit. Deſumptus eſt ex codice Mſc. illuſtr. Comitis *Ioan. Iac.* a FUGGER, fol. 50. averſa pagina, reperiundo in Bibliotheca *Vindobonenſi* tom. ult. ſignato num. IX. inter Hiſtoricos profanos. Eundem tumulum edidit quoque BIRCKENIUS pag. 914. Veſte talari induta MARIA, corona inſuper, ut Regina *Romanorum*, redimitur: quanquam ritu ſolemni coronata nunquam fuerit. Ipſe tumulus inſignibus plurimis exornatur, quæ arbori quaſi genealogicæ inſerta, ſuos tenent ordines: ſed quorum non nulla, ut videtur, aut male, aut perperam omnino expreſſa ſunt; quare ab iis recenſendis conſulto abſtinentes, fidem damus, aliam deſignationem, ſi fieri poterit, ex ipſo prototypo exceptam, tomo ſequenti allaturos.

MAXIMILIANI coniux altera ex ſtatua *Oenipontana*, TAB. XLIV. N. 1.

L. Alteri quoque MAXIMILIANI coniugi, BLANCÆ MARIÆ, de cuius nuptiis hic ſupra egimus, ſtatua ænea *Oeniponte* in templo palatino poſita fuit. Veſte utitur longa talari duplicata, exteriori tunica ad terram largiter defluente. Coronam præterea geſtat, ut Regina, & Imperatrix *Romanorum*. Pectori eius littera M. impreſſa eſt, nominis eius poſterioris indicium, omiſſa, neſcimus, cuius negli-

a) Vid. inter ceteros KOELER. *Delic. nummar.* tom. IV. p. 65. ſeq.

Tab. XLIV. negligentia, littera B. nominis indicio prioris. Apertius illud exprimit, atque adeo dubium omne tollit, inſcriptio vernacula, baſi impoſita, Latine ſic ſonans: DOMINA MARIA BLANCA REGINA MDXXV. quæ epocha inſimul ætatem ſtatuæ prodit, eam non niſi decem & quatuor poſt fata BLANCÆ annis fuſam fuiſſe, docens. Magnam porro ſimilitudinem cum imagine, a nobis hic ſupra tab. XXXVI. num. 6. producta, habet, præſertim quoad manicas; ut adeo altera alterius confirmet & authentiam, & auctoritatem. *Franciſcus* TERTIUS utramque, præprimis *Oenipontanam*, imitatus eſt; unde ipſius ectypon facile miſſum facimus: neglecto etiam imagini ſubiecto elogio, quod nihil ſingulare continet. *Pulcherrimam* tamen *ſui temporis* appellat; quod & pro vero tum habitum fuiſſe, ex dictis conſtat. Brevibus formam eius expreſſit *Bartholomæus* LATOMUS a) in epicedio in obitum MAXIMILIANI:

BLANCHA, *cui ſpecies aptum dedit æmula nomen,*
Nobilibus proavis, nobiliore viro.

Et *Stirpinenſi*, ex ligno inaurata. N. 2. LI. Recentior eſt BLANCÆ ſtatua, in ſacello parentalium monaſterii *Stirpinenſis* in *Tyroli* poſita. De id generis ſimulacris alibi diximus. Coronam in capite gerit, retro defluente parvo velo: in pectore autem ſupra *ſurcotium*, quod vocant, aquilam bicipitem præſefert, quæ ſunt maieſtatis Imperatoriæ indicia. Totus porro habitus, quemadmodum & in ceteris eiusmodi ſtatuis, ſingularis eſt adeo, ut nemini facile in mentem venire poſſit, Principem aliquando ſic inceſſiſſe. Sed ſingula tamen *Stirpinenſia* ſimulacra afferenda ſunt; quod Principes referant, ibidem ſepultos: qua de re ſermo tomo ſequenti recurret.

Additis duobus iconiſmis aliis. N. 3. 4. LII. Subiungimus BLANCÆ imagines binas, obliquo ſitu poſitas, quarum prima in thecis HERÆI, ac muſæo *Buoliano* reperta fuit. Biretum capite geſtat, viris eo tempore familiare, paſſis crinibus ad tergum defluentibus, velum quoque demittitur, quod ſiniſtra colligit. Alii hanc iconem, a chalcographo *Auguſtano* æri inciſam, VIRIDÆ, BARNABOVIS filiæ, tribuendam cenſuerunt, ſed, ut putamus, perperam. Altera BLANCAM provectiori ætate ſiſtit, a *Luca* KILIAN edita. Capitis tegumen, gemmis marginatum, faſcia, in cuius anteriori parte gemma eſt, religatur, & capillitium infra dorſum defluens, ſuperne tantum nectitur: reliquus vero habitus magnam partem ex ſtatua *Oenipontana*, mox adducta, deſumptus videtur.

Statua *Oenipontana* MARGARITHÆ, MAXIM. filiæ, N. 5. LIII. In ſæpe laudato templo *Oenipontano* ſtatua etiam MARGARITHÆ, MAXIMILIANI noſtri filiæ, cernitur, ſed cum delineatio illius nobis exciderit, eam ex *Franciſco* TERTIO ſupplere hic cogimur, pace tamen, ut credimus, L. B. utpote cum utrinque exiguum obſervetur diſcrimen. Tunica oblonga, cum latis manicis, pel-

a) Tom. I. Orat. & Elegiar. funebr. *Frankoforti* 1566. edit. p. 66. averſa.

pellibus muris *Pontici* ſuffulta, induitur: capitis tegumentum, ut & in iconibus ſequentibus, ſtatum viduitatis innuit, ad quem bis redacta fuit, & quidem ultimo, cum ultra quintum & viceſimum ætatis annum vix proceſſiſſet. Quare imagines eius, niſi cum habitu viduo, ægre reperiuntur. Florum faſciculus, quem ſiniſtra tenet, ab archetypo *Oenipontano* abeſt; ſed ibi contra inſcriptio: MARGARITHA MAXIM. IMP. FILIA, lingua tamen vernacula, ſi recte meminimus, legenda occurrit.

TAB. XLIV.

LIV. Eandem cum viduitatis inſigni repræſentant duæ protome ſequentes, fere ut illam in Nummotheca noſtræ tab. XVII. n. LXXXII. vidimus. Prima educta eſt ex thecis HERÆI, auctore *Petro* de IODE, hoc ſubiecto titulo: MARGARITHA AB AUSTRIA D. G. DUCISSA SABAUDIÆ, PRO MAXIMILIANO I. PATRE, ET CAROLO V. NEPOTE, GUBERN. BELGARUM. OBIIT 1530. Altera in *Belgio* prodiit, inque perigraphe ſcriptum legebatur: MARGARETHA AUSTRIACA DOVAG. SABAUDIÆ, GUBERNATRIX BELGIÆ. OBIIT 1530. ÆTATIS 50. *Dovag.* ſcribitur pro *Doüariere*, noto *Gallicæ* linguæ peritis vocabulo. De hac MARGARITHA alibi pluribus egimus, acturi quoque tomo ſequenti: id unum, ad illuſtrandam eius effigiem, addentes, a *Paulo* IOVIO a) *ſuaviſſimis moribus, ac inſigni forma præſtantem*, appellari.

Duæque protome in habitu viduitatis. N. 6. 7.

a

INSCRIPTIONES.

LV. *Græcii* in *Styria* palatium Archiducale ingredientibus lapis ſe ſe offert, muro immiſſus, hac inſcriptione inſignitus:

MAXIMILIANI de monumentis vetuſtis,

VENERAND. VETUSTATI. IMP. CAES.
MAXIMILIANUS. AUG, CINERES ET
OSSA. ROM. CUM. VITRO. INTEGRO.
NUMISMATEQ. ANTIQUO. APUD LEY
BNICUM EFFOSSA. HUC. REPONI. IUSS
IT. ∞ ANNO. M. D. VI. XII. KVS (Kal.) MAII.

LVI. Cum anno 1687. die XXXI. *Octobris* LEOPOLDUS I. Imp. ſtellam turris ad S. STEPHANUM deponi, atque novam crucem ſubſtitui iuſſiſſet, tabulam æneam, paullo infra nodum affixam, ſibi exhiberi, moxque in priſtinum locum reſtitui voluit, hanc inſcripturam cælatam continentem:

Et medii ævi, cura.

ANNO DOMINI 1514. MENSE MAIO IMP. CÆS. MAXIMILIANO AUGUSTO, AUSTRIÆ ARCHI-DUCE, ADSENTIENTE, SENATUQUE VIENNENSI CURANTE, HUIC TURRI CORONIS RUINÆ METU SUMMA INDUSTRIA DEMPTA, IPSAQUE PYRAMIDE, QUA DEFICIEBAT, REFECTA, ANNO DEMUM 1519. MENSE IULIO REPOSITA EST, AD CUIUS 4TUM CALENDAS IN MAXIMILIANI LOCUM, QUI PRIDIE IDUS IANUARII EIUSDEM ANNI DECESSERAT, CAROLUS HYSPANIARUM REX CATHOLICUS, LEGITIMA ELECTIONE ROM. IMPERII FASTIGIUM CONSCENDIT, ORBI, AC CUM FRATRE FERDINANDO AUSTRIÆ IMPERANS FELICITER ETC. b)

b

HANS DYRING GOSS MICH
i. e. *Ioanne* DYRINGIO fuſore.

LVII.

a) Iov. Hiſtor. lib. I. p. m. 15.
b) Ex libello Mirabilium de templo ac turri ad S. STEPH. *Viennæ Auſtriæ* edit. anno 1721. pag. 27.

Itemque erga templum *Norimb.* a

LVII. *Norimbergæ* in feneſtra picta ædis S. SEBALDI, poſt altare in latere orientali, quam ipſe MAXIMILIANUS ſub Præpoſitura ſupra laudati PFINTZINGII, teſte KOELERO a) anno 1515. fieri curavit, aliquot regnorum, ac provinciarum ſcuta, ut *Auſtriæ, Styriæ, Hungariæ* &c. obſervantur, hoc adiecto invidendo titulo:

MAXIMILIANVS CHRISTIANORVM
IMPERATOR SEPT. REGNOR. REX ARCHID.
AVSTRIAE PLVRIM. EVROP. PROVIN. PRINC.
ANNO MDXV.

Similis titulus legitur quoque in eius nummis, ut alibi vidimus, & in epilogo laudati operis *Marci* TREITSAURWEIN apud LAMBECIUM b) qui invidia haud caruit: at maior tamen fuit CAROLI, nepotis eius, titulus.

b

Munificentia erga fideles miniſtros,

LVIII. Ex ſequenti inſcriptione elucet, quanto fideles miniſtros honore, ac favore, etiam poſt eorum fata, proſecutus ſit MAXIMILIANUS:

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.
INVICTISSIMVS PRINCEPS
MAXIMILIANVS CÆSAR AVGVSTVS
VIVVS
IVXTA LOCVM HVNC
QVEM PRO MONVMENTO LEGIT,
MAGNIFICO DOMINO
SIGISMVNDO LIBERO BARONI A DIETRICHSTEIN
IN FINKENSTEIN ET TALBERG,
ARCHIPINCERNÆ CARINTHIÆ,
QVINQVE PROVINCIARVM ARCHIDVCATVS
AVSTRIÆ INFERIORIS LOCVM TENENTI,
ET MAIORIBVS SVIS,
OB FIDEM SINGVLAREM,
ET RES AVSTRIACAS BENE GESTAS,
ET POSTERIS EORVM
PONI MANDAVIT.
HÆC DEINDE
PRINCIPES EXCELLENTISSIMI
DIVVS CAROLVS, CÆSAR AVGVSTVS,
HISPANIARVM REX ETC.
ET
FERDINANDVS PRINCEPS ET INFANS HISPANIÆ,
FRATRES,
PHILIPPI HISPANIARVM REGIS FILII,
EIVSDEM CÆSARIS NEPOTES,
RATA HABVERVNT ET APPROBARVNT
ANNO SALVTIS MDXXIII.

Extat hæc inſcriptio *Neapoli Auſtriæ* in ſupra memorati templi palatini Archiducalis pariete ſiniſtro, ſeu ex parte cornu *Evangelii*, iuxta altare Sanctiſſimæ TRINITATIS, marmori albo inſculpta. Conf. etiam KOELER. *Delic. nummar.* P. IV. p. 95.

Deque hoſtibus victoria.

LIX. Longius poſt obitum MAXIMILIANI *Genuenſes*, meritorum illius memores, honoribus eius inſcriptionem aliam poſuerunt, anno

a) Cit. Diſquiſit. §. IV. p. 19.

b) Commentar. de Bibliothec. Cæſ. lib. II. p. 968.

anno nimirum 1599. quo MARGARITHA, CAROLI *Archiducis* filia, *Hiſpaniam*, PHILIPPO III. Regi connubio iungenda, petens, urbem illorum ingreſſa, inſigni pompa ſuſcepta eſt. Ibi enim in dextro arcus triumphalis, ea occaſione conſtructi, latere, ſtatua MAXIMILIANI Imp. poſita, ſubque eius pedibus memorabilis pugna prope *Guinegatam*, pro emblemate adumbrata, his verbis explicabatur: a)

MAXIMILIANUS I. IMP. INCOMPARABILI MUNIFICENTIA INSIGNIS, PERDOMITIS MENAPIIS, ATQUE SICAMBRIS, SUPERATIS BOHEMIS, PANNONIISQUE REPRESSIS, PEDESTRIS DIMICANS APUD GHINEGATAM, INGENTES HOSTIUM COPIAS MAGNO ET DIFFICILI EDITO PROELIO FUDIT.

PINACOTHECÆ AUSTRIACÆ
LIBER II.
COMPLECTENS ICONES
STIRPIS AUSTRIACO-HISPANICÆ
INDE A
PHILIPPO I. AD USQUE CAROLUM II.
HISPANIARUM REGES.

CAPUT I.
PHILIPPUS I. REX CASTELLÆ,
EIUSQUE
UXOR ET FILIÆ.

§. I.

Protome PHILIPPI cum nummo eius collata. TAB. XLV. N. 1.

Expoſitis Principum lineæ *Habsburgo-Auſtriacæ* iconiſmis, recto ordine ad ſtirpem *Auſtriaco-Hiſpanicam* progredimur, cuius conditor PHILIPPUS *Pulcher*, Rex *Caſtellæ*, & *Legionis*, MAXIMILIANI I. Imp. filius, erat. Eius igitur protome, primo loco comparens, ex Muſeo illuſtriſſimi D. Comitis a WEISSENWOLFF, quod *Lincii* eſt, educta fuit. Veram, ac nativam imaginem eſſe, dubitare nos non ſinit numiſma, a nobis alibi productum, b) ubi haud multum abſimili cum ore, tum habitu, ſiſtitur, tunica videlicet pellibus munita, quem habitum *Perſicum* nominatum fuiſſe, alias monuimus. Petaſus formæ ſingularis, lapide pretioſo reſplendens, & chorda inſuper inſtructus, infra mentum

a) *Ioan.* BOCHIUS in hiſtor. narrat. profectionis ALBERTI & MARGARITHÆ.

b) Nummothec. Vol. I. tab. XXXVI. num. CXI. p. 166. Ubi iam monuimus, numiſma hoc per errorem illuc irrepſiſſe.

Tab. XLV.

tum demittitur, quaſi contra ventum munimine. Subiecta epigraphe titulum ei *Regis Catholici* tribuit, in nummis illius, a nobis ſaltem productis, haud legendum. Ceterum hac occaſione monendum ducimus Lectorem, memorati numiſmatis epigraphen a nobis citato loco ſic expoſitam fuiſſe: PHILIP.*pus* REX. CAST.*iliæ* LEG.*ionis* ET GRAN.*atæ* P.*rinceps*; cum P.*ater* potius legendum ſit; exigente id, inter cetera, etiam protome filii eius FERDINANDI, in eodem nummo conſpicui.

Altera, aſſerto veſtimenti genere. N. 2.

II. Edidit etiam PHILIPPI protomen Cl. MONTEFALCONIUS a) ex ſcriniis *Gagnerianis* exſumptam, addita ſequenti deſcriptione: „Hic admodum iuvenis comparet, eius petaſus, neſcio, quid ſingularis, ingratæque formæ habet. *Non ſine aliquo ſtupore video* „*quatuor illa cornua, in eius pectore prominentia, quæ cui uſui fuerint, vel quid ſignificent, nunquam divinare poſſim.* „ At nos alibi iam monuimus, b) illa in pectore ſigna nequaquam *cornua* eſſe, ſed veſtimenti *inciſuras*, ſeu *veſtem*, ut id genus tegumenta MURATORIUS c) nominat, *cultellatam*; quales fiſſuras ætate PHILIPPI non in *Hiſpania* modo, & *Germania*, ſed & in *Galliarum* regno in uſu fuiſſe, atque ſupra ducentos annos perduraſſe, ipſe vir doctiſſimus haud ignoravit. Eadem eſt ratio petaſi, variis inciſuris, ſeu foraminibus, pro illo ævo, ornatus gratia fiſſi, quanquam & noſtris oculis ingratum quid habere videatur.

Additur tertia, cum oris, corporisque ſpecie. N. 3.

III. PHILIPPUM ætatis nonnihil provectioris nobis conſpiciendum dedit *T.* MOSTAERT, pictor, qui in opere ſplendiſſimo, ſumptuoſiſſimoque *Petri* SCRIVERII, Comites *Hollandiæ* quaſi ad vitam revocavit. Ornatus prorſus regius eſt, atque cæſaries iam ad dorſum uſque defluit, qualem ætate grandior geſtaſſe dicitur MARIANÆ, d) formam eius ſic deſcribenti: „Eo fine vitam clauſit „PHILIPPUS Rex, regni inchoati primis fructibus delibatis. Ætatis brevitas effecit, ne diu talem Principem præſtaret, qualem eximia indoles polliceri videbatur. Quid nobilitas profuit? quid ætatis flos, *eximia totius corporis, oriſque dignitas?* . . . Statura „corporis iuſta fuit, facies candida, rubraque, barba rara, brevisque, labium inferius porrectum cum gratia, oculi mediocres, *promiſſa cæſaries*: univerſi corporis habitus cum venuſtate decorus, „atque amabilis. „ Addidit imagini ſuum SCRIVERIUS quoque elogium, his verſibus comprehenſum:

O fluxum decus Imperii! vix Belgica nactus
Sceptra (heu!) crudeli morte PHILIPPUS *obit.*
Nec licuit creſcentem animo proferre vigorem,
Æmulaque (heu!) patri facta patrare ſuo.
Belgia, tu tanto ſuſpires orba parente,
Et dic, heu! magnis mors inimica viris,

Nam

a) Monarch. *Franc.* tom. IV. p. 142.
b) T. I. huius operis Diff. VIII. §. V. p. 167.
c) Antiquit. *Ital.* tom. II. p. 420.
d) De *reb. Hiſp.* lib. XXVIII. p. m. 326.

Nam ſi aut hic ſenior, aut ſerior illa fuiſſet,
Dixiſſes, iacet hic, qui patre maior erat.

TAB. XLV.

IV. Alia PHILIPPI protome, a *Petro* de IODE ſculpta, in theatro Pontificum & Imperatorum, *Antverpiæ* anno 1651. edito, ſpectanda eſt. Habitus, petaſum ſi excipias, non adeo multum differt ab eo, qui hic num. 1. exhibetur: at vultus lineamenta a ceteris non nihil abeunt. Additur inferne ſubſcriptio: PHILIPPUS I. D. G. REX CASTILIÆ. ARCHIDVX AVSTRIÆ, DVX BVRGVNDIÆ, PRINCEPS BELGARVM &c. *obiit Ao* 1506. 26. 7br. *ætat. ſuæ* 28. Quæ epocha mortis bene ſe habet, nec aberrat annus ætatis XXVIII. hic ſignatus; at non ita convenit de die eius natali; ut quem MARIANA *decimo Kal. Februarii*, a) Roo contra cum plerisque aliis IX. *Kal. Iulii*, id eſt XXIII. *Iunii* illigat. At vero ſi duorum Medicorum epiſtola, *Brugis* ſecundo & viceſimo *Iunii* ad MAXIMILIANUM data, atque felicem MARIÆ partum annutians, ſphalmate, ut vix dubitandum, caret: natalis eiusdem duobus diebus integris ſuperior erit: „ Ipſa (MARIA) omni heſterna die (in-„ quiunt) *circa horam quartam*, & mane, cepit in partu laborare, & „ continuavit ſatis ſuaviter, cum accidentibus laudabilibus *uſque ad* „ *duodecimam horam*, a qua ſuperata cepit acrius laborare, iam iam „ appropinquanti termino, cum accidentibus multum gravioribus, „ in quibus adeo viriliter, ac ſtrenue ſe ſe geſſit, ut DEI munere „ *hora ſecunda, cum viginti quatuor minutis* poſt meridiem, filium „ pepererit ſalvum *miræ pulchritudinis*, & in omnibus perfectum. „ Vulgamus hanc epiſtolam in auctario Diplomatum num. XXXV. cumque data ſit *Brugis die* XXII. *Iunii hora* XI. *in mane*, Medicique de partu, tanquam die præcedenti, ſeu *heſterna*, edito, loquantur, PHILIPPI natalem ad XXI. eiusdem menſis reponendum eſſe, iudicamus.

Ac denique quarta: cum diſquiſitione de die eius natali. N. 4. a

V. Eiusdem *Petri* de IODE ſculptoris eſt protome PHILIPPI ſequens, affabre picta, ſculptaque; ubi interula cum collari, acu picta, præcipue ſpectanda venit: biretum anterius, ornatus gratia inciſum, pyropo præterea ſuperbit. *Virum robuſtiſſimum* appellat *Pontus* HEUTERUS, b) id quod in hac imagine cum primis expreſſum fuiſſe videtur. Nec abludit *Gerardus* de Roo, c) de corporis eius ſpecie hunc in modum diſſerens: *Erat* PHILIPPUS *ipſe corpore ſatis robuſto, pleno pectore, concinnis membris, decora facie, ex qua cum admixta gravitate ingenua animi liberalitas elucebat.* Multo vero articulatius illum deſcribit mox laudatus *Pontus* HEUTERUS d) cum ait: „ Filium MAXÆMILIANI eſſe, loquebatur frons, „ naſus, color, quadrata viriliſque ſtatura: a matre habebat ocu-„ los glaucos, os patulum, mentum oblongum, genas reductas. „ Rurſus a patre humanitatem, morum facilitatem, manſuetudinem, „ ac

Nec non & quinta: deque corporis robore, & agnomine *Pulchri.* N. 5. b c d

a) Ibid. lib. XXIV. p. 135. noviſſ. edit.
b) L. c. lib. VI. p. 283.
c) Hiſt. *Auſtr.* lib. XII. p. 429.
d) L. cit. in elog. 737.

Tab. xlv.

„ ac generoſitatem: materna erant proclivitas ad iram, ambitio, faſtus, animus ad omnia præſens, imperterritusque - - - *Princeps* „ *erat formoſiſſimus*, proſperrimæque valetudinis. „ Porro *Pulchri* agnomen, ut Scriptores omnes agnoſcunt, ita obſervatione dignum eſt, id illi a ſupra laudatis duobus Medicis vix dum in lucem emiſſo, tributum fuiſſe, *miræ pulchritudinis* Principem vocitantibus; ut adeo ſatis veriſimile ſit, id ei agnominis eo fere momento, quo natus eſt, adhæſiſſe, atque cum tempore, & ætate confirmatum fuiſſe.

Statuæ Philippi, Oenipontana, & Friburgenſis. N. 6. 7.

VI. Inſigne quoque Philippi monumentum eſt ſtatua ænea, *Oeniponte* in templo *Palatino* inter ceteras ſibi ſimiles, de quibus alias egimus, non ſine oblectamento viſenda. Exemplum eius *Franciſcus* Tertius an. 1569. edendum ſuſcepit, ab hoc tamen noſtro in eo differens, quod illud non adverſa fronte, uti debuerat, ſed facie obliqua exhibuerit, indito eius dextræ, alias immittendæ certis temporibus faci, deſtinatæ, ſceptro. Addidit elogium, nihil ſingulare continens. Altera in fronte Domus mercatoriæ *Friburgenſis* ſpectatur, de cuius generis ſtatuis capite ſuperiori §. XXIX. p. 159. egimus.

Ioanna, Philippi vidua, ſecundas nuptias conſtanter reſpuit. Tab. xlvi. N. 1.

VII. Succedit Philippo uxor eius Ioanna, a laudato *Petro* de Iode æri inciſa, hicque repetita. Adverſa fronte, ac in habitu viduitatis ſiſtitur, cuius moleſtias annis fere quinquaginta animo non minus conſtanti, quam forti, tulit; ut quæ *Mariæ* Ulloæ, ſecundas nuptias, Procerum iuſſu, ſuadere tentanti, non ſine indignatione reſpondiſſe fertur: *apage tantum nefas, novo me coniugio implicari vis?* Quin & Henricus VII. *Angliæ* Rex, connubii eius, provecta quamvis ætate, cupidus, nulla tamen ratione voti compos fieri potuit. a) Conſilium autem iſthoc inter cetera facile quoque amor in maritum defunctum ſuaſerit. Etenim *Ponto* Heutero b) auctore, *intellecta Regis mariti morte, adeo intemperanter doluit; ut ex eo tempore nunquam amplius mente valuerit, quum tamen ſeptuageſimum prætergreſſa ſit ætatis annum.* Attamen eidem morti proximæ mentem rediiſſe ſanam, teſtatur Miniana. c) In calce imaginis ſubiicitur titulus, cuilibet ſatis obvius.

Eiusdem ſtatua, Oeniponte poſita. N. 2.

VIII. Eidem Ioannæ ſtatua, ex ære conflata, inter ceteras, de quibus diximus, poſita eſt in templo palatino *Oenipontano*. Crocota induitur, pro illius temporis uſu inſignibus, teſſera nempe *Caſtiliæ*, aliquoties repetita, conchisque intertexta: itemque palla, cuius inſtita pretioſis lapillis diſtincta eſt, quales & caput coronatum, & collum exornant. Dextræ præterea tres annuli inſerti ſunt, ſiniſtra ad ſuſtinendam, conſtitutis temporibus, tædam adaptata. Subiecta inſcriptio Latine ſic habet: Domina Iohanna, regina Castiliæ, Regis Philippi uxor 1528. Ex qua nota chronologica ſimulacri ætatem diſcimus, atque adeo de ſinceritate, ac veritate, tan-

a) Teſte Mariana de *reb. Hiſp.* tom. III. cap. III. p. m. 334.

b) *Rer. Belg.* lib. VI. p. 283.

c) Continuat. Marianæ lib. V. c. I. p. 191.

tanto minus esse dubitandum, quanto inde certius sit, IOANNÆ esse æqualem. Idem simulacrum *Franciscus* quoque TERTIUS edidit, sed facie obliqua, & omissa, quæ in basi hic comparet, inscriptone. — TAB. XLVI.

IX. IOANNÆ subdimus ELEONORAM, matri nimirum filiam. Hæc *Lovanii* an. 1498. die XXIV. *Novembris* in lucem edita an. 1519. EMANUELI, Regi *Lusitaniæ*, nupsit. Eo autem sibi brevi erepto, anno quidem 1526. pace *Madriliensi* FRANCISCO I. *Franciæ* Regi, desponsa; sed bello interim recrudescente, anno primum 1530. restauratis per pacem *Cameracensem* sponsalibus, ducta fuit. Hoc vero similiter decedente, ad CAROLUM V. fratrem, seu sororem potius MARIAM, in *Belgium* rediens, atque unacum eo postea in *Hispaniam* delata, eodem, quo is anno 1558. animam DEO reddidt, non sine egregiæ virtutis fama. — Breviarium vitæ ELEONORÆ.

X. Imago illius, a *Cl.* MONTEFALCONIO ex scriniis *Gagnerianis* educta, ad illius ectypi fidem a nobis hic repetitur. Crocotam eius, inferne late distentam, fusci coloris esse cum floribus aureis, interiorem autem vestem rubram lineis ornatam argenteis, testatur *Clar.* editor. Manicæ *cultellatæ*, ac villosis pellibus ornatæ, latæ admodum sunt. Denique librum in manibus tenere dicitur, in cuius superficie scriptum sit: CAROLUS *Quintus*, quem nos equidem nuspiam observamus. — Nec non imago eius. N. 3.

XI. Protome eiusdem ELEONORÆ in habitu viduitatis, ad quam, ut diximus, bis redacta fuit. Atque hic etiam ætate provectiorem, ac sub ultimas vitæ dies, depictam fuisse, non solum ex vultus lineamentis, sed & ex subiecta inscriptione discimus; ut quæ FRANCISCI I. PRIDEM GALLORVM REGIS VIDVA scribitur. Quibus autem legibus ultimo huic coniugi desponsa fuerit ELEONORA, docet tractatus pacis, inter CAROLUM V. Imp. Regem *Hispaniarum*, & FRANCISCUM I. Regem *Galliarum Madrilii* anno 1526. stilo *Hispanico*, aut 1525. die 14. *Ianuarii*, stilo *Gallicano*, sancitæ. Qua vero non multo post rupta, sponsalia illa pace *Cameracensi* anno 1529. *Non. Aug.* coalescente, restaurata sunt, a) nuptiis deinde solemni ritu anno sequenti celebratis, ut Scriptores cum *Franci*, tum *Hispani*, passim testantur. Quos inter Cl. MONTEFALCONIUS loco, supra citato, vel ipsum hunc posteriorem tractatum ad annum 1530. quamvis perperam, reponit. Unde & provide accipiendus SCHOENLEBENIUS, qui in *ephemeridibus* ad diem 5. *Augusti* 1529. hæc habet: ELEONORA *Austriaca*, PHILIPPI I. *Regis Hisp. filia, nubit* FRANCISCO I. *Regi Galliæ, in Montemarcanis.* EDER. *Alii habent ann.* 1530. *ut* FUGGER. EYTZING. MATENES. *sed id de coronatione intelligendum.* Neque enim eo die, & anno, proprie nupsisse dici potest, quæ tum adpromissa duntaxat fuit. — FRANCISCO I. quondam nupta. N. 4.

XII.

a) Extant. ambo hæc instrumenta ap. DUMONT. Corp. Dipl. tom. IV. P. I. p. 399. & P. II. p. 7.

Maria, Philippi filia altera, Ludovico Regi Hung. nubit. Tab. XLVI. N. 5.

XII. Sequitur protome MARIÆ, PHILIPPI filiæ alterius, itidem cum velo, viduitatis ſigno, a *Petro* de IODE æri inciſa. Eius breviarium vitæ in Nummotheca dedimus, nec non & nummos, in quorum binis a) eodem, quo hic loci, habitu comparet. Subiicitur imagini titulus: MARIA AB AVSTRIA D. G. REGINA HVNGARIÆ, CAROLI V. IMPERATORIS SOROR, GVBERNATRIX BELGARVM &c. Fœdus connubiale, an. 1515. die 22. *Iulii* obſignatum, quo LUDOVICO, Regi *Hungariæ*, adpromiſſa fuit, reperitur apud DUMONTIUM b) alioſque plures, LONDORPIUM ſcilicet, BALBINUM, LUNIG, VREDIUM, & SAMBUCUM. Promittitur illi dotis nomine ſumma *ducentorum millium florenorum Hungaricalium*, a MAXIMILIANO Cæſare aſſignanda: cum contra ULADISLAUS Rex, *nomine filii ſui*, LUDOVICI, *loco donationis propter nuptias, ſive contra dotis, præfatæ Dominæ* MARIÆ, *reditus annuos valoris viginti quinque millium florenorum Hungaricalium ſuper bonis, ac locis, in regnis noſtris, Hungariæ, & Bohemiæ, Reginis aſſignari ſolitis*, inſcribat: quæ loca latius exponuntur in Inſtrumento, anno 1522. die 2. *Februarii* ſubſcripto.

Eius elogium.

XIII. Elogium huius Principis dedit, ſimulque ab impacto crimine defendit THUANUS: c) „CAROLI mortem (ait) mox MA„RIÆ *Hungaricæ*, dilectiſſimæ ſororis, mors ſecuta eſt XV. Kal. „*Novemb.* quæ non totum menſem fratri ſuperſtes fuit, antiqui mo„ris & gravitatis fœminæ, ad hæc ſupra ſexum fortiſſimæ, quæ cum „impudicitiæ acerrima vindex tota vita fuerit, a noſtris tamen in„curſionum odio, quæ frequenter a Cæſareanis, dum Belgio præ„eſſet, fiebant, dicteriis, & militari laſcivia compoſitis cantilenis, fal„ſo inſimulata fuit, quaſi cum BARBANSONO, formoſo admodum „viro, ſed in quo virtus, ac fides plus forma pollebant, conſueſce„ret: tam ab hoc crimine abhorrens, ut nunquam a Cæſare exo„rari potuerit, ut cuidam ex primaria nobilitate iuveni, fratri per„charo, qui unam ex domeſticis ipſius virginibus corruperat, cul„pam condonaret, palam interminata, ſicubi illum nanciſceretur „vel in fratris comitatu, fore, ut extremo ſupplicio affici iuberet. „ Corporis formam, ſed adoleſcentis, adumbrat *Richardus* BARTHOLINUS, d) quæ, etſi imagini noſtræ, utpote MARIAM decrepita ætate ſiſtenti, parum conveniat, pro more tamen adiungendum eſt, ut ne hicce muneri noſtro deeſſe videamur. „*Gurcenſis* (inquit) „ad Reginam MARIAM profectus eſt, quam LUDOVICO, *Bohemiæ* „Regi, nuptum iri credunt: arbitror nouennem eſſe, tamen tanta „in puella grauitas eſt, tanta maieſtas, vt merito crediderim, ab HE„SIODO dictum eſſe: *ſub* IOUE *reges nutriri*. „

Breviarium vitæ CATHARINÆ, PHILIPPI filiæ,

XIV. Extremum in hac tabula locum occupat CATHARINA, PHILIPPI *Pulchri* filia *poſthuma*. Hæc an. MDVII. die XIV. *Ian.* *Tor-*

a) Tab. XXVI. n. CIX. & CX. p. 112.
b) Loc. cit. tom. IV. P. I. p. 211.
c) Hiſtor. ſui temp. lib. XXI. p. m. 579. ad annum 1558.
d) In hodœporico MATHIÆ *Gurc.* Epiſc. loc. cit. p. 620. ſeq.

Turræcrematæ in *Hiſpania* exorta, ac an. 1519. ſub die 3. *Iulii* IOANNI, Duci, ac poſtea *Electori Saxoniæ*, ab eius fratre CAROLO V. per procuratores deſponſa; poſtea vero, ob illius a fide Catholica diſceſſum, denegata, anno demum 1525. IOANNI III. Regi *Luſitaniæ*, elocata fuit, nuptiis *Nonis Ianuarii Eſtremocii* celebratis. a) Quæ cum ei plurimos utriusque ſexus liberos, quorum tamen duo duntaxat ad adultam ætatem, ad provectam nullus pervenit, peperiſſet, facta anno 1557. vidua, an. demum 1578. ad plures abiit.

TAB. XLVI.

a

XV. Iconem illius ex thecis HERÆI eduximus. Veſte induta, fiſſuris plurimis, pro more ſeculi ſtudioſe in pannum inductis, atque tæniolis religatis, intuentium oculos in ſe avertit. Ætatem imaginis ex ſubiecta illi inſcriptione didicimus, hunc in modum concepta: CATHARINA POSTHUMA, PHILIPPI I. AUSTRIACI FILIA, IOANNIS, REGIS LUSITANIÆ, UXOR. 1556.

Et icon. N. 6.

INSCRIPTIONES.

XVI. Apud SANDERUM in chronographia ſacra de cœnobio in *viridi valle*, cap. V. p. 12. carmen reperitur, a PHILIPPO, Archiduce *Auſtriaco*, a ſe interempto cervo hunc in modum dedicatum, & ad cornua eius, ibidem muro affixa, poſitum:

PHILIPPUS *Pulcher* cervo carmen poni curat.

MAXIMILIANI *proles generoſa* PHILIPPUS
Me morti ſine morte dedit: fatoque ſuperſtes
Æternam retuli tali de funere vitam.
Illum Belgiacæ moderantem gentis habenas,
Poſt curas, dubiosque metus, alterna vocabat
In ſilvas properare quies, qua plurimus una
Errabat mecum per luſtra latentia cervus,
Iamque propinquabant voces, hominumque, canumque,
Venatumque cavas volitabant tela per umbras.
Huc, illuc, ſocii diſcurrere, quo timor illos
Urgebat: pedibus celeres timor addidit alas,
Me ſuper incubuit ſubito læthalis arundo
(Incertum, quæ fata viam, caſusne, Deusne
Præbuerint) ſequitur non vilis gloria fatum.
Scilicet eripuit felix mihi dextera vitam
Magnanimi Herois, qui longa in ſæcula ſtructo
Patris ad exemplum fixit mea cornua muro,
Cornua felicem numquam tacitura triumphum.

Additur chronoſtichon, annum & diem facti deſignans:
AVGVSTA REPARAT NON VILIA FVNERA SORTE
QVÆ CRVCIS EXALTAT SIGNA COLENDA DIES.

XVII. ALOSTI in *Flandria* monaſterium *Carmelitarum* floret, ex *Muy-*

Monaſterium *Carmelitarum* alio transfert.

c) Teſte MINIANA, in continuatione MARIANÆ de *reb. Hiſp.* lib. II. cap. VII. pag. m. 56.

Muylen, PHILIPPO noſtro annuente, eo translatum, cuius rei fidem faciebat inſcriptio, a) ſupra portam olim poſita, hisque verbis expreſſa:

HIC CONVENTUS TRANSLATUS EST EX MUYLEN IN ALOSTUM AUCTORITATE PHILIPPI AUSTRII, DUCIS BRABANTIÆ, COMITIS FLANDRIÆ, A°. 1497. IANUARII 23.

Succedente vero anno 1664. porta nova, vetus inſcriptio periit, cuius tamen translationis memoriam conſervat Diploma, apud *van* GESTEL reperiundum. b)

Curiam ſupremæ iurisdictionis *Machliniæ* conſtituit.

XVIII. PHILIPPO pridem defunčto, *Machlinienſes* in loco, cui a paſcendis anſeribus nomen eſt, ſuper currum triumphalem in tabula quadrata hanc inſcriptionem hiſtoricam circa an. 1598. exhibebant:

CURIAM SUPREMÆ IURISDICTIONIS BELGICÆ CAROLUS COGNOMENTO INTREPIDUS, BURGUNDIÆ, LOTHARINGIÆ, BRABANTIÆ DUX, MACHLINIÆ DOMINUS, SUB ANNUM CIↃ IↃC LXXIII. INSTITUIT, PHILIPPUS VERO PRIMUS, HISPANIARUM REX, ITEMQUE BURG. LOTHAR. BRAB. DUX, ILLIUS EX FILIA NEPOS, ANNO SEQUENTIS SECULI III. MACHLINIÆ CONSTITUIT.

ELEONORÆ & MARIÆ PHILIP. *Pulchri* filiar.

XIX. *Bruxellis* in *Brabantia* inſignis eſt Collegialis, atque Parochialis *Baſilica* S. MICHAELIS, & S. GUDULÆ. Ibi anno 1533. ut *van* GESTEL atteſtatur, c) veteri ſacello Sacramenti *Miraculoſi* (ubi tres adſervantur Hoſtiæ, a perfidis Iudæis anno 1369. confixæ, purum ſtillantes ſanguinem, ac hodieque ingenti hominum frequentia ſummæ venerationi habitæ) novum, illudque auguſtius, ac ſplendidius ſubſtitui cœpit, primum lapidem nomine MARIÆ, Reginæ *Hungariæ*, tum *Belgium* pro fratre Cæſare CAROLO V. gubernantis, *Philippo* de LANNOY, Domino de *Molenbaix*, ponente. Opus anno 1539. perfectum, ac die XXIV. *Aprilis* anni 1552. conſecratum fuit. Sacello haud exiguum ornamentum feneſtræ vitreæ, verſus cœmetrium conſtructæ, tribuunt, a Magiſtro ROGERIO, famoſiſſimo *Bruxellenſi* pictore, adumbratæ, variisque variorum *Auſtriacæ* gentis Principum imaginibus, ac inſignibus conſpicuæ, cum inſcriptionibus, a nobis ſuis locis exhibendis: quas inter & ſequens, ad ſupra laudatam ELEONORAM, FRANCISCI I. *Franciæ* Regis coniugem, pertinens:

FRANCISCUS CHRISTIANISSIMUS I. FRANCORUM REX, ET ELEONORA CAROLI V. IMPERATOR. GERMANIÆ SOROR, EIUS CONIUX, SACROSANCTO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO MANDAVERUNT PON. 1540.

XX.

a) Dans le Grand Theatre ſacré de *Brabant*. tom. I. lib. VIII. p. 339. & apud *Van* GESTEL. *Hiſt. ſacra & prof. Archiep. Mechlin.* tom. II. p. 145.

b) Ibid. p. 146. Conf. quoque p. 141.

c) Ibid. p. 15. adde le Grand. theatre ſacré de *Brabant.* loc. cit. lib. VI. p. 194.

XX. Eiusdem argumenti, quanquam non ita perſpicui, eſt inſcriptio altera, ad MARIAM, Reginam *Hungariæ*, ſpectans:

In ſacram Euchariſtiam pietas.

MARIA, CAROLI V. CÆSARIS SEMPER AUGUSTI SOROR, VIDUA LUDOVICI DALMATIÆ, CROATIÆ, BOHEMIÆ, HUNGARIÆ REGIS, QUI PRO FIDEI CATHOLICÆ DEFENSIONE IN BELLO CONTRA BARBAROS FORTITER PUGNANDO OCCUBUIT, PONI IUSSIT. 1547.

XXI. Ac denique tertiæ PHILIPPI filiæ, eiusque mariti IOANNIS, Regis *Luſitaniæ* ibidem poſita:

Itemque & tertiæ eius filiæ.

IOANNES DEI GRATIA LUSITANIÆ, ET PORTUGALLIÆ REX, ET CATHARINA, UXOR EIUS CHARISSIMA, CAROLI V. IMPERATORIS SOROR, PONI CURAVERUNT 1547.

XXII. ANTVERPIÆ, celebris *Brabantiæ* urbis, munimenta cum MARIA, Regina olim *Hungariæ*, ampliaſſet, ſequenti inſcriptione, lapidi inciſa, honorata fuit:

MARIA mœnia urbis *Antverpienſis*,

DIVÆ MARIÆ HUNG. REG. DIVI CAROLI V. CÆS. SORORI, PATRIÆ EX FRATRIS AUCTORITATE TUTRICI, S. P. Q. A. HANC MOLEM, EX EIUS NOMINE MARIANAM NUNCUPANTES, PIIS VOTIS D. D. QUOD SOLLICITO ILLIUS HORTATU TANTÆ HÆC VASTITATIS MOENIA GRAVISS. REIPUB. IMPENSIS VEL QUADRIMESTRI SPATIO AD MILLE PASSUUM LONGITUDINEM IN SUPERIOREM USQUE LIMBUM EXCITATA SINT, UNIVERSUMQUE URBIS AMBITUM HAC PARTE COMPLERENT, MENSE AUGUSTO M. D. LIII.

CONSTANT. HALMALUS EQUES AURATUS HUIC MOLI PRIMUM IECIT LAPIDEM DIE XVII. IULII M. CCCC. LII.

Adducunt hanc inſcriptionem cum P. *Otto* AICHER a) tum vero & SWEERTIUS, b) quorum prior non nihil mendoſus eſt, facile tamen emendatus ex poſteriori; cui utique tanquam civi *Antverpienſi*, ubi monumentum extat, maior arbitranda fides erit. Sed & is tamen ſphalmate haud vacuus eſt, in nota temporis ultima occurrente; ubi loco numeri quadringenteſimi haud dubie quingenteſimus ſubſtituendus.

XXIII. TIENÆ, ſeu *Tillemontii* in *Brabantia* cœnobium Ordinis *Car-*

MARGARIT. vero cœnobium *Carmelit.* reſtaurat.

a) Hort. variar. inſcript. p. 291.

b) Loc. cit. p. 459.

Carmelitici eſt, a IOANNA Duciſſa *Brabantiæ* an. MCCCLXXII. excitatum, fundatumque, ubi in fornice quadam ſequens carmen multa barbarie reſperſum, legitur.

Anno milleno, nec non quinquageſimoque,
Et ſepteno, tum ſpoliatum porro ſequenti 1507.
Gratia reſtaurat me Margaretæ Generoſæ 1508.

Nimirum cœnobium iſthoc, repetitis incendiis in cineres abiens, liberalitate MARGARITHÆ, MAXIMILIANI I. Imp. filiæ, cum *Belgium* gubernaret, reſtitutum fuit. Legitur autem *quinquageſimoque* mendoſe, pro *quingenteſimo*, ut cuivis primo obtutu obvium eſt. Ceterum hæc eadem inſcriptio ex ſe capite præcedenti producenda fuiſſet: ſed cum diligentiam noſtram fugerit, ſatius eſſe opinati ſumus, illam, tanquam ad PHILIPPI, de quo hic agimus, ſororem ſpectantem, hoc utique non admodum alieno loco referre, quam inter *addenda*, & *corrigenda* reiicere.

CAPUT II.

CAROLUS V. IMPERATOR,

EIUSQUE

UXOR ET LIBERI.

§. I.

CAROLI V. ſtatuæ duæ, TAB. XLVII. N. 1. 2.

Monumenta CAROLI V. iconica a duabus ſtatuis, quarum alteram *Iacobus* SCHRENCKIUS a *Nozingen* ex Armamentario *Ambraſiano*, alteram *Franciſcus* TERTIUS edidit, auſpicamur. Ambæ inter ſe parum differunt: priori tamen, quam poſteriori nativam CAROLI vultus ſpeciem exactius referri, facile intelligent, qui eas aut cum nummis, aut reliquis melioris notæ ſignis, in his tabulis exhibendis, conferre voluerint.

Ac anaglyphum, conventum duorum fratrum indicans. N. 3.

II. Alterum eius tabulæ ſchema, ex lapide polito, Sereniſſimus ANTONIUS ULRICUS, Dux *Saxo-Maynungenſis*, nobiscum liberaliter, ac perbenigne communicavit. Exhibet conventum CAROLI & FERDINANDI, fratrum, quorum prior ex aquila bicipiti, impreſſam pectori teſſeram *Auſtriacam* gerente : alter ex leone *Bohemico* dignoſcitur. Nec negligendus eſt *pelecanus*, aptiſſimum regnantium ſymbolum, in dorſuali equi Cæſarei conſpiciendus. Additur nota chronologica 1527. quæ ſane negotium faceſſit. Certum eſt enim, cognitumque ſatis, Auguſtos Principes ab anno 1522. ad uſque 1530. nullibi conveniſſe: CAROLO ut plurimum in *Hiſpania*, FERDINANDO in *Germania* degentibus; id quod ex ſuperabundanti monumentum quoddam *Tyrolenſe*, infra adducendum, docebit. Quare æram illam in mendo cubare, neceſſe eſt. Quam ſi emendaturus, ad annum fortaſſis 1521. quo CAROLUS ex *Hiſpania* in *Germaniam*, ad capeſſendum Imperium, iter faciens, fratrem ſuum FERDINANDUM *Brugis* ſalutavit, a) aut ad diſceſſum

a

eius

a) MASEN. Hiſtr. CAROLI V. lib. I. §. XLII. pag. 37.

eius ex *Germania*, ab eo post duorum annorum intercapedinem susceptum, referendum existimes, frustra certe niteris. Ut enim de duplici aquila nihil dicamus, obsistunt certe insignia *Bohemica*, quibus FERDINANDUS non nisi ab anno 1527. uti cœpit. Neque vero tutius annus 1530. quo in Comitatu *Tyrolensi* post octo annorum decursum congressos fuisse, infra videbimus, substitui poterit: quando in *Nummotheca* nostra a) docuimus: CAROLUM tum temporis barbam iam aluisse; quacum sane in duobus monumentis sequentibus coævis, & ad eundem annum pertinentibus, compareat, secus in schemate præsenti. Accedit & cæsaries, quam ante coronationem a CAROLO depositam fuisse, postea docebimus; ut adeo fratrem, eadem iam peracta, conveniens, capite detonso sistendus fuisset. Quare ætatem anaglyphi in medio relinquimus: nisi forte dicere queas, cum notam chronologicam, tum insignia *Bohemica* serius insculpta fuisse, aut leone illo cum cauda bifurcata, aliud, quam digma regni *Bohemici*, designari.

III. Integra hæc tabula in memoriam nobis revocat duplicem coronam, CAROLO anno 1530. a CLEMENTE VII. S. Pontifice, *Bononiæ* impositam: quanquam pars duntaxat sit pompæ post hominum memoriam magnificentissimæ, die XXIV. *Februarii*, ipso videlicet anniversario natali die Imperatoris, peracta coronatione Augustali, ductæ. Æri incisa est coæva manu a *Nicolao* HOGHENBERGO, atque integris octo & triginta tabulis, hac nostra nonnihil augustoribus, comprehensa, Reverendissimi ac illustrissimi quondam D. Comitis CAROLI IOSEPHI a *Fugger*, Episc. dum viveret, *Domitiopolitani*, ac Suffraganei *Constantiensis* instructissimam, quam, nulli aut labori aut sumptui parcens, collegit, pinacothecam exornavit. Unde nobiscum perquam benigne communicata fuit. Integrum opus ut repeteremus, cum immensi laboris, & sumptus fuisset, illius saltem descriptionem hic dare, operæ pretium erit, cum antea titulum, & dedicationem operis, exhibuerimus.

CAROLUS V. coronatur *Bononiæ*, TAB. XLVIII.

IV. Itaque inscriptio, in fronte operis posita, sic habet:

Cuius schematis titulus,

GRATAE ET LABO-
RIBUS ÆQUAE
POSTERITATI.
CÆSAREAS, SANCTIQVE PATRIS, LONGO ORDINE TURMAS
ASPICE, ET ARTIFICEM TER VENERARE MANVM.
TRADERE QVÆ POTVIT, RIGIDO MANSVRA METALLO,
NOMINA MAGNORVM, TOT GENEROSA, VIRVM.
PICTOR HOGHENBERGVS, QVOD PER TVA SÆCVLA CERNAS.
HOC TIBI POSTERITAS VIVIDA FECIT OPVS.

V. Sequitur dedicatio, his verbis concepta:

Et dedicatio exhibentur.

DIVO ET INVICTO
IMPERATORI CA-
ROLO. V. P. F. AVG.
CAESAR ET HESPERIIS, ET QVI DOMINARIS EOIS,
ACCIPE, QVOD TENEBRIS TE PROHIBEBIT OPVS.
NON FATO VENIENTE CADES, MVLTOSQVE SECVTVS,
IGNOTVM LONGA NOCTE PREMERE CAPVT.

SED

a) P. I. p. 77. col. 2.

TAB. XLVIII.

SED CVM VICTVRIS VICTVRVS CAROLE CHARTIS
IBIS AD ANTIPODVM REGNA, SECVTVS AVVM.

Inferne leguntur nomina auctorum in hunc modum:

CVM PRIVILEGIO SACRATISS. IMP. CAROLI V. OPVS
HOC ABSOLVTVM EST, NICOLAO HOGHENBERGO ARTIFICE,
ENGELBERTO BRVNING SOCIO IMPENSARVM.

Itemque ordo pompæ,

VI. Ordo vero pompæ, ut ex ipſis tabulis habemus, talis eſt: 1. Præcedunt Principum miniſtri equites. 2. Magnates, & militiæ Duces, pariter equis vecti. 3. Vexilla Communitatis *Bononienſis* geſtantes, pedibus incedunt. 4. Hos ſequitur magiſtratus *Bononienſis* in equis, cum vexilliferis collegiorum *Bonon.* peditibus. 5. Eos excipiunt Doctores Legum & Canonum XII. equites. 6. Equo vectus inſequitur urbis *Bononienſis* Gubernator, cum vexillifero equite, vexillum efferens, cui inſcripta vox: LIBERTAS. 7. Procedunt IV. vexilla rubra Pontificia, cum cubiculariis Pontificiis, & familia Ducis *Pennæ*, nec non antiquo populi *Romani* vexillo, ſueta inſcriptione notato: S. P. Q. R. cui accedit vexillum S. GEORGII. 8. Quatuor alia ab equitibus geſtantur vexilla, puta *Imperii*, impreſſa aquila bicipiti, *S. Crucis*, *Eccleſiæ*, & *Pontificis*. 9. Equi ſex generoſiſſimi, a totidem helciariis producti. 10. Quatuor Pontificis capellani, mulis inſidentes, haſtas ſuſtinent, quibus totidem tyaræ impoſitæ ſunt. 11. Pontificis cubicularii, ſcribæ, aulici, advocati, & auditores Rotæ. 12. Tubicines. 13. Chorynophori, virgiferi, oſtiarii, & ianitores. 14. Heraldi, ſeu caduceatores. 15. Diverſorum populorum Oratores. 16. Paſtorale Pontificis, & tyara Pontificia, nec non duo candelabra aurea, a quatuor Cardinalibus, mulis inſidentibus, geſtata. 17. Duodecim ceræ candidæ ardentes præferuntur S. Euchariſtiæ, a *Bononienſibus* patriciis, ac Medicinæ Doctoribus, ſtipatæ. 18. Pontificis Sacriſta: varii Principes, Comites, Marchiones, & Duces. 19. Diverſarum nationum, linguarumque, ſatrapæ. 20. Viri nobiles, & potentes. 21. Cæſarei Architriclini, ſive Magiſtri Domus. 22. Magnus Architriclinus ADRIANUS Comes a *Rhodio.* 23. *Burgundus* Heraldus, inſignia numiſmata ſpargens, præcedit Collegium *Cardinalium.* 24. BONIFACIUS PALEOLOGUS, Marchio *Monferratenſis* cum ſceptro Imperatoris, & FRANCISCUS MARIA, Dux *Urbini*, gladium Imperatoris ferens. 25. PHILIPPUS, ex *Palatinis Rheni* & *Bavariæ* Ducibus, cum globo aureo. 26. CAROLUS, Dux *Sabaudiæ*, Imperiale diadema tenens. 27. CLEMENS VII. Pont. Max. & CAROLUS V. Imp. Cæſar. 28. HENRICUS Comes a *Naſſau*, Archiepiſcopus *Barrenſis*, Epiſcopus *Caurienſis*, Epiſc. *Brixienſis.* 29. *Nicolaus* PERNOT, & *Michael* MAIUS. 30. Innumeri Canonum, Legumque, Doctores, virique conſulares, & Prælati. 31. Timpaniſtæ & tubicines, cataphractarum equitum armatæ phalanges: puta Marchionis *Aſcolenſis.* 32. Comitis a *Rhodio*, Baronis *Autregii*, Domini *Viennenſis.* 33. Baronis S. SATURNINI. 34. *Germani* & *Hiſpani* pedites, cuſtodias agentes. 35. ANTONIUS *de Leva*, Capitaneus Gene-

Generalis. 36. Machinæ bellicæ. 37. Aquilia inter medios leones, vinum album & rubrum fundentes, & bos, variis animalculis infarcitus, assatur. 38. Panis omnis generis passim omnibus distributus.

Tab. XLVIII.

VII. Atque hæc quidem dictæ tabulæ, quibuscum concordat, qui integram coronationis illius historiam condidit, *Henricus Cornelius* AGRIPPA, a) Scriptor non coævus modo, sed & rerum eius temporis, tanquam Cæsari a consiliis, & archivo, præ ceteris gnarus; ut adeo a tabularum harum possessoribus nec inutiliter, nec sine voluptate legatur. Inprimis vero tabula, num. 28. posita, ex eodem illustranda, titulusque eius hunc in modum supplendus erit: *Succedebant illustris Comes a Nassau, deinde Archiepiscopus Barrensis, post Cauriensis Episcopus, demumque generosus simul, & reverendus* GEORGIUS *Austrius, Episcopus Brixiensis.* Nec minus observandus est articulus omnium primus, quo scilicet Principes, totamque nobilitatem, conscensis equis, eo ordine processisse, refert AGRIPPA, *ut duo, & duo pariter ambularent, Pontificii a dextris, Cæsarei a sinistris.* Idem dicemdum de non nullis aliis.

Quæ ex Agrippa illustratur, a

VIII. Sed & præsens, quam ante oculos habemus, tabula, quamque modo contemplari animus est, non exiguam ex eo lucem accipit. Pontificem videmus, Imperatoremque, equitantes sub umbella, a virorum quaternione gestata, stipantibus a latere caterva militum, in quorum lanceis notum Imperatoris symbolum, HERCULIS videlicet *columnas* coronatas, ac cælo impressas, videas. „Digressa a templo plebe (sunt verba AGRIPPÆ) Pontifex sum-„mus, sacerdotalibus interea exutus, acceptaque in caput magnifi-„centissima corona, ac triplici insignita tyara, unacum Imperatore, „diademate coronato, templo prodibat: ad ostium productus est „Pontifici nivei candoris equus gradarius, aureis habenis, ac mo-„nili frontalitio, purpureoque ephippio insignis. Ad cuius stape-„des insiliente Pontifice, cum Imperator manum apposuisset, vix „passus hæc Clementissimus pater, his verbis Imperatorem alloqui-„tur: *Nequaquam id feceris fili mi, imperatorque invicte! Satis* „*mihi, supraque satis humanitatis tuæ obsequentissima voluntas, quam* „*tamen non in meam personam, sed illius, cuius vices gero, habeo* „*acceptissimam.* Cumque iam inscendisset Pontifex, apprehendens „frenum Imperator, ductoris obsequium illi per aliquot passus ex-„hibiturus: quod beatissimus pater nequaquam passus est. Tum „datus est Imperatori equus, etiam niveo candore, & sublimi alti-„tudine illustris, quin & magnificentissime ephippiatus, phaleratus-„que auro, & gemmis undique refulgens: cui insidens Imperator, „altior omnibus eminebat, ut ab omnibus conspiceretur.„

Præsertim tabula præsens, ubi equos inscendendi ceremonia.

IX. Erant igitur amborum equi albi coloris, quod genus iumentorum supremi dominii signum esse, alibi observavimus. Ex iis Pon-

Eorum color, & natales.

a) Apud SCHARDIUM tom. II. p. 1256. ac præsertim p. 1266.

Tab. XLVIII. a

Pontificium natales ſuos *Thraciæ*, Cæſareum *Hiſpaniæ* debuiſſe, teſtatur *Paulus* IOVIUS, a) ab AGRIPPA in eo inſuper diſcedens, quod utrumque equum ſuum iunctim inſcendiſſe memoret; ut adeo ductoris officium arripiendi ſpatium, & occaſio Cæſari haud ſuperfuiſſet. Qua in re tamen AGRIPPÆ accedendum putamus. Cum quodcunque CHRISTI in terris *Vicario* exhibuerit, aut exhibere voluerit obſequium Imperator, id certe ex veterrimo uſu & conſuetudine facturus erat. b)

Itemque umbella,

X. Porro umbellam, in tabula noſtra a quatuor viris, inſigniter comptis, ornatisque, ſuſtentatam, AGRIPPA a ſenis geſtatam fuiſſe perſcribit: *tribus videlicet Venetorum Oratoribus, & aliis tribus Bononienſium Patriciis.* Id quod haud dubie ita accipiendum, ut alii aliis ſucceſſerint. Sic enim haud obſcure laudatus IOVIUS: *Ergo iunctim equo uterque albo --- confidentes, umbellam ſubeunt, ſummæ dignitatis hominibus ad eam geſtandam honori ſimul, & labori, ſuccedentibus. Frontalitium* deinque *monile* equi Pontificii, de quo memorat auctor, obliquus eius capitis ſitus obtegit.

Trabea,

XI. Præterea trabeam, auream ſcilicet, gemmatamque, *propter importabile pondus* a Cæſare ſub initium pompæ relictam fuiſſe, refert AGRIPPA: quam tamen pictor noſter, ſeu chalcographus, haud negligendam exiſtimavit. Nec, ut videtur, abs re; quando idem IOVIUS auctor eſt: c) trabeam illam non ſtatim ſub initium, ut vult AGRIPPA, ſed finita primum pompa, ab eo depoſitam fuiſſe. „In „cubiculum (ait) *Hippolyti* MEDICES, Cardinalis --- Cæſar coro„natus, excluſo ferme omni famulatu, ſe recepit, *trabeam depoſuit*, „exuit ſandalia, & auream talarem togam ſumpſit, atque hilaris „aliquamdiu ab illo tanto *prætextæ chlamydis*, & prægravis tyaræ „*pondere* conquievit.„ Sed ut ut res ſe habeat, in ea cum primis conſideranda eſt aquila Imperii biceps, qualem ad veſtitum Cæſaris pertinere, teſtatur, qui ea de re data opera egit MAMERANUS, d) temporibus illis æqualis. *Cappa chorali, quam vocant, ex puris aureis filamentis per totum texta, cum bicipiti grandi aquila, ex nigro ſerico filo ſuper intexta,* CAROLUM V. indutum inceſſiſſe refert, cum MAURITIUM Ducem *Saxoniæ* ad dignitatis Electoralis apicem *Auguſtæ Vindel.* die XXII. *Febr.* anni 1548. ſublimavit. Similis aquila cum in fronte, tum in ſuprema umbraculi ſuperficie, obſervatur.

Comitatus & præſidium,

XII. Denique ab utroque latere, ut pergit AGRIPPA, „Ponti„ficii, Imperatoriique laterones, cum *Hiſpani*, tum *Burgundiones*, „& *Germani*, *Alemanni*que ſatellites, longiſſimo tractu a plebis in„tercurſu conſtipabant. Acclamabant omnis ſexus, omnis ætas, „omnis ſtatus, *vivat* CAROLUS, *vivat Imperator*, Imperii quoque „nomen in cœlum tollebant: tum redolentiſſima diapaſmata, impoſi-

a) Hiſtor. lib. XXVII. p. m. 108. lin. 35.
b) Vid. MURATOR. Liturg. *Rom.* tom. II. p. 455.
c) Loc. mox cit. p. 111. lin. 1. ſeq.
d) Apud laud. SCHARDIUM T. cit. p. 1669.

„posita thymiateriis, adolebant, Cyprioque pulvere transeuntes „perfundebant.„ Quæ singula a pictore, qui rei gestæ momentum duntaxat exhibere potuit, exprimi nequierunt: apparent tamen satellites, latus stipantes unicum; ne exhibiti utrobique, ceteros obfuscarent: id quod admonitione nostra haud indiget.

Tab. XLVIII.

XIII. Observatione autem adhuc dignum est caput Cæsaris tonsum, quo modo tum illum comparuisse, sæpe excitatus *Paulus* IOVIUS testatur; rationemque illius reddit *Famianus* STRADA, a) asserens: *Primum* CAROLUM, *quum ad imperii coronam capessendam veniret in Italiam, minuendo capitis dolori cæsariem deposuisse: exemplo ab aulæ primoribus certatim recepto: ac more, qui per ea, retroque secula, tantopere vigebat, alendæ comæ, imitatione unius, apud omnes abolito:* non solum (quod addere liceat) Principibus, id quod exempla, in decursu huius operis adducenda, abunde ostendent, sed & religiosis, atque vitam regularem sectantibus viris, ut ex veteribus, æri incisis imaginibus, intelligimus. Atque sic quidem factum est, ut quod remotioribus seculis dedecori esset, atque regios etiam filios, si tonderentur, ad regnum ineptos redderet, b) id nunc decori verteretur, & honori.

Caputque Cæsaris tonsum, a

b

XIV. Quod ad reliquum corporis, a CAROLO tum aliti, statum, habitumque pertinet, illum laudatus IOVIUS c) hoc modo eleganter descriptum dedit: „Erat eius vultus, (inquit) ut hoc quoque curiosi minime desiderent, argenteo, & grato quodam pallore dilucidus, oculi cærulei, suaves, nulla acri severitate formidabiles, & ii quidem ad ingenuum pudorem, virilemque modestiam „instituti. Nasus a medio clementer assurgebat, quod magnitudinis animi signum in *Persarum* etiam Regibus ab antiquis fuit observatum: mentum erat ad exiguam venustioris iniuriam paullo „prominentius, & quod gravitatis speciem addebat, sub crispa, & „flaventi barba, convestitum: *capillum vero fulgore pallentis auri, „more Romanorum Cæsarum circumtonsum ostendebat.* Porro statura corporis, ut in ipsa ætatis integræ flore, & prosperrima valetudine, non ab inerti succo, sed a valido nervorum nexu longe firmissima: peramplæ item robustæque manus, ad stringendum „ferrum idoneæ: crura autem venustissime extantibus toris, trunci „proportione directa; quod tum maxime apparebat, quum equo „veheretur. Tanta enim ei inerat equitandi peritia, ut nullus eo „armato, atque equum incitante, & in gyrum reflectente, vel pulchrior, vel vividior, vel in ferendo armorum pondere patientior „eques reperiri posse videretur.„

Ac corporis eius species singulatim considerantur. c

XV. Huc pertinet inscriptio apud SCHRADERUM, d) HENTZNERUM e) & SWEERTIUM, f) quæ etsi inter ceteras, inferius adducen-

Adiecta, huc facientes inscriptione. d e f

a) De bello *Belg.* lib. V. p. m. 351.
b) Vid. MONTFAUCON Mon. *Franc.* tom. I. pag. 55.
c) Histor. lib. XXII. p. 102.
d) Monum. *Ital.* p. 74. aversa.
e) In itinerario p. 248.
f) Christ. Orb. delic. p. m. 266.

cendas, locum suum commode habere potuisset: hic tamen haud inepte collocanda videbatur. Extat autem in *Bononiensi* palatio, seu Vice-Legati, in monumento quodam deaurato, in hanc sententiam:

CLEMENTIS VII. PONT. MAX.
ET CAROLI V. CÆSARIS IMPER. UNANIMITAS,
STABILE FIRMAMENTUM. a)

a

CLEMENS VII. PONT. MAX. VT CHRISTIANÆ REIP. STATUM REFORMARET, CUM CAROLO V. CÆSARE IMPER. BONONIÆ CONGRESSUS EST. IN HANC VRBEM CÆSAR NO. NOUEMBRIS ANNO A CHRISTI NATALI M. D. XXIX. INTROIIT. PRO TEMPLI FORIBUS DE MORE PONT. MAX. ADORAUIT, EIUS HORTATU ET CONSILIO CUM RESTITUTO IN MEDIOLANI AUITUM REGNUM FRANCISCO SFORTIA, AC VENETIS PACE DATA, CUNCTÆ ITALIÆ OCIUM AC TRANQUILLITATEM DIU OPTATAM REDDIDISSET, IMPERII CORONAM HOC POMPÆ ORDINE RECEPIT. FENESTRA HÆC AD DEXTRAM FUIT PORTA PRÆTORIA, EA EGRESSUS CÆSAR PER PONTEM SUBLICIUM, IN ÆDEM D. PETRONII DEDUCTUS, SACRIS RITE PERACTIS, A PONT. MAX. AUREAM CORONAM, ET IMPERII CÆTERA INSIGNIA ACCEPIT INDE CUM EO TRIUMPHANS, EXERCITU ORNATISSIMO PRÆEUNTE, VRBEM PERLUSTRAUIT. CUM AMBO IN EODEM PRÆTORIO TOTAM HYEMEM CONIUNCTISSIME DE SUMMA RERUM DELIBERANTES, EGISSENT. CÆSAR POST SUUM ADUENTUM MENSE V. IN GERMANIAM AD TUMULTUS IMPIORUM CIUIUM SEDANDOS, ET BELLUM TURCICUM CUM FERDINANDO FRATRE, PANNONIÆ REGE, APPARANDUM, PROFECTUS EST. HUIUS REI MONUMENTUM HOC, INNOCENTIO CIBO CARDINALI LEGATO AUCTORE, VBERTO GAMBARA VRB. PRÆFECTO, REFERENTE, S. P. Q. B. EXTARE VOLUIT. NONIS NOUEM. M. D. XXX.

Subiungitur apud SCHRADERUM ordo processionis, peracta coronatione institutæ, at sub titulo: INTROITVS CAROLI IN VRBEM; quem quidem perperam poni, ex dictis constat.

CAROLI & FERDINANDI in *Tyroli* conventus, TAB. XLIX.

XVI. Contemplandum nunc sumimus monumentum *Tyrolense*, in monte, vulgo *Brenner* dicto, inter fluvios *Oenum*, *Aicham*, ac *Athesis* fontes sito, & ad alpes *Tridentinas* pertinente, conspiciendum. Conventum CAROLI V. Imp. & FERDINANDI, *Hungariæ*, & *Bohemiæ* Regis, fratrum, exhibet, ut inscriptio, in ipsa tabula legenda, eloquitur. Cratibus ferreis subinde iussu, excelsi regiminis munitum fuit; ne publice expositum, a malevolis, aut prædonibus detrimentum capiat. Addita insignia, hinc aquila *Imperii* biceps, illinc binio aquilarum, vexillis impressa, uti videre est in adiecto minori schemate. Opus fere integrum ex marmore constat, tabula tamen, qua historia ipsa exhibetur, ex ære fusa est.

Quo tempore institutus?

XVII. Annum quidem huius conventus inscriptio indicat, diem, quo factus sit, reticet. Idem silentium tenent auctores, quotquot consuluimus, editi; satis habentes, retulisse: CAROLUM per terras *Venetorum*, *Tyrolensium*, *Boiorum*que, ad Comitia *Augustana* festinantem, magnifico ubique apparatu, atque summa cum honoris, benevolentiæque significatione exceptum fuisse: ubi & inter cetera memo-

a) Hic titulus apud HENZNERUM haud legitur.

memorant, *Suazii*, ſeu *Seveti*, Imperatori a Præfectis metallorum, ac operarum, argenteum ingentis magnitudinis nummum, centum quinquaginta librarum, dono oblatum fuiſſe, *in quo biceps aquila, corona redimita, habens in pectore clypeum, cui avita, recensque parta Cæſaris regna, artificioſiſſime inſculpta fuerint*: a) cum itaque tum ibi, id eſt *Auguſtæ*, *Idibus Iunii* advenerit; b) conventum illum haud diu antea obtigiſſe, oportet.

XVIII. Meminerunt de hoc monumento inter ceteros ZEILERUS c) ac SWEERTIUS, d) eius afferentes epigramma: HENTZNERUS e) contra, eo omiſſo, hoc cuiusdam Poetæ *Germani* tetraſtichon affert:

De eo præter alios, Poeta *Germanus.*

Hic poſt longa duo congreſſi tempora fratres
CAROLUS *Heſperiis victor*, FERDINANDUS *Eois*;
Cum patriis cuperent propellere finibus hoſtem
Iſmanum, atque Ducum longas componere lites.

XIX. Succedunt protome CAROLI numero tres. Prima ex pinacotheca illuſtriſſ. Comitis a WEISSENWOLFF, quæ *Lincii* eſt, educta, CAROLUM cataphractum exhibet, nec non, quemadmodum in tota hac tabula, ordinis aurei velleris inſigni ornatum. Porro ex capite tonſo colligas, effigiem circa, aut poſt annum 1529. quod diximus, factam fuiſſe. Altera opus C. GALLE eſt, in thecis HERÆI reperta: ac tertiam denique, a celeberrimo pictore TITIANO effictam, & in ſumptuoſiſſimo, ac præclaro opere iconum *Hollandiæ* Comitum, a *Petro* SCRIVERIO exhibitam, *Ioannes* quoque MEYSSENS operi ſuo p. 49. inſeruit.

CAROLI V. protome tres: TAB. L. N. 1. 2. 3.

XX. Non eſt dubium, quin hæc ultima effigies ceteris præferenda ſit; utpote ab artifice longe præſtantiſſimo, celeberrimoque, profecta: quanquam nec reliquæ duæ ſua careant auctoritate. Primum TITIANO ad Cæſarem aditum anno 1530. PARTHENIUS Poeta patefeciſſe narratur, *Bononiæ*, ubi illum pingens equitem, mille aureis, ſeu *ducatis*, remuneratus, abierit: tantundem referens, cum Cæſarem, triennio poſt *Bononiam* denuo advenientem, iterum effingeret. Ac tertio denique, cum eius vultus lineamenta anno 1548. *Auguſtæ Vindelicorum* expreſſiſſet, non modo repetitis mille aureis donatus, ſed & S. R. I. Eques & Comes Palatinus creatus fuerit. Memoriæ præterea proditum eſt: Imperatorem TITIANI arte ita captum, & illectum, fuiſſe, ut illum pingentem ſæpius inviſens, aliquando etiam penicillum, e manibus eius prolapſum, ſuis ipſe manibus de terra ſuſtulerit, viſoque, ab aulicis, ſe ſe comitan-

Cum TITIANI pictoris laude.

a) HEUTERUS *rer. Belg.* lib. X. p. m. 462. MASENIUS hiſt. CAROLI V. & FERDIN. I. lib. IV. p. 179. §. LXVI.
b) Apud eund. HEUTER. p. 461.
c) *Itinerar. Germ.* P. II. p. 180.
d) Loc. cit. p. 486.
e) Loc. cit. p. 392.

TAB. L. mitantibus, id indigne ferri, repoſuiſſe fertur: „ ſibi quidem magnam hominum, ipſis ſimilium, quorum ars ſumma in exhibendis, demiſſo corpore, ſalutationibus, verbisque adulatoriis, abſolvetur, omni tempore copiam eſſe: alicuius TITIANI non item. „ a) „ Hæc igitur imago, illique ſimilis altera, hic num. 5. proferenda, cum ad germanam oris eius ſpeciem expreſſa ſit, nec reliquæ duæ, ut diximus, ſua careant fide, & auctoritate: operæ ſane pretium erit, Scriptorum non nullorum de eadem vultus ſpecie hic adducere teſtimonia; ut alterum alteri lucem fœneretur.

Effigies CAROLI ex HEUTERO, b

XXI. Ex iis locum omnium primum mereretur *Paulus* IOVIUS; ſed cum illum de ſtatura CAROLI, annum vitæ triceſimum agentis, iam ſupra audierimus: proxime ſubſequitur HEUTERUS, effigiem Cæſaris hunc in modum adumbrans: b) „ Fuit CAROLUS *Quintus* Cæſar mediocris ſtaturæ, qui nec inter proceros, nec inter breves numerari potuit, membris omnibus, debita, grataque proportione ſtaturæ reſpondentibus. Color flore virilis ætatis, lacteus, aſpectu gratiſſimus, manus candidiſſimæ, oſſa ſtaturæ proportioni adæquata, firmis nervorum, muſculorumque ligamentis invicem coniuncta, robur, decusque corpori non exiguum adferebant. Vultus gratia, genæ ſucculentæ, frontis amplæ ſerenitas, glaucorum oculorum, non nihil ad cærulei ſuavitatem vergentium, dignitas, vigorque: naſus aquilinus, veterum heroum inſigne, oris, fere ſemper parum patuli, ſingularis familiæ nota, a prædeceſſorum ſuorum, *Burgundiæ* Principum, traduce derivata: denſæ barbæ, ſuperciliorum, poſitæque ad aures usque comæ, e flavo in fuſcedinem vergentis color: inceſſus decens, qui nec præceps, nec tardus erat, Regiam, Cæſareamque plane maieſtatem, dignitatem, amplitudinemque, vel capitali inimico extorquebant, accedentesque in admirationem trahebant. Pectus, humerique lati, nervoſum collum, venter ſubactus, ſcapulæ muſculoſæ, dorſi ſpina nervoſa, graciles tantum ſuræ, ſed ſine iniuria extantes earum muſculi. „ Hucuſque HEUTERUS, Imperatorem a capite ad calcem ſtudioſe deſcribens: ubi, quæ de ore patulo, familiæ nota, ait, hanc alii a CIMBURGI, FRIDERICI *Placidi* uxore, ut diximus, derivandam exiſtimarunt; quæque de barba, poſitaque ad aures uſque coma, refert, hæc ſane dicta hic paullo ſuperius illuſtrant. Manuum denique candore ſingulari *Auſtriæ* Principes in hunc uſque diem enituiſſe, pridem obſervatum eſt: quos inter cum primis etiam numerantur glorioſiſſimæ memoriæ CAROLUS VI. Imp. atque feliciſſime hodie regnans Imperatrix, & Regina noſtra MARIA THERESIA.

Et MASENIO: c

XXII. HEUTERUM, cum CAROLUM noſtrum depingeret MASENIUS c) ante oculos habuiſſe, iudicat laudatus KOELERUS. Verba

a) Vid. KOELER. Delic. nummar. P. IV. p. 105.

b) *Rer. Belg.* lib. XIV. p. 689.

c) MASENIUS l. c. lib. VII. §. CXLIX. pag. 404.

ba illius ſunt: „ ſtaturam corporis huiusmodi inter proceros, bre- „ vesque mediam, membrisque quam apte firmatam, tam robuſtam „ ſortitus erat. Color in flore ætatis lacteus, levi per genas aſper- „ ſus purpura, ampla, ſerenaque frons, glauci oculorum orbes, in „ cæruleum decus inclinati: naſus aquilino more aſſurgens, veterum „ inſigne heroum, & *Auſtriacis*, cum turgeſcentibus aliquantum „ labris, & hiatu modico oris familiare, dignitatem conciliabat. Bar- „ ba, & ſupercilia capillis denſa, comæque a mento ad utramque „ aurem aſſurgentes, quarum in fuſcedinem tranſibat color. Hu- „ meri, pectusque latum, nervoſum collum, venterque ad habilem „ armorum uſum ſubactus, lacerti validi, fortem, animoſumque, „ & cum maieſtate venerandum cuique oſtendebant Principem. Ti- „ biæ tamen paullulum, ſed extra deformitatem, vox, ſed citra au- „ ctoritatis iacturam, gracilior. „

TAB. I.

XXIII. Non erat hæc prima oris, habitusque corporis *Carolini* deſcriptio, a MASENIO adornata; ut qui Cæſarem fere totidem, quot paullo ſupra ex IOVIO adduximus, verbis, iam ad annum 1528. deſcripſit, a) ubi tamen ſententiam illam: *Capillum vero fulgore pallentis auri, more Romanorum Cæſarum, circumtonſum oſtendebat*, invito plane IOVIO; ut qui eam ad annum eius ſeculi triceſimum refert, ſuam fecit. Quippe cum, ut ibidem obſervavimus, morem illum tondendi caput, anno 1528. minime, bene vero anno ſubſequenti cum *Barcellona Genuam* navigaret, inducere cœperit. Neque præterea hic loci HEUTERUM ſatis aſſecutus videtur, cum eius verba verbis aliis redditurus, comas quaſi *a mento ad utramque aurem aſſurgentes* depingit; quando illi longe alio ſenſu CAROLUM comas, *ad aures usque poſitas*, id eſt detonſas geſtaſſe affirmat. Obſervat præterea Cl. KOELERUS, MASENIUM præ HEUTERO hæc tria ſpeciatim memorare: *genas* non nihil *purpureas*, *vocem*, *tibiasque graciliores*: ſed HEUTERUS *graciles* utique *ſuras* expreſſe memorat, tum paucis interiectis, ſubiungit: *vox tamen gracilior erat, modeſtia rara.*

Cuius verba examinantur. a

XXIV. HENRICUS PANTALEON, in CAROLI noſtri laudes excurrens, non minus etiam corporis illius ſpeciem contemplatur, a Cl. KOELERO, tanquam teſtis quartus adductus, haud tamen animadvertente: PANTALEONEM laudati IOVII non multo plus, quam interpretem egiſſe; id quod ex Latina eius editione, quæ nobis ad manus nunc non eſt, fortaſſis magis eluceſceret. Singulare tamen eſt, quod addit: CAROLUM præclaram atque inſignem hanc corporis ſpeciem aduſque primum, & quadrageſimum ætatis ſuæ annum, non ſine magna admiratione conſervaſſe, id quod auctor ipſe, *Heidelbergæ* litterarum tum ſtudiis operam dans, obſervaverit, Imperatore ad CAROLUM, Comitem *Palatinum Rheni*, inviſente, & ad comitia, *Ratisbonæ* celebranda, proficiſcente. b) Breviſſimus eſt

Item ex PANTALEONE & BELCARIO. b

D.

a) Lib. videlicet. IV. p. 171.

b) Teutſcher nation HELDENBUCH, ſeu proſographiæ P. III. p. 166.

TAB. I.

D. BELCARIUS, Episc. *Metensis*, ab eodem D. KOELERO adductus: „CAROLUS statura (ait) quoque quadrata, sed mediocri; capillo flavo, colore niveo, labro inferiore paullo latiore, atque in „mentum prominente, facie oblonga, ac subtristi, sermone raro, „gestu moderato. a)„

Et MUNSTERO. b

XXV. Sed nemo CAROLUM solertius, concinniusque descripsit *Sebastiano* MUNSTERO: b) „Caput (inquit) CAROLI, a vertice usque ad uvam colli, partem staturæ eius septimam efficiebat. „Longitudinem manus, & brachia extenta æquabant: palmo suo „a mento ad capillos usque pertingere poterat. Color totius cor„poris candidus erat, flava cæsaries, oculi glauci, genæ succulen„tæ, brachia atque femora crassa, tum vero convexum tergus, su„ræ graciles, nasus aquilinus, latæ ac crassæ plantæ, manus, aures„que breves, cum digitis tamen utrinque longis: cervix nervosa, „humeri, pectusque latum, frons ampla, blandus, hilarisque vul„tus, nec iusto longior, breviorque.„ Hunc plurium auctorum consensum, qui cum imaginibus nostris contendere voluerit, cum iisdem maximam partem conspirare animadvertet, iis duntaxat, quæ pictor, chalcographusque, exprimere nequiit, exceptis. Quare illos in unum velut fasciculum, cui inferius binos alios addemus, coniecisse, operæ pretium nos fecisse speramus.

CAROLUS FRANC. I. *Gal.* Regem, captivitate dimittit. N. 4. c

XXVI. Sequitur tabula, CAROLUM V. Imp. & FRANCISCUM I. Regem *Galliæ* captivum, iunctis dextris fœdus pangentes repræsentans. Id quod *Madriti* an. 1525. die XIV. *Ianuarii*, stilo *Gallicano*, factum est, ut supra innuimus. c) Ambo in habitu domestico, amboque barbati exhibentur: collaribus præterea instructi sunt, quæ circa hæc tempora in usum venire cœperunt. CAROLUS porro *Hispanorum* consuetudine pallium gerit, FRANCISCUS pro more eius ætatis veste, aliquot in locis fissa, induitur. Sed artifex in eo a vero aberrasse deprehenditur, quod CAROLUM capite detonso repræsentarit; quippe quod ex dictis constet, morem illum ante annum 1529. ignotum fuisse. Idem fere sentiendum de barba, ut ex nummis intelligitur, barbam illi, ut de ætate nihil dicamus, hoc anno adhucdum negantibus. Archetypon huius tabulæ adservabat olim illustriss. Comes a SINZENDORFF, CAROLI VI. Imp. supremus Cancellarius.

Eius tam corporis, N. 5.

XXVII. Summa quoque arte ad TITIANI prototypon imaginem hanc, CAROLUM nudo capite, armatum, atque strictum gladium dextra tenentem, expressit *Petrus Paulus* RUBENIUS. Quod cum illum haud dubie non minus, ac opus eiusdem TITIANI, superius exhibitum, affabre referat, Scriptoribus, qui de eius corporis forma egerunt, *Germanis*, adiungere hic lubet *Hispanum*, *Italum*que; qui, etsi recentiores, tanto tamen minus negligendi sunt, quan-

a) Comment. rer. *Gall.* lib. XVI. p. 477.
b) Cosmogr. lib. III. cap. XIX. p. 346.
c) Cap. præc. §. XI. p. 175.

quanto prioribus aut accuratius respondent, aut eorum confirmant afferta. Illorum igitur prior MINIANA, CAROLUM hunc in modum adumbrat: a) „Nihil in eo non mirabile fuit. Figura corporis venusta maiestatem præferebat. Color niveus mirum quam decebat purpureis genis. Flavum olim, attonsumque, ritu veterum, capillum, venerabili canitie postea respersum. In oblongo vultu inversum inferius labrum, paullulum eminebat, *Austriacorum* in posterum character. Cæsii oculi, atque in lætitiam vergentes. Sermo rarus, & modestus, nec salis expers. Incessus tardus, gestus, & habitus ita temperatus, ut serveritati, & gravitati propior videretur.„ Hucusque MINIANA, cum supra allegato MASENIO quoad genas, purpura aspersas, opportune respondens. Nec abludit, quanquam brevior sit, SUMMONTIUS, b) verbis *Italis* ita loquens. „Erat CAROLUS staturæ communis, nec crassus, nec macilentus, „sed validus, & robustus, ad quadragesimum usque ætatis annum „prospera semper usus valetudine: erectæ frontis, vultusque sereni. „Nasum habebat aquilinum, labia non nihil prominentia, capillos „perlucidos, qui in iuventute flavescentes, colori aureo proxime „accedebant.„

TAB. I. a

b

XXVIII. Atque hæc illi quidem de Cæsarei corporis specie, eximias ac plane regias animi dotes non minus collaudantes, quas ut hic quoque contemplemur, etsi instituti nostri ratio haud postulet: unum tamen, alterumve Scriptorem, de iis differentem, audire iuvabit; ut ne tot adductis externæ speciei effigiebus, partem tanti Imperatoris nobiliorem iniuste præteriisse videamur.„ Sed iam fuerat (ait IOVIUS c) de itinere CAROLI, anno 1529. *Bononiam* versus suscepto, agens) exceptus *Genuæ*, *Placentiæ* cognitus, *Parmæ* demum, *Regii*, & *Mutinæ* cum summa omnis generis hominum gratulatione salutatus; utpote, qui passim humanitatis, abstinentiæ, pietatis, atque iustitiæ monumenta, absque ullo vel superbiæ, vel crudelitatis, vel libidinis vestigio, reliquisset. Enimvero quo nihil est in Rege popularius, & gratius, aditum cunctis, atque aures, summa benignitate, & singulari patientia præbuerat, dederatque obiter responsa spei, æquitatisque plenissima, quæ propositis postulatorum sigillatim rectissime responderent. Illam vero militum licentiam, diuturna impunitate confirmatam, iis, qui vel oblata rapuerant, vel ante diem arroganter stipendia flagitarant, supplicio protinus affectis, ita represserat, ut illo, quod teneret, longe maximo omnium imperio dignissimus haberetur. Sed nec eum, quanquam ætate, fortunaque florentem, ullæ unquam vel licitæ voluptates a perpetuis rerum maximarum consultationibus avocabant, ita, ut in eo simul iuventæ decor eximius ad *Martiam* laudem emineret, & consilia senili maturitate, propriis, non alienis cogitationibus exquisita, elaborata, directaque manerent. Nunquam enim præ-

Quam animi effigies ex Iovio,

c

a) De reb. *Hisp.* continuat. lib. V. p. m. 216. c) Loc. cit. lib. XXVII. p. 101.
b) Histor. *Neapol.* tom. IV.

TAB. L.

præclarum, nobile, & firmum eius ingenium vel irarum impetus perturbarat, vel cæca vindictæ libidò pupugerat, vel ulla humana mollities, quin recta sentiret, expugnaverat. „

Et HEUTERO. a

XXIX Dixit hæc IOVIUS, cum de Cæsare, annum ætatis suæ nonum & vicesimum agente, loqueretur: de fatis iam functo *Pontus* HEUTERUS a) ita differit: „Fuit Princeps insigni virtutum „ concursu ornatissimus, homo tamen nec litteris excultus, sed lin„ guam *Belgicam*, *germanicam*, *Hispanicam*, *Francicam* ac *Italicam* „ exacte, diserteque loquens, *Latinam*, aliasque aliquot titubabat. „ Vita moderatus, modestus, quietis amans, iracundus sine vitio, „ donec crescentibus articularis morbi doloribus, seniorque factus, „ ad iram proclivior redderetur, sui subinde cerebri: in venerem „ pronus, liberque, attamen cautus, ac arcanus; ne vitii publica„ tione facto, exemploque noceret. Illatam iniuriam, contumeli„ amque recordari, dataque opportunitate ulcisci, ac oblivisci no„ verat ---- In cibo, potuque, adeo fuit temperans, ut ad pondus, „ mensuramque, a medicis præberi sibi, invalescente articulari mor„ bo, permitteret, nec ullum in aula, comitatuque, genus homi„ num, præter ebriosos ac cerebrosos, difficilius tulit &c. „

Icon illius cum symbolo, N. 6.

XXX. Ultima huius tabulæ imago ex thecis HERÆI educta fuit. Vesti eius exteriori flores ex auro, vel argento, intexti videntur, interior plana est: tibialia ita adstricta sunt, ut formam pedum omnino conspicuam reddant: floribus itidem resplendent: petasus vero plumis ornatur. Superne aquila Imperii biceps, CAROLI gerens in pectore insignia, a dextris vero symbolum eius exprimitur, columnæ scilicet *Herculeæ* cum lemmate: PLVS OVLTRE. De hoc in Nummotheca, ubi sæpiuscule occurrit, nonnulla dicta sunt, quibus addere iuvat tetrastichon, iisdem *Herculeis* columnis apud *Pontum* HEUTERUM b) subscriptum:

b

Immenso partem, quæ defluit, addidit illi
Et maior factus Cæsaris Orbis ope est.
Gadibus extremis, CAROLE, *Herculeisque columnis,*
Et terræ regnas finibus ulterius.

Quod ab exteris exsibilatum,

XXXI. Excitavit, licet immerito, symbolum isthoc haud parvam apud exteros invidiam; unde illi *Adrianus* TURNEBUS, *Gallus*, sequenti illusit satyra:

PROMOVET ALTERNO QUI VIX VESTIGIA GRESSU (*)
QUEM MALUS IN TOTO CORPORE LANGUOR HABET,
AUSUS ERAT FULVIS ONEROSO EX ÆRE COLUMNIS
HERCULEIS HUMEROS SUPPOSUISSE SUOS.
SED MALE CEDIT ONUS (*opus*) LASSATAQUE PONDERE CERVIX
EMERITO CECIDIT DEBILITATA SENI.

EXCI-

a) Loc. cit. in elog. CAROLI p. 740. Add. MASENIUM, PANTALEONEM, aliosque.
b) Loc. cit. p. 745.

* Quia nempe frequenti podagra laborabat. locis supra citatis.

EXCIPIT HANC NATUS MOLEM IUVENILIBUS ANNIS,
SUCCIDUO NEC EAM POPLITE FERRE POTEST.
RUMPE MORAS, ERRICE, ONERI SUCCEDE CADENTI,
OPPRIMIT HISPANUM TANTA RUINA CAPUT,
ET FULCIRE HUMERIS, ET SUSTINUISSE LACERTIS
TU POTES: HÆC COLLO SARCINA DIGNA TUO.

TAB. L.

XXXII. At ei non minus acute, quam pro vindicando Cæsaris honore, digne, & appoſite reſpondit GUILLIELMUS CRYPIUS:

Vindicatur a noſtris.

NON ERAT IN CAROLO LAUDIS TAM VASTA CUPIDO,
NEC TAM (GALLE LEVIS!) AMBITIOSUS ERAT,
QUANQUAM SÆPE SUO NUTU TREMEFECERIT ORBEM,
FECERIT ET REGEM VINCULA FERRE TUUM,
PRÆBUERITQUE ILLI SUPPLEX GERMANIA PALMAS,
ET LYBIA INVICTO BRACHIA VICTA DEDIT.
ÆQUASSE HERCULEOS UT CREDI VELLET HONORES,
AUT HUMERIS COELUM SUSTINUISSE SUIS:
SED QUONIAM HERCULEAS ULTRA SUA REGNA COLUMNAS
PROTULIT, ET SOLIS, ZODIACIQUE VIAS,
ET NOVUS ANTIQUIS ACCREVIT FINIBUS ORBIS,
TESTATUM SIGNO IUSSIT ID ESSE SUO.

XXXIII. Succedunt CAROLI ſtatuæ duæ, quarum prior ex porticu Cæſareo-*Auſtriaca*, facta *Antverpiæ*, cum Sereniſſimus FERDINANDUS *Auſtriacus* ſolemni pompa in urbem introduceretur, deſumpta fuit. Hæc etſi anno primum 1641. auctore *Theod.* a THULDEN prodierit, CAROLUM tamen armatum, laureatum, atque dextra gladium, ſiniſtra globum Imperii tenentem, affabre exprimit. Non idem prorſus dicendum de ſtatua altera lapidea, in facie domus mercatoriæ *Friburgi Brisgoiæ* conſpicua, etſi coæva admodum ſit. De id generis ſtatuis uberius dictum eſt hic ſupra lib I. cap. XVII. §. XXIX.

Statuæ eius duæ: TAB. LI. N. 1. 2.

XXXIV. Inſigne quoque, non arte modo, ſed & pretio, eſt ſchema ſequens, in gazophylacio Aulæ *Vindobonenſis* ciſta I. aſſervatum, atque ad magnitudinem archetypi ſumma diligentia hic exactum. *Sardonyx* eſt, lapidi *Lazuli* impoſitus, reliqua: margo ſcilicet, corona, aquila & telamones, ex auro fuſo, & cælato conſtant. Exhibentur illo tres protome iugatæ, CAROLI nimirum, qui in medio, ISABELLÆ uxoris, quæ a dextris, & PHILIPPI filii, qui a ſiniſtris conſpicitur. Habitus & ornamenta ſingulorum maximam partem ex vetuſtate *Romano-Græca* petita ſunt. Inferne aquila Imperii biceps, dextra falcula globum, ſiniſtra fulmen tenens, manubiis inſidet, quas inter vexillum, luna bicorni faſtigiatum, & pharetra, ut ſpolia ex hoſtibus capta, facile dignoſcuntur.

Aliud egregium monumentum, N. 3.

XXXV. Poſtica huius operis plane egregii pars lamina aurea veſtitur, cuius & tetraſtichon & inſcriptionem, Aug. Cæſaris Imp. CAROLI VI. honoribus oblata, Eminentiſſimo auctore ſuo, ac *Germaniæ* Protectore, omnino digna eſſe, quilibet nobiscum iudicabit. Sunt autem huiusmodi:

Cum inſcriptionibus.

INDU-

Tab. LI.

INDUSTRI, QUÆ SCULPTA MANU GEMMA EXHIBET UNA
ET CAROLI ET NATI ET CONIVGIS EFFIGIES,
IURE TUA EST CÆSAR; SI TE MAIORIBUS ÆQUAT
CONSILIUM, PIETAS, ROBUR, ET IMPERIUM.

CAROLO VI. IMPERATORI SEMPER INVICTO,
ET CATHOLICO HISPANIARUM REGI

ALEXANDER ALBANUS
OBSEQUENTISSIMI ANIMI
MONUMENTUM
D. D.

Caroli protome duæ. N. 4. 5.

XXXVI. Agmen claudunt duæ CAROLI protome, quarum prior inter icones *Tyrolensium* Principum Comitum, a *Dominico* CUSTODE, chalcographo *Augustano*, post annum 1622. editarum, reperitur: altera ab eodem iam anno 1600. evulgata fuit. Simile schema expressit *Iacobus* ab HAYDEM, a *Paulo* FURSTENIO in *Aquila Austriaca* num. 7. exhibitum, adscriptis hisce versibus:

Prodivere alii Reges aliqua tenus: atqui
Huic prodire datum est PLUS *quam virtutibus* ULTRA.

Ceterum in Augusta Bibliotheca *Vindobonensi* imago quoque CAROLI, ad medium corpus ex ære fusa, armata, ac basi imposita, asservatur. Ea vero æri in hac tabula iam incisa, monumento, hic n. 3. exhibito, merito cessit.

Itemque Isabellæ uxoris. Tab. LII. N. 1. 2.

XXXVII. ISABELLÆ, seu ELISABETHÆ, Augustæ Imperatricis, tres admodum imagines hic producimus. Prima auctorem habet *Petrum* de IODE, ubi subiecta inscriptio cuique facile perspicua est. Alteram ex collectione Serenissimi Principis EUGENII de *Sabaudia* eduximus. Utrinque cum veste, variis fissuris, pro more seculi, distincta, nec non & lapidibus pretiosis, atque unionibus obsita, comparet. In altera quoque harum imaginum collare cæsitium, ac rugatum, observare licet, quod genus tegumenti sub hæc tempora in usum veniens, latitudine paullatim quasi in immensum crevit; ut cum nummi, tum & imagines, in decursu huius operis producendæ, docent.

Quibus additur statua: N. 3.

XXXVIII. Tertium ISABELLÆ simulacrum ex sæpe laudato opere *Francisci* TERTII exsumptum est, parum abhorrens a protome præcedenti, ita ut altera ex altera excerpta videatur. Addidit elogium: *Gravitate fuit summa, quæ benevolentiam conciliaret, & metum tamen quendam simul afferre videretur: ita nemo fuit, quin eam vereretur, & diligeret.* PHILIPPI *Hispaniarum Regis potentissimi mater: ut filium in matre, matrem in filio agnoscere possimus.*

Ac nuptiarum tempus definitur,

XXXIX De tempore harum nuptiarum non satis convenit inter Scriptores. Nam etsi plerique (HENNINGESIO, annum 1520. ac diem XXIV. *Febr.* & BOECLERO, annum 1525. diem 10. *Ia-*

nuarii

nuarii assignante, a) exceptis) annum 1526. recte statuant, de die tamen haud satis concordant, aliis 12. *Martii*, aliis vero 10. *Ianuarii* prodentibus. b) Utrosque combinare studens SCHOENLEBENIUS in ephemeridibus, priores de sponsalibus, reliquos de ipsa nuptiarum solemnitate intelligendos iudicat, cui ipsemet cum GEBWILERO diem XI. *Martii* assignat. KOELERUS contra c) pro sponsalibus undecimum *Ianuarii*, pro nuptiis autem ipsis diem X. *Martii* reponendum esse, ex veteri quodam, atque eodem tempore edito, & a se denuo vulgato brevi scripto, eruisse sibi visus est; cum tamen ibidem in fine expresse legatur: CAROLUM quidem dicto die *Hispali* advenisse, at benedictionem nuptialem primum post medium noctis, atque adeo XI. *Martii* accepisse.

TAB. LII. a b c

XL. Formam corporis eius singularem, ac miræ pulchritudinis fuisse, plerique prædicant, proditurque ex nummo, a nobis alibi producto: nec minus extollunt virtutes eius reliquas. MINIANA d) utrumque brevibus complexus est: „Dum hæc gerebantur (ait) „*Ferdinandus Aragonius* FONSECA *Toletanus* Antistes, & splendidus nobilium comitatus, prope TRAIANI pontem in ipso regni „colliminio obviam processere ISABELLÆ, EMANUELIS Regis filiæ, Cæsari pridem per legatos pactæ, vitio propinquitatis Pontificia venia remisso. *Egregiis corporis & animi dotibus ornatissimam virginem, veste magnifica & gemmis, ut decuit, curatissime „exultam,* qui eam prosequebantur fratres, *Aragonio* solemni ritu „tradiderunt, ille manu habenas, quo ipsa vectabatur, capiens, pro„fessus est, se recepisse Cæsaris sponsam, ad eum deducendam &c.„ Sed nemo de forma, & virtutibus Augustæ Imperatricis, luculentius testatur, ac subita S. FRANCISCI *Borgiæ* conversio. Is enim accepto a Cæsare negotio, pompam eius funebrem deducendi, cum aperto loculo, nihil formæ pristinæ, sed fœtidum potius cadaver intueretur, exclamasse e) fertur: „Hæccine Imperatrix ISABELLA „sit, Princeps, in qua velut unicum in locum, quidquid uspiam „pulchri erat, collectum videbatur, omnis gratiæ, ac leporis nor„ma, omnis venustatis exemplum, virtutumque omnium cumu„lus? Hæccine tot regnorum Domina, tot populorum Regina, ac „coniux Imperatoris? Ubinam sunt præclara illa vultus lineamen„ta, plenaque maiestate coporis species, tantam sibi concilians re„verentiam? Ubinam ille eximius oris habitus, quo media inter „reliquas fœminas, quasi Angelus, de cœlo delapsus, eminebat?„ Felix meditato! quæ ei tantum extemplo rerum humanarum omnium afflavit contemptum, tantumque contra Divinarum amorem, quantum postea eius declaravit sanctitas.

Cum oris, animique habitu. d e

XLI.

a) Apud PFEFFINGER. ad VITRIAR. lib. I. Tit. V. p. 722. Tit. V. cap. I.
b) Ibidem.
c) Delic. nummar. P. II. pag. 363. & 365.
d) *Rer. Hisp.* continuat. lib. II. p. m. 57.
e) Apud LETI dans la vie de PHILIPPE II. P. I. lib. VI. p. 232.

Icon Ioannæ, Tab. LII. N. 4.

XLI. Laudatus *Franciſcus* Tertius ſimulacrum quoque Ioannæ, Caroli V. filiæ, ac Ioannis, Regis *Luſitaniæ* uxoris, nobis conſervavit, eadem diu adhuc ſuperſtite æri inciſum, adiecto ſequenti elogio: Porciam, Catonis *filiam, ne quis amplius quærat*: Ioannam, Caroli V. *filiam, vere agnoſcas; ſi prudentiam, ſi invicti animi conſtantiam, ſi denique omnes animi dotes ſpectes, ut iure* Caroli V. *filiam, Luſitaniæ Regis uxorem dicas.* Eius breviarium vitæ unacum brevi elogio in Nummotheca dedimus.

Et Mariæ, Caroli V. filiarum. N. 5.

XLII. Mariam *Auſtriacam*, Caroli V. Imperatoris natam, ac Maximiliani II. Imp. coniugem, integro corporis habitu P. Marcette, prout hic exhibetur, expreſſit, anno 1652. Liefrinck excudit. Habitus eius nobis multum peregrinus videtur, aut ſaltem nummis eius, quos ſuo loco protulimus, haud ſatis reſpondens; quare Lectorem B. ad icones eius, a nobis in Maximiliano II. producendas, remittimus.

INSCRIPTIONES.

Carolus V. naſcitur *Gandavi*,

XLIII. Gandavi in exiguo conclavi, quod Carolum V. matris utero egredientem, excepit, tabula appenſa ſpectatur, hoc inſcripto epigrammate: a)

a

AUGUSTISSIMUS IMPERATOR CAROLUS V.
IN HOC PERANGUSTO LOCO NATUS
ANNO 1500. 24. FEBRUARII
IN FESTO S. MATHIÆ HORA IV. MATUTINA.

b Sunt, qui Carolum ſub tertia noctis hora natum volunt, b) ſed de hoc enucleatius in Taphographia noſtra.

Ubi ei ſtatua ponitur.

XLIV. Hinc ei ſtatua ibidem in foro poſita fuit c) cum hoc titulo:

c

D. CAROLO V. IMP. AUG. PIO. FELICI. TURC.
GERM. GALL. ITAL. HISPAN. SICIL. ET IND.
REGI, FLANDRIÆ COMITI, P. P. SAC. IMP. VINDICI, QUIETIS AUSPICI, D. N. PRINCIPI POTENTISS.
VICTORI, AC TRIUMPHATORI PERPETUO, MAGNO,
MAXIMO, UNIVERSI CHRISTIANI ORBIS BONO,
DEO VOLENTE, COELO FAVENTE, HUIC URBI SUÆ
FLANDR. MAX. FELICITER INNATO.

Turcicum, Germanicum, Gallicum, Italicum &c. Carolum hic ad imitationem veterum, titulos eiusmodi a devictis a ſe populis aſſumentium, vocari, fortaſſis non eſt, ut advertamus. *Maximi* vero titulo a S. Pontifice auctum fuiſſe, referunt eius biographi.

XLV.

a) Teſte *Iac.* a Mellen Syllog. nummar. pag. 33.

b) Masenius in vita lib. I. p. 5.

c) Teſte *Ludovic.* Guicciardini Deſcrip. *Belg.* p. 340.

XLV. Huc pertinet elegans carmen VIRENTII apud SANDERUM de *Aula Principis* p. 35. ad cunas eiusdem CAROLI Principis.

Ac cunæ

ILLUSTRES CUNÆ! GANDÆ DECUS URBIS, ET ORBIS,
IN QUIBUS ILLE OLIM, SARCINA DIA PUER,
CAROLUS HAS PRIMUM VAGITIBUS IMBUIT AURAS,
DUM RUBER A PARTU IAM IOVE DIGNUS ERAT.
IRREPSITQUE TENER, RISUQUE AGNOSCERE MATREM
COEPIT, ET ARGUTO REDDERE VERBA SONO:
MOX COELUM, ATQUE SOLUM, FAMÆ CRESCENTIS HONORE,
IMPLEVITQUE ANIMIS SOLIS UTRAMQUE DOMUM.
FELICES CUNÆ! QUO VOS EGO CARMINE, QUA VOS
VOCE PIA, AUT PLECTRO CONVENIENTE CANAM?
VOBIS IDA VETUS, VOBIS CHIRONIA TEMPE
CEDAT, ET ILLA SUO ROMA SUPERBA REMO.
ET IOVE CRETA POTENS, ET CLARA AB APOLLINE DELOS,
ET THEBÆ, ET DUCIBUS SPARTA ANIMOSA SUIS,
ET QUÆCUNQUE ALIOS IACTANT CUNABULA DIVOS,
AUT QUÆCUNQUE ALIOS SUNT HABITURA DEOS.
UNIUS AUGUSTI CONCEDANT OMNIA CUNIS,
ILLIS NIL MAGIS DICERE FAMA POTES.

XLVI. In idem conclave, & cunas, lusit quoque haud minus eleganter HEINSIUS apud SWEERTIUM. a)

Celebrantur.
a

TERRARUM DOMITOR, PLUS QUOVIS CÆSARE CÆSAR
CAROLUS, HAC PRIMUM SERPERE COEPIT HUMO.
SALVETE, O DOMUS, ET MAGNI INCUNABULA DIVI,
QUEM MUNDO GENITUM GANDA SUPERBA DEDIT.
PRIVATOS URBES ALIÆ MIRANTUR ALUMNOS;
QUIS CREDET, CIVES NON HABUISSE DEOS.

XLVII. Cum annum ætatis septimum ageret CAROLUS, variis modis honoratus est; unde & *Antverpienses* novam campanam, in turri *Mariana* locandam, ab eius nomine vocari, atque adeo sequenti tetrasticho insigniri curarunt: b)

Honor, septenni habitus.
b

CAROLUS E CELSO CASTELLÆ REGE PHILIPPO
ORTUS: AVUS EIUS MAXIMILIANUS ERAT.
HUIUS AUSPICIO NUMEROS ET NOMINA SENSI:
SACRA, FACES, PACEM, FUNERA, BELLA CANO.
ANNO M. D. VII.

XLVIII. *Augustæ Vindelicorum*, in templo PP. *Prædicatorum*, prope aram maiorem, ad cornu *Epistolæ*, in superiori parietis parte, sequens epigraphe, Imperatoriis insignibus, & XL. gentilitiis scutis aliis exornata legitur:

Eligitur in *Rom.* Imperatorem.

IMP. CAES. CAROLO AVG. V.
MAXIMO.

CAES.

a) Select. Christ. orbis delic. p. 711. alterius, ac a nobis citari solet, edit. p. m. 393.

b) Teste *Otton.* AICHER l. c. p. 117. seq.

CAES. FRIDERICI. III. PRONEP. CAES. MAXIMILIANI. AVG. ET. FERDINANDI. MAGNI. HISPAN. REGIS. NEP. PHILIPPI. ET. IOANNAE. HISPANIAR. REGVM. FILIO. OB. FELICEM. EIVS. ELECTIONEM. AB. VNIVERSO. POPVLO. CHRISTIANO. DESIDERATAM. DE. SE. ANNO. AETATIS. XX. VNANIMI. PRINCIPVM. ELECTORVM. CONSENSV. FACTAM. IIII. KL. IVLIAS. SALVTIS. ANNO. M. D. XIX. PRINCIPI. CLEMENTISS. FRATER. IOANN. FABER. THEOLOGVS. ORD. S. DOMINICI. DEVOTISS. POSVIT. ANNO. REPARATIONIS. HVMANÆ. M. CCCCC. XX.

Eſt hic idem *Ioan.* FABER, quo de ECHARDUS in Bibl. *Dominicanorum* a) agit: non autem Epiſcopus ille *Vindobonenſis*, ut vult STRUVIUS. b) Legitur inſcriptio in eodem templo, a FABRO ipſo poſita, unde virum ex eius initio noſcas: *Lector aveto: Frater Ioan.* FABER *: ſacræ Theologiæ, artiumque Doctor, Ordinis Prædicator. Congregat. Germaniæ Vicarius Generalis, Prior Auguſtenſis, ædem hanc ſacram* &c. c)

Inſignis de *Francis* victoria.

XLIX. Ad inſignem CAROLI Imp. victoriam, de FRANCISCO I. *Galliarum* Rege, anno 1525. die XXIV. *Februarii*, ad *Papiam* relatam, pertinet hæc inſcriptio, in agro *Ticinenſi*, per quem *Mediolano* in ipſum flumen *Ticinum* foſſam navigabilem Comes *Fontanus* duxit, poſita: d)

MARTIS ET CERERIS HI CAMPI SUNT,
NON MINUS TROPHÆIS, QUAM ARISTIS CLARI.
REX PROELIO VICTUS, ET CAPTUS,
EXERCITUS CÆSUS:
VICTORI CÆSARI
PETRUS ERNIQUES ACEVEDIUS COMES FONTANUS MONUMENTUM DICAVIT, ET
FOSSA NAVIGABILI MEDIOLANO IN TICINUM DUCTA,
ÆTERNÆ VICTORIÆ FAMAM,
UBIQUE TERRARUM SPARSAM,
PERENNI AQUARUM LAPSU, ET MURMURE,
IN MARE DEFERRI VOLUIT;
UT HOC ETIAM ELEMENTO VAGARETUR.

ERYCUS PUTEANUS.

Locum hic habere poſſent inſcriptiones e) arcuum triumphalium, in nup-

a) Tom. II. p. 80.
b) In notitia præv. ad MAXIMIL. I ornat. funeb. apud FREHER. *rer. Germ.* tom. II. pag. 718.
c) Apud SWERT. loc. cit. p. m. 393.
d) Apud. cit. *Ottonem* AICHER. p. 300.
e) Extant apud ſupra laud. KOELER. Delic. nummar. P. II. p. 366.

nuptiis CAROLI *Hiſpali* in *Hiſpania* erectarum. At cum præter vota, & encomia, nihil contineant, eas conſulto prætermittimus.

L. Cum CAROLUS, accepta corona *Cæſareo-Germanica*, e *Belgio*, *Hiſpaniam* reviſurus, in *Angliam* diverteret, a Rege HENRICO VIII. tanta cum honoris ſignificatione exceptus fuit, ut paucis paginis deſcribi poſſe, *Pontus* neget HEUTERUS; a) quare hoc duntaxat, eorum tum honoribus dicatum, nobis aſſervavit diſtichon:

Eccleſiæ defenſor ſalutatur.

a

CAROLUS, HEINRICUS VIVANT, DEFENSOR UTERQUE,
HEINRICUS FIDEI, CAROLUS ECCLESIÆ.

LI. In ſilva *zonia Brabantiæ* inſigne monaſterium *Canonicorum* Regularium S. AUGUSTINI, nomine *Vallis viridis*, vulgo *Grœnendale*, floret, ubi CAROLUS V. an. 1531. die XVII. *Iunii*, ardeam, nongentis, ac duodecim pedibus diſtantem, glande plumbea, e tormento manuali excuſſa, deiecit, quæ ſuum ſibi caſum, ex ore Poetæ his verbis gratulatur:

Idem ardeam feliciter deiicit.

LUSTRA TRAHI IAM SOL TER CENTUM, ET SENA VIDEBAT,
AD NATUM REFERAS SI NOVA LUSTRA DEUM,
QUI NARRANDA MIHI MAGNÆ MIRACULA DEXTRÆ
VIDIT, AB HIS LUSTRIS PROXIMUS ANNUS ERAT.
IUNONI SACRUM VOLVEBANT TEMPORA MENSEM,
ET FUIT A DECIMO SEPTIMUS ILLE DIES.
CAROLUS INVICTO QUINTUS COGNOMINE CÆSAR,
SE IUS IN VOLUCRES SENSIT HABERE SUAS.
SUBLIMIS MEDIO RESIDENS IN STIPITE, LATE
ARDEA SUBIECTAS SOLA TUEBAR AQUAS.
ECCE REPENTE FRAGOR. ME TOLLERE CONOR IN AURAS,
ET CADO FERALI LÆSA REPENTE GLOBO.
NON HOC SPERABAM; NAM ME GLOBUS UNDE PETEBAT,
NONGENTOS BIS SEX ABFUIT ILLE PEDES.
GAUDEO, QUOD TANTI TAM PULCHRO PRINCIPIS ICTU
IN VIRIDI LICEAT CONDERE VALLE CAPUT.

In huius facti memoriam ardea ærea ſuper columnam lapideam in medio vivarii cernitur. Statua vero Cæſaris, in margine vivarii erecta, bombardam tenebat, ſaliente ex eius ore fonte. b)

b

LII. *Neapoli* in horto *Petri* TOLETI, CAROLI V. Pro-Regis, hæc epigraphe columnæ inſculpta fuit. c)

Eius honeſtæ mentis relaxationi proſpicitur.

PETRUS TOLETUS HISPANUS, MARCHIO VILLÆ
FRANCHÆ, NEAPOLI PRO-REX, NOVAM CUM
HIPPODROMO PORTICUM NOVÆ ARCI PRIMIS REGENDI AUSPICIIS ADDENDAM CURAVIT, CAROLI
V. IMP. ET FUTUROR. REGUM PROREGUMQUE
COMMODITATI, URBIS DECORI, DOCUMENTO
DEMUM MAGNI ANIMI, ET IN NITIDIOREM

c

FOR-

a) Hiſt. *Belg.* lib. VIII. p. 383.

b) Ita SANDERUS loc. cit. de *Viridi valle* cap. V. p. 13. add. ſi lubet, *Cornelii* van GESTEL Hiſt. Archiep. *Mechlin.* tom. II. p. 78. le Grand theatre Sac. de *Brab.* Vol. I. lib. VI. p. 318. ubi ichnographia huius Prioratus, atque adeo vivarium cum ardea ære expreſſa, una exhibetur.

c) Apud SWERTIUM l. c. p. 113. ſeq.

FORMAM, SPLENDOREMQUE SUUM CUNCTA
REDITURA POLLICENTIS. ANNO M. D. XXXIII.

Ex *Africa* redux, *Panormi* lætus excipitur.

LIII. Cum Imperator, reſtituto in regnum MULEASSE, ex *Africa* in *Siciliam* remearet, *Panormi* communi omnium gratulatione, ac lætitia exceptus eſt. In cuius rei memoriam ſempiternam e *Cathedralis templi valvarum regione* hi verſus, teſte *Roccho* PIRRO inſcripti ſunt. a)

CAROLUS ARMIPOTENS QUINTUS CUM VICTOR ADESSET
A LYBIA, DAT IO CÆSAR! TER LÆTA PANORMUS;
STANT TURRES, AURATI ARCUS, PROCERESQUE VOCANTUR
AUGUSTUM AD SOLIUM, SPECTANT POST MUNERA LUDOS,
ILLE SACRO HOC TANTUM TEMPLO DE MORE VETUSTO
IURAVIT PATRIAS LEGES, ET IURA, SICANIS.
DIE XII. SEPT. VIII. IND. M. D. XXXV.

Fuit nimirum mox, ut advenerat, in templum *Metropolitanum* introductus, ubi, ut pergit laudatus auctor: *ſuam ſancte ſpopondit fidem, ut nihil imminutum eat urbis, & Siciliæ totius privilegia.* Quare, *ne alibi ſuæ fidei iuramentum præſtaret, dicere ſolebat: iuravit in urbe Cæſar.* Et, ut addit *Antonius* MONGITORE, tertius operis editor, abinde in orbita ſigilli Panormitani inſculptum legitur hexametron:

FELICI TANTUM CÆSAR IURAVIT IN VRBE.

Ac denique in area *Bononiorum* ſpectatur æneum Imperatoris ſignum, extenſa dextra, quaſi iusiurandum firmante.

LEUCOPETRÆ ſubſiſtit.

LIV. Ex *Sicilia Neapolim* profectus CAROLUS, *Leucopetræ* (Italice *Pietra Bianca*) dum ſibi ob captas *Tunetum*, & *Guletam* triumphalem pompam adornarent *Neapolitani*, ſubſtitit. Eſt is exiguus, & ignobilis pagus, *Neapoli* non adeo diſtans, ſæpiusque *Veſuvii* incendiis obnoxius. Multa tamen olim pulcherrima illum palatia ornabant, inter quæ unum extabat, a *Bernardino* MARTIRANO, regni Secretario, tempore CAROLI V. Imp. exſtructum, ubi cum per triduum moratus eſſet Imperator, ipſe MARTIRANUS in perpetuam tanti ſuſcepti hoſpitis memoriam, in lapide ſupra palatii portam ſequentem inſcriptionem, a Reverendiſſimo & illuſtriſſ. D. IOSEPHO Comite a THUN, S. C. M. ad S. Sedem tunc temporis Proministro ac *Sac. Rot. Rom.* Auditore, nobis miſſam, b) poſuit:

HOSPES
ETSI PROPERAS, NON *) SIS IMPIUS
PRÆTERIENS HOC AEDIFICIUM VENERATOR;
HIC ENIM CAROLUS V. ROM. IMP.
DEBELLATA AFRICA VENIENS, TRIDUUM
IN LIBERALI LEUCOPETRAE GREMIO
CONSUMPSIT. FLOREM SPARGITO, ET VALE.
M. D. XXXV.

LV.

a) *Sicil. ſacr.* tom. I. Chronol. reg. *Sicil.* p. 66. edit. tertiæ.

b) Edidit quoque *Ioannes* SUMMONTIUS in hiſt. civit. & regni *Neapol.* tom. I. p. 266. & tom. IV. p. 92. Nec non *Ioſeph* MORMILLO in deſcript. civit. *Neapol.* c. XV. pag. 75.

*) Apud SWERTIUM legitur NE.

LV. Leucopetra *Neapolim* veniens, magno ibidem plausu, ac publici gaudii significatione susceptus est. Inter cetera portæ, ex candido marmore extructæ, insignia Cæsaris imposita fuere, adstantibus hinc inde SS. Ianuarii & Agnelli, urbis protectorum, signis, addita inscriptione: a)

Unde *Neapolim* pergit.

a

HANC CAE. OPT. CAR. QVAM TVEMVR,
VRBEM, AVG. TVO NVMINI DEDITAM,
POST ADAVCTVM IMPERIVM, CLE-
MENTIA FOVEAS, AMPLITVDINE IVVES,
ET AEQVITATE MODERERIS.

LVI. Eadem occasione Cæsari arcus positus est triumphalis, cum hoc epigrammate: b)

Dicato illius honoribus arcu triumphali: b

IMPE. CAES. CAROLO. V. AVGVSTO.
TRIVMPH. FELICISS. OTTOMANICAE.
PRAEFECTO. CLASSIS. TERRA. MARIQVE.
PROFVGATO. AFRICAE. REGI. TRIBVTO.
INDICTO. RESTITVTIS. XX. CAPTIVORVM.
MILLIBVS. RECEPTIS. MARITIMIS. ORIS.
VNDIQ. PRAEDONIBVS. EXPVRGATIS.
ORDO. P. P. NEAPOL.

LVII. Superius in medio primæ faciei victoriæ Cæsaris repræsentabantur, cum elogio: c)

Ubi victoriæ *Pannonicæ* mentio: c

CAES. CAROLO. V. POTENTISSIMO. IM-
PERATORI RELIGIONE. AVG. IVSTITIA.
MAXIME. INDVLGENTIA. VICTORI. PIE-
TATE. P. P. OB. FVGATVM. IN. PANNO-
NIA. AD. HISTRVM. SOLIMANVM. TVR-
CARVM. IMPER. ET. CHRISTIANAM.
REMP. LIBERATAM. ORDO. P. P.
NEAPOL.

LVIII. Eodem tempore in *Castello novo* inscripta legebantur epigrammata:

Additis aliis encomiis.

AD CAROLUM IMPER. VICTA AFRICA.
REGEM ASIÆ EVROPA SI PELLIS VICTOR, ET ISTRO,
AFRICA SI TERRA, SI TIBI VICTA MARI EST.
INDIA, QUÆ NON TOTA PRIUS SI PRÆVIA CÆSAR:
IAM TIBI, CVR ISTAM SPERNIS, ET ILLA TVA EST.

Ad eundem.

QVAM CÆSAR VIX MILLE RATES, VIX MILLE COHORTES,
QVAM VIX TOT LVSTRIS, TOT DOMVERE DVCES:
A TE INTRA MENSEM LYBIA TERRAQUE, MARIQVE,
VICTA, ASIAE QVAMVIS SE TVERETVR OPE.

Ad eundem.

AXIS VTERQVE TVVS EST, OCCASVS, ET ORTVS
SIT TVVS, HOC CVPIVNT AEQVORA, TERRA CVPIT:

SOL

a) Summont. loc. cit. tom. IV. p. 96.
b) Idem ibid. p. 103.
c) Idem ibid. p. 105.

SOL CVPIT EXORIENS, NE POSTHAC LAETIVS ORBEM,
CVM MORITVR, QVAM CVM NASCITVR, IRRADIET a)

a

Inde per Sueſſam & Romam;

LIX. Hieme in laudata urbe *Neapolitana* transacta, atque ibidem filia MARGARITHA ALEXANDRO *Mediceo* ingenti cum ſolemnitate matrimonio iuncta, *Florentiam* petiturus, *Sueſſam*, veterrimam urbem, atque ipſam olim *Etruſcorum* metropolim, pertranſiit, unde ibidem inſcriptio b) apud S. MATHÆUM:

b

IMPERAT. CÆSAR. CAROL. V. AUGUST.
PHILIPPI FILIO, TUNETE EXPUGNATO,
HUC ITER FACIENTI,
SUESSANI.

Ibidem & alia legitur, ad annum tamen 1532. potius, quam 36. pertinens: c)

c

IMPERAT. CÆSARI CAROLO V. AUGUSTO
SOLYMANNO, TURCARUM REGE, PANNONIA PULSO,
SUESSANI.

Florentiam veniens, in ædibus *Mediceis* excipitur:

LX. Itaque *Florentiam* veniens, per portam *Romanam* intravit. Quare hæc illi inſcriptio, ab eodem illuſtriſſ. Comite de THUN nobis miſſa, inſculpta fuit:

CAROLUS. V. CÆSAR. AUGUSTUS.
CUM. INSIGNI. OMNIUM. CHRISTIANORUM.
BENEFICIO.
IMMANEM. ARCHIPIRATAM. REGNO. PEPULISSET.
FUGASSETQUE.
SICULO. NEAPOLITANOQUE.
SUIS. REGNIS. CONSTITUTIS.
ROMA. PROFECTUS. FLORENTIAM.
HAC. PORTA. CUM. MAGNA. POMPA. INGRESSUS.
POPULO. CUNCTO. PRÆ. LÆTITIA. GESTIENTE.
AB. ALEXANDRO. MEDICE. CIVITATIS. DUCE.
CUI. MARGARITHAM. FILIAM. DESPONDERAT.
ILLUSTRI. APPARATU. REGALIQUE. HOSPICIO.
MEDICEAS. IN. ÆDES. ACCEPTUS. EST.
ANNO. M. D. XXXVI. IDIBUS. MAIIS.
TITULUM. POSUIT. COSMUS. MEDICES.
MAGNUS. DUX. ETRURIÆ.
ANNO. M. D. LX. IX.

Ediderunt hunc lapidem ante nos SCHRADERUS, & SWEERTIUS, d) ſed uterque mendoſe, nec integrum referunt.

d

Ac primum Alexandrinæ arcis lapidem ponit.

LXI. Ambo quoque & aliam inſcriptionem afferunt, e) in porta arcis novæ, alio etiam nomine *Alexandrinæ*, legendam.

QUOD FAUSTUM, FELIXQUE SIT: CAROLUS V. ROM. IMP.
EX AFRICA REDIENS, CUM ALEXANDRUM MEDICES

e

FLO-

a) SUMMONT. l. c. p. 117.
b) Apud SCHRADER. l. c. p. 279. averſa.
c) Vid. IOV. l. c. lib. XXX. & MASEN. l. c. p. 196.
d) Locis cit. ille p. 48. averſ. hic vero. p. m. 233.
e) Ibid. ille p. 79. hic p. m. 235. nec non & ap. laud. AICHER areol. XVI. p. 262.

FLORENTINORUM DUCEM, GENERUM SUUM, EXTRUCTA IAM RELIQUA ARCE, TURRIS HUIUS FUNDAMENTA LOCANTEM REPERISSET, PRIMUM VICTRICI MANU LAPIDEM PONERE NON DEDIGNATUS EST. ANNO. M. D. XXXIV.

SCHRADERUS annum MDXXX. ponit, ſed haud dubie iterum mendoſe.

LXII. Præcedentem inſcriptionem illuſtrant duæ ſequentes, pariter ab illuſtriſſ. Comite de THUN miſſæ:

Quæ res illuſtratur.

ANGELUS. MARTIUS. EPISC. ASSISINATENSIS. HUNC.
PRIMUM. LAPIDEM. PER. EUM. BENEDICTUM.
IN. ARCIS. FLORENT. MEDICE. ALEXANDR. FUNDAMENTIS.
PONIT. ANNO. A. SALUTE. CHRISTIANA. MDXXXIV.
IULII. DIE. XV. HORA. XIII$\frac{1}{11}$.
CLEMENTE. VII. PONT. MAXIMO.
CAROLO. V. IMPERATORE. AUGUSTO.

Altera, ibidem poſita, ſic habet:

ALEXANDER. MEDICES. PRIMUS. DUX. FLORENTINAM.
ARCEM. A. FUNDAMENTIS. ERIGENS. PRIMUM. APONIT.
LAPIDEM. QUEM. ANGELUS. MARTIUS. EPISC. ASSISINATENSIS. INVOCATO. DIVINO. NUMINE BENDIXIT.
DEDICAVITQUE. ANNO. A. SALUTE. CHRISTIANA.
M. D. XXXIV. CLEMENTE. VII. PONT. MAXIMO. ET.
CAROLO. QUINTO. IMPERATORE. AUGUSTO.
DIE. XV. MENSIS. IULII. HORA. XIII$\frac{1}{11}$.

LXIII. Sub hæc forte tempora referenda inſcriptio ſequens in villa Magni Ducis *Etruriæ*, vulgo *Poggio Imperiale* dicta, nobisque a ſupra laudato illuſt. Comite de THUN miſſa, legitur.

Cæſar erga gentem *Mediceam* beneficus.

VILLA. IMPERIALIS. AB. AUSTRIACIS.
AUGUSTIS. NOMEN. CONSECUTA.
ETRURIÆ. MAGNÆ. DUCES. ETC.
VESTRO. OCIO. DELICIISQUE.
ÆTERNUM INSERVIAT.

LXIV. CAROLO eodem itinere *Ticinum*, vulgo *Papiam* petente, tres arcus a civibus erecti ſunt, additis inſcriptionibus, *Græca* & *Latina* lingua expreſſis, quibus urbi ſuæ; utpote ab anno 1525. ad annum 1528. quartum obſeſſæ, ac tertium expugnatæ, reſtaurationem haud obſcure flagitant. Fidem ea de re ſæpe laudatus SCHRADERUS a) facit, adducta epigraphe hunc in modum:

Inde *Ticinum* venit.

a

M. D. XXXVII. IX. CALEND. VII BRIS.
IN INGRESSU CAROLI V.
In I. arcu.
Τὰς ἡμῶν οἰκίας ἐτρέψομεν πρὸς ἀετόν. b)

b

In II. arcu.

a) Loc. cit. pag. 359. adverſa.

b) Id eſt: *Domos noſtras convertimus ad aquilam.*

Schema, ut videtur, feu genius urbis *Papiæ* fedens, cum lemmate:

IN MOERORE LÆTITIA.
SOLATUR CAUSA MOERENTEM.

Huic ex utraque parte tres tabulæ iunctæ. A dextro latere:

I.

DEFECERE ALII, SOLUM TU PASSA PAPIA,
II SUBLIMANTUR, MOESTA SED IPSA IACES.

II.

EXEMPLUM STABIT POPULIS SUBVERSA PAPIA,
PARS SIT PRO POPULIS, TANTA TULISSE SUIS.

III.

INTEGRA NOSTRA FIDES FULGET, SI RUPTA CORONA,
HAC CAPTI REGES, REDDITA SCEPTRA TIBI.

A finiftro:

I.

DIRUTA CÆSAREO PRO NOMINE CELSA PAPIA,
INSTAURATA TUO MUNERE CÆSAR EAT.

II.

EREPTA INSUBRÆ CÆSAR TIBI SCEPTRA REDEMIT,
QUAM DESOLATAM NE PATIARE PRECOR.

III.

CÆSAR SI GRATUS, SI IUSTUS RECTOR OLYMPI,
INTEGRA CERNETUR RUPTA CORONA MEA.

In III. arcu.

a b — Σεπτὴ δικαιῶς βασιλεία πολεμίοις δόναι a) μὴν ὑπακόοις φιλανθρωπίαν δεικνύειν. b)

In porta templi.

c — Θεὸς ὀυδενὸς, κάρολος μονῦ δέιται Θεῦ. c)

Neapoli caftellum exftrui curat. LXV. Propter *Neapolim* arx eft, S. ELMO, feu ad S. MARTINUM, dicta, cuius originem ex fequenti infcriptione, fupra portam lapidi incifa, difcimus: d)

d — IMPERATORIS CAROLI V. AUG. IUSSU, AC PETRI
TOLETI VILLÆ FRANCHÆ MARCHIONIS IUSTISS. PROREGIS
AUSPICIIS, PYRRHUS, ALOYSIUS SERINA VALENTINUS,
D. IOANNIS EQUES, CÆSAREUSQUE MILITUM PRÆF. PRO SUO.
BELLICIS IN REB. EXPERIMENTO. F. CURAVIT.
M. D. XXXVIII.

Illius *Bruxellis* in templo fummo, LXVI. BRUXELLIS in facello Ecclefiæ *Bafilicæ* S. MICHAELIS & S. GUDULÆ, SS. Sacramento dicata, de qua fupra e) egimus, effigies CAROLI noftri cernitur, cum titulo:

e — CAROLUS QUINTUS ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS, HISPANIARUM ET
INDIARUM REX, ASIÆ ET AFRICÆ DOMINATOR,
BELGII PRINCEPS CLEMENTISSIMUS, ET ISABELLA
f — EIUS UXOR P. C. f)

Addun-

a) Pro διδόναι per aphærefin, nifi fphalma typographicum.
b) Id eft: *Auguftum merito imperium eft, quod clementiam inftillare hoftibus, fubiectis autem exhibere*, folet.
c) *Deus nemine*, CAROLUS *folo eget Deo.*
d) Ex eodem MORMILLO l. c. p. 47. Et apud SCHRADER l. c. p. 741.
e) Hoc. lib. cap. I. §. XIX. p. 178.
f) Le grand Theatre Sac. de *Brab.* tom. I. liv. V. p. 194. coll. 2.

Adduntur scuta *Castellæ*, *Austriæ*, *Burgundiæ*, & *Flandriæ*.

LXVII. Similis CAROLI, eiusque coniugis effigies *Antverpiæ* in Cathedrali Ecclesia supra maximam ianuam in fenestra maiori picta cernitur a) hoc subiecto titulo:

Et *Antverpiæ* in templo Cathedrali, memoria.

a b

IN DIVI CAROLI V. IMPERATORIS
CÆSARIS AUGUSTI, CHRISTIANISSIMI ORBIS
MONARCHÆ, ARCHIDUCI b) AUSTRIÆ
AC DIVÆ ISABELLÆ, AUGUSTÆ IMPERATRICIS,
INCOMPARABILIS, AD EIUS CONIUGEM, GRATIAM.

LXVIII. *Neapoli* supra portam tribunalis in castello, dicto de *Capuana*, ad insignia CAROLI V. marmori inscriptum legitur: c)

Tribunal *Neapoli* constitui curat.

c

CAROLO V. CÆS. AUG. INVICT. IMPERANTE
PETRUS TOLETUS MARCHIO VILLÆ FRANCHÆ
HUIUS REGNI PRO-REX, IURIS VINDEX SANCTISS.
POST FUGATOS TURCAS ARCEM IN CURIAM REDACTAM IUSTITIÆ DEDICAVIT,
CONSILIAQUE OMNIA HOC IN LOCO MAGNO TOTIUS REGNI COMMODO CONSTITUIT,
AN. A PARTU VIRGINIS M. D. XXXX.

LXIX. PUTEOLIS supra portam horti *Petri* de TOLETO, Vice-Regis, hæc inscriptio legitur: d)

Victoriæ *Africanæ* memoria.

d

PETRUS DE TOLETO MARCHIO VILLÆ FRANCHÆ CAROLI V.
IMP. IN REGNO NEAP. VICARIUS, UT PUTEOLANOS
OB RECENTEM AGRI CONFLAGRATIONEM PALANTEIS
AD PRISTINAS SEDES REVOCARET, HORTOS, PORTUS,
ET FONTEIS MARMOREOS EX SPOLIIS, QUÆ GARSIA
FILIUS, PARTA VICTORIA AFRICANA, REPORTAVERAT, OCIO, GENIOQUE DICAVIT, AC ANTIQUORUM
RESTAURATO, PURGATOQUE DUCTU, AQUAS SITIENTIBUS CIVIBUS SUA IMPENSA RESTITUIT
ANNO A PARTU VIRGINIS MDXL.

Nimirum in illa *Africana* expeditione direptæ fuerunt *Guleta*, & præcipue *Tunetum*: fueruntque non pauci, ut scribit HEUTERUS, e) *qui sibi suisque hic opes quæsiere, aliis quinquaginta, aliis centum millia aureorum corradentibus.* Minus tamen in hac re liberalis est MINIANA, f) tanquam ingentem summam reputans, quam præcipuus Ducum reportavit, *opima*, aiens, *præda potitus est* VASTIUS, XXX. *M. auri ex arcis cisterna servi indicio extractis, quibus a Cæsare benigne donatus, pulchre processit.* Multa millia multis obtigisse refert, qui expeditionis diarium scripsit *Ioannes* ETROPIUS. g) Cum HEUTERO tamen MASENIUS quoque facit, h) dicens: *Uni* VASTIO *triginta facile aureorum nummum millia, ex arcis*

e f g h

a) Ibid. tom. II. lib. I. p. 34. col. I.
b) *Archiducis.*
c) Apud SUMMONT. l. c. tom. I. p. 166. & apud MEGISERUM Delic. *Neapol.* β. 4. adversa pagina, cuius tamen lectio a SUMMONT. non nihil discedit. Add. SWEERT. l. c. p. 173.
d) Ap. auctores citatos, ac præcipue *Petr.* MORMILLUM l. c. p. 96.
e) Loc. cit. lib. XI. p. 389.
f) Loc. cit. lib. III. p. m. 95.
g) Ap. SCHARDIUM tom. II. p. 1366.
h) Hist. CAROLI & FERD. lib. V. §. XLII. pag. 218.

cis ciſterna extracta, obvenere, aliis quinquaginta, aliis etiam centum fere millia eiusdem æris in prædam ceſſere.

Daventrienſibus aquilam pro inſignibus tribuit. a

LXX. DAVENTRIÆ in porta (vulgo *die Brinckporte*) ſub inſignibus aquilæ hæc legenda occurrunt: a)

DAT NOBIS AQUILAM, ROMANA INSIGNIA, CÆSAR,
IURAQUE NOSTRA SUB HIS INVIOLATA MANENT.

A dextra ſub imagine Fortunæ.

ME DUCE CATTORUM GENS, SEDITIONE COORTA,
HÆC PATRIAM FUGIENS, ARVA INARATA SUBIT.
ATQUE MEO DEVENTURIUM DE NOMINE DICTUM
PLUS MILLE ANTE ANNOS MOENIA PARVA LOCAT.

A ſiniſtra ſub Bellonæ imagine.

ADDIDI EGO HOC URBI VALLUM FURIALIS ENYO,
QUOD SECURA SUIS HOSTIBUS OBIICERET.
TU BELLI ESSE MEMOR DEBES IN TEMPORE PACIS,
NE QUA TUUM FERIAT VIS INOPINA CAPUT.

Supra ſub imagine CAROLI V.

DIVO CAROLO CÆS. V. IMPERAT. MAX. S. A. P. L.
VINDICI P. P. S. P. Q. DAVENTURIENSIS MONUMENTUM HOC DEFENSIONIS ERGO POSUIT. ANNO
M. D. XLIV. POSTERI DILIGENTER CONSERVANTO.

Ubi ſiglas illas non ubique obvias ſic interpretandas cenſemus: *Maximo, Semper Auguſto, perpetuæ Libertatis Vindici, Patri Patriæ* &c.

Antverpiæ advenit. b

LXXI. ANTVERPIÆ porta eſt, Cæſarea dicta, cuius nominis originem inſcriptio eius prodit b) in hanc ſententiam:

CAROLUS V. CÆSAR
HANC PORTAM PRIMUS MORTALIUM
INTROGRESSUS, CÆSAREAM NUNCUPAVIT
DIE XXV. NOVEMBR. ANNO MCCCCCXLV.

Arcem *Neapoli* perfici curat. c

LXXII. In ſupra dicta arce ad S. MARTINUM *Neapoli* templum eſt, e cuius regione hanc inſcripturam inciſam ferunt: c)

D. O. M.
IMP. CAROLI V. INVICTISS. CÆSAR. AUGUST.
IUSSU PETRUS TOLEDO VILLÆ FRANCHÆ MARCHIO REGNI NEAPOL. PROREX IUSTISS.
CUIUS AUSPICIIS PLACIDA PACE QUIESCITUR,
PYRRHI ALOYSII SERINÆ CURA ARCEM
HANC, A FUNDAMENTIS INCHOATAM,
IOANNIS IACOBI ACHAII SOLERTIA ET
ARBITRIO PERFICIUND. MANDAVIT
M. D. XLVI. ANNO.

LXXIII.

a) Loc. cit. p. 226.

b) Apud SWEERTIUM l. c. p. 450. ubi tamen loco cccc. reſtituendum eſt: ccccc. quemadmodum & apud cit. P. AICHER. l. c. p. 250. legitur.

c) Ex *Hieron.* MEGISERI deliciis *Neapol.* p. β. 5. adv. Adducit illam quoque SCHRADERUS l. c. p. 247. adv.

LXXIII. In area anteriori ad occidentalem ſupra laudati cœnobii *Vallis viridis* plagam, teſte SANDERO, a) quercus immenſa, annoſaque cernitur, ſub qua tempore æſtivo anni 1556. ſimul ſeptem regia ſteterunt capita: ſcilicet CAROLUS V. PHILIPPUS II. brevi futurus Rex *Hiſpaniarum*, Regina ELEONORA, FRANCISCI I. Regis *Francorum*, & Regina MARIA, LUDOVICI, *Hungariæ* & *Bohemiæ* Regis, olim uxores, ſororesque CAROLI, MAXIMILIANUS, Archidux *Auſtriæ*, FERDINANDI *Rom.* Regis filius natu maximus, cum uxore MARIA, Cæſaris filia, ac denique MULEASSES, *Tuneti* Rex, unde hi verſus:

Sub quercu cum aliis ſex regiis perſonis frigidiori aura fruitur.

a

QUOD SIM SACRA IOVI, DICOR BENE REGIA QUERCUS,
IMPERIUM IN SUPEROS SCILICET UNUS HABET:
DUMQUE SUAM DIXIT, RELIQUIS CAPUT ALTIOR UNA
ARBORIBUS TANTO NOMINE DIGNA TULI:
AT SEPTEM PATULA REGES COMPLEXA SUB UMBRA,
IMPERIO MAIOR IAM IOVIS ESSE QUEO.
GAUDEBANT ILLI, NOSTRIS SE SUBDERE RAMIS,
SUCCUBUIT FOLIIS PRONA CORONA MEIS:
NIL MIHI IAM TECUM EST, REX IUPITER, ARDUA SEPTEM
QUÆ REGUM POSSUM SUBDERE COLLA MIHI.

LXXIV. CAROLO non ſolum vivo, ſed & fatis iam functo, ſtatuæ & inſcriptiones, ad memoriam eius æternitati conſecrandam, poſitæ fuerunt. Earum non nullas affert BOCHIUS, b) quibus tamen, ex cauſſis, alibi indicatis, ſuperſedemus. Omittenda vero haud eſt inſcriptio, poſita *Gandavi*, in foro *Veneris* ad ſtatuam CAROLI inauratam altitudine XLII. pedum, cum baſi & ſcapo marmoreis, referente ſæpe laudato SWEERTIO. c)

Eidem ſtatua mortuo poſita.

b

c

D. CAROLO V. IMP. CÆS. AUG. PIO, FELICI, TURC. AFR. GERM.
GAL. GELD. HISP. SICIL. ATQUE IND. REGI, FLAND. COMITI P. P.
S. IMP. VINDICI, QUIETIS AUSPICI.
PRINCIPI POTENTISS. VICTORI ET TRIUMPHATORI PERP. MAGNO
MAX. UNIVERSI CHRIST. ORBIS DONO, DEO VOLENTE, COELO FAVENTE,
HUIC URBI SUÆ FLAND. MAX. FELICITER NATO.
ALBERTO AUSTRIACO MAXÆMIL. II. IMP. F. ET ISABELLÆ
CLARÆ EUGENIÆ, PHILIPPI II. HISP. REGIS F. AUSTRIÆ ARCHIDD.
BELGI PRINCIPP. HANC URBEM LÆTISS. OMNIUM CIVIUM APPLAUSU INGREDIENTIBUS
ANNO SALUTIS CHRIST. CIↃ. IↃC. IACOBO DE LANGLEE EQ.
HEGNÆ BARONE, PECQUI D. PRÆTORE, IOANNE BETHS, ET ANT.
TRIEST. MEERLEBECANO COSS. S. P. Q. G. P.
POSTERI CONSERVANTO.

De titulis hisce plerisque dictum eſt ſupra.

LXXV. Incerti temporis videntur inſcriptiones duæ ſequentes. Earum alteram poſuerunt cives *Norimbergenſes*, teſte laudato P. AICHERO d) in arcu triumphali, CAROLI honoribus dicato. Id quod

CAROLUS a *Norimbergenſibus* arcu,

d

a) Loc. cit. cap. V. p. 13.
b) In narrat. hiſtor. profectionis ALBERTI & ISABELLÆ p. 69.
c) Loc. cit. p. 718. edit. alterius, & apud BOCHIUM l. c. p. 327.
d) Pag. 226.

quod anno 1545. factum ſuſpicamur; cum CAROLUS bellum *Saxonicum* confecturus, *Ægram* petens, ſpatio dierum quinque in eorum urbe quieti dedit. Eſt autem huiusmodi:

Verſus forum.

IMPERATORI CÆSARI AUGUSTO CAROLO V. HISPANIARUM REGI ETC. ARCHIDUCI AUSTRIÆ CLEMENTISSIMO AC FELICISSIMO PRINCIPI S. P. Q. N. HONORIS ET REVERENTIÆ ERGO P.

Verſus arcem.

VICTRICES AQUILAS, VICTRICIA SIGNA POTENTIS
IMPERII, TIBI QUOD CAROLE MAGNE SUBEST:
NORICA VENTURO RESPUBLICA CÆSARE GAUDENS,
OFFICIUM POSUIT, TESTIFICATA SUUM.

Supra imaginem IUSTITIÆ.

PARCERE SUBIECTIS, ET DEBELLARE SUPERBOS
CONVENIT INGENIO CÆSAR INESSE TUO.
SENTIAT OPTATAM PER TE TUA TURBA QUIETEM,
SUBQUE IUGUM PER TE BARBARUS HOSTIS EAT.

PRUDENTIÆ.

QUOD TIBI TAM CONSTANS FAVEAT VICTORIA CÆSAR,
NON MODO FORTUNÆ MUNERIS ESSE PUTA:
SACRA SED AUGUSTUM MODERANS PRUDENTIA PECTUS,
HUNC TITULUM LAUDIS MALUIT ESSE SUUM.

FORTITUDINIS.

SIC PER TE TACITAM CAPIAT GERMANIA PACEM,
UT TIBI HUNC ANIMIS CARMINIBUSQUE FAVET:
SIC PER TE GETICUS NOSTRIS A FINIBUS HOSTIS
PELLATUR, VIRES SENSIT UT ANTE TUAS.

TEMPERANTIÆ.

INTER OPES TANTAS, INTER TOT REGIA SCEPTRA,
QUÆ TU DIVINO MUNERE CÆSAR HABES.
TEMPERAT EXCELSAM MITIS MODERATIO MENTEM
PRINCIPE QUID TANTO DIGNIUS ESSE QUEAT?

Et ab *Inſulanis* imagine & inſcriptione honoratur. a

LXXVI. Altera, licet nota chronologica deſtituta, facile tamen ad annum 1549. refertur, quo PHILIPPUS, CAROLI filius, iter in *Belgium* faciens, atque *Inſulas Flandriæ* tranſiens, magna cum lætitiæ ſignificatione exceptus fuit; inter cetera hoc carmine, ſub imagine CAROLI poſito: a)

QUIS TE VICTOREM DICAT, QUI VINCERIS IPSE.
INVICTUS VICTO CÆSAR AB HOSTE TUO?
SI VENIAM VICTUS PETIT HOSTIS, PROTINUS ILLI
PARCIS, ET ERRATI TE MEMINISSE PIGET.
NON TE HOSTIS, CÆSAR, SED TE CLEMENTIA VINCIT,
ET RATIO, CUM SIS VICTOR ET IPSE TUI.
VINCERE LAUS INGENS HOSTES, ET PARCERE VICTIS,
GLORIA SED SE SE VINCERE MAIOR ERIT.

CAP.

a) Apud eundem AICHER. p. 228.

CAPUT III.

CAROLI V. PROLES RELIQUÆ, MARGARITHA, ET IOANNES AB AUSTRIA.

§. I.

CAROLI V. liberis, ex legitimo thoro ſuſceptis, nothos quoque ſubdimus, MARGARITHAM, & IOANNEM ab *Auſtria*, quorum vitæ breviaria in Nummotheca dedimus. Primam prioris protomem, a *Petro* de IODE editam, ſubiectus imagini titulus prodit. Altera ex tomo I. p. 140. iconum, ad annales *Ferdinandeos*, ab illuſtr. Comite de KHEVENHILLER editos, ſpectantium, deſumpta, MARGARITHAM ætate nonnihil provectiorem repræſentat.

MARGARITHÆ protome duæ, TAB. LIII. N. 1. 2.

II. Utramque hanc imaginem perpulchre illuſtrant verba *Famiani* STRADÆ, a) de MARGARITHA hunc in modum diſſerentis: „Et vero aderat ei non modo animus, muliebrem conditionem ſupergreſſus: ſed etiam habitus quidam corporis, inceſſusque, quo „non tam fœmina ſortita viri ſpiritus, quam vir ementitus veſte „fœminam videretur. Quippe vires illi tantæ, ut venari vel cervos, mutatis ad curſum equis, conſueſſet; cuiusmodi venationi „homines perquam robuſti ſuccumbunt. Nec deerat aliqua mento, ſuperiorique labello barbula: ex qua virilis ei non magis ſpecies, quam auctoritas conciliabatur. Immo, quod raro in mulieres, nec niſi in prævalidas cadit, podagra identidem laborabat. „Ceterum ingenium ei promptum, ac præſens, interque agendum „velificationis in omnem partem obliquandæ dexteritas; quippe „cuius adhuc primos ætatis annos occupaverat *Belgica* Reginarum „educatio &c.„ Hæc vero quantum cum noſtris imaginibus reſpondeant? B. Lectoris iudicium eſto.

Quæ illuſtrantur. a

III. IOANNIS ab *Auſtria* imaginem idem *Petrus* de IODE quoque edidit, poſt mortem quidem eius, ſed tamen haud dubie genuine; quippe quod in *Belgio*, ubi partem vitæ ſuæ non ſpernendam traduxit noſter, prodierit. Obſervandus in ea capillamenti ille ſuggeſtus, ſeu coma, a fronte reducta: capitis nimirum ornamentum, hunc IOANNEM noſtrum habens auctorem. Quam in rem laudatus STRADA, b) ubi milites, fata eius præmatura lugentes, illumque cum GERMANICO Cæſare, ac CAROLO V. patre comparantes, inducit, inter cetera tradit: *Primum* CAROLUM, *quum ad Imperii coronam capeſſendam veniret in Italiam, minuendo capitis dolori cæſariem depoſuiſſe. . . Et primum quoque* IOANNEM *Auſtriacum; quod ad lævam temporum partem erectum natura capillum habe-*

IOANNIS ab *Auſtria* effigies cum novo capillamenti ornatu. N. 3. b

a) De bello *Belg.* lib. I. p. m. 29.

b) Loc. cit. lib. X. p. m. 251.

TAB. LIII. *haberet, omnem a fronte crinem revocare manu cœpiſſe: quodque placeret illud porrectæ frontis additamentum, inde uſum derivatum eſſe retroquendi, ſuſtinendique capillamenti, adeo, ut qui eo ſuggeſtu capitis utuntur, vulgo geſtare* Auſtriam, *alicubi dicantur.* Eundem morem noſtris temporibus a *Gallis* reſtitutum, & a reliquis gentibus imitatione expreſſum videmus.

Altera cum oris, corporisque ſpecie. N. 4.

IV. Non ita reductus eſt capillus in protome eius armata, ex marmore candido cum baſi exſculpta, & in aula *Archiducali*, loco, forulum paradiſi dicto, *Vindobonæ* viſenda. Myſtacem quoque cum modica barba deſideramus, in reliquis IOANNIS ſimulacris conſtanter ſpectandam. At icon hæc forte ad archetypon, IOANNEM iuvenem repræſentans, efficta fuit. Ceterum illius effigiem germanam memoratus STRADA a) nobis hunc in modum ſubminiſtrat: „IOANNES *Auſtriacus* (ait) educari cœptus eſt in aula cum CAROLO *Hiſpaniarum* Principe, atque *Alexandro* FARNESIO, quem ab *Italia* non multo ante a parentibus traditum avunculo Regi, ſuo loco memoravimus. Et erant ætate propemodum pares, annum quartum decimum nondum ſupergreſſi: non tamen par omnibus ingenium, aſpectusve, aut mores. . . Longe anteibat *Auſtriacus*, & corporis habitudine, & morum ſuavitate. Facies illi non modo pulchra, ſed etiam venuſta: ſubflavus capillus, prænitentes oculi, argutique, membra omnia in ſe apta, lepideque nexa. Et augebant mores formam, ſimul & ipſi a forma mutuo augebantur. Eminebat in adoleſcente comitas, induſtria, probitas, &, ut in novæ potentiæ hoſpite, verecundia.„ Hucusque FAMIANUS, cuius fortaſſis colores mutuatus eſt *Gregorius* LETI; ut qui eundem Principem modo fere eodem depingit; b) quare illum haud illubenter miſſum facimus.

Statua ex *Fr.* TERTIO, N. 5.

V. Succedit ſtatua Principis, ex *Franciſci* TERTII *Auſtriacæ* gentis imaginum parte tertia excerpta. Edidit illam auctor anno 1571. atque adeo ante obitum eius annis circiter ſeptem, appoſito ſequenti tetraſticho:

> ASPICE DEMISSUM COELO, QUI CLADIBUS ORBEM
> SOLVAT BARBARICIS, DESUETAQUE BELLA TROPHÆIS
> EXAGITET, LYBIÆ DIRO SUB VULNERE MAVORS
> VEXILLUM INGEMUIT CAPTUM, PROCERESQUE RUENTES.

Addidit & elogium, proſa oratione conceptum, quod, nihil ſingulare continens, conſulto præterimus.

Et *Iacobo* SCHRENCKIO. N. 6.

VI. Eiusdem IOANNIS ſtatua alia ex *Iacobi* SCHRENCKII Armamentario *Ambraſiano* excepta. Armatus ſiſtitur ad morem ſui temporis. Ad dextram gladiolus dependet, in modum *gladioli miſericordiæ*, quo de ſæpius. Femoralia hic breviora, nec ſic inflata ſunt, ut in ſtatua præcedenti, ipſo adhucdum ſuperſtite, ut diximus, effi-

a) Ibid. p. m. 347. ſeq.
b) Dans la vie de PHILIPPE II. tom. IV. liv. IV. p. m. 285. ad an. 1578.

efficta. Ea nimirum cum primum introduci cœperunt, multo magis distenta, ad genua usque pertingebant, tum paullatim diminuta, atque, ut hodie, contracta fuerunt. Porro pede cidarim *Turcicam*, arcum, acinacem calcat, quo signo ad victoriam eius post hominum memoriam maximam de *Turcis* ad *Eichnadas* insulas reportatam, respicitur. Qua de re, quantum quidem pro instituti nostri ratione satis erat, in Nummotheca diximus. Apud SCHRENCKIUM galea quoque cristata pro pedibus iacet, a chalcographo nostro hic omissa.

CAPUT IV.

PHILIPPUS II. REX HISPANIARUM, ET EIUS UXORES.

§. I.

Imago PHILIPPI cum oris, corporisque specie, ex MINIANA, TAB. LIV. N. 1.

CAROLUM V. eiusque familiam, recto ordine PHILIPPUS II. eius filius unicus, atque in Monarchia *Hispanica* successor, excipit. Eius effigies instar multarum esse potest, quam hic, auctore celeberrimo TITIANO, damus, insertam operi sumptuosissimo *Petri* SCRIVERII iconum *Hollandiæ* Comitum, ubi anno 1549. picta esse dicitur, Regemque annum ætatis secundum & tricesimum agentem sistit. Porro attonsis etiam tam hic, quam in sequentibus nostris imaginibus, comparet capillis, qua in re CAROLUM parentem, de quo supra diximus, imitatus est, & quacum etiam MINIANÆ descriptio incidit, sententiam suam in hæc verba a) promentis: *Statura corporis iusta fuit, vel certe mediocris. Læta frons, facies candida, subflava cæsaries, attonsaque, eorum temporum more, quem in canitiem venerandam ætas mutavit. Cæsii oculi, in queis apparebat maiestas, perinde atque in incessu; universi denique corporis habitus cum venustate decorus, & venerabilis.* Additur in calce imaginis titulus: PHILIPPUS II. CAR. V. FIL. HISPAN. IND. NEAP. SICIL. HIEROSOL. ETC. REX CATHOL. MED. BRAB. GELD. DUX, FLAND. HOLL. HAN. COMES. Nec non & disticha:

QUANTA FUIT DOMINÆ SUBIECTA HISPANIA ROMÆ,
SUBDITA FACTA TUO EST TEMPORE TANTA TIBI,
INDIA PRÆTEREA, SOLEM QUA RESPICIT ORTUM,
NOBILIS EST SCEPTRI PORTIO FACTA TUI.
PARS INGENS TRIPLICIS SUPERAT PRIUS ORBIS, ET INDUS
OCCIDUUS. POST TE ROMA, PHILIPPE, POTENS.

CARAMUELE, & METERANO.

II. Non abludit ab hac descriptione, quin aliquanto uberior est, b) Celeberr. *Ioan. Caramuel* a LOBKOWITZ, in *Belgium* olim Legatus: „Fuit PHILIPPUS Rex (sunt verba illius) statura corpo„ris mediocri, sed ad maiestatem composita; læta fronte, pulchris „ocu-

a) De reb. *Hisp.* contin. lib. X. p. m. 406.

b) In PHILIPPO *Prudente*, *Lusitaniæ* legitimo Rege demonstrato. *Antverp.* 1639. fol. lib. I. p. 83.

Tab. LIV. „ oculis, cæſiisque: craſſo, rubroque ore, ac iuſto naſo; barba ſpiſ-„ ſa, & flava, præſentia vere regia, & venerabili, adeo, ut coram „ illo ſæpe multos præ nimia reverentia turbari contigerit. Hanc „ vero tantam oris ſeveritatem, & gravitatem, tali manſuetudine, „ ac benignitate temperabat, ut non nulli affirmare auſi fuerint, „ eum non raro regia ſua præſtantia, ac benevolentia, quosdam alio-„ quin offenſos, ſibi reconciliaſſe. „ Hæc CARAMUEL, cui addere iuvat METERANUM; a) utpote utrique præcedentium non nulla addentem: „ Statura PHILIPPUS erat iuſta (ait) ac mediocri po-„ tius, quam parva, frons alta, facies pallida, capilli & barba fla-„ vi coloris, vitæ modum *Belgicum* magis, quam *Hiſpanicum* ſe-„ cutus, mores exhibuit mites, & placidos. Labia illi, ut plerisque „ ſuæ gentis, tumeſcebant. „

Altera cum collari. N. 2. III. Ætate non nihil provectior hic exhibetur PHILIPPUS, nec tamen a priori TITIANI ſchemate multum abſcedit. Interior veſtis nodulis quibusdam conſtringitur, exterior pellibus ſuffulta eſt. Collare rugoſum, cuius generis ornamentum, ſub patris eius, CAROLI V. tempora in uſum veniens, & ad exitum ſeculi ſequentis durans, nec hodie ubique abolitum eſt, geſtat. Petaſi forma mori potiſſimum *Hiſpanico* convenit. Edidit hanc imaginem *Dominicus* CUSTOS *Aug. Vindel.* anno 1600. addito titulo ut num. I.

Itemque tertia cum animi habitu. N. 3. IV. Protome PHILIPPI, ætatis itidem provectioris, ceterum quoad ornamenta cum præcedentibus utcunque correſpondens. Educta eſt ex pinacotheca illuſtr. Comitis de WEISSENWOLFF, quæ *Lincii* extat. Nativæ corporis formæ ſi & animi dotes, addere licet, omnino quidem in iis recenſendis prolixus eſt biographus eius *Gregorius* LETI, qui tamen eius elogium plane invidendum, compendio quoque hunc in modum complectitur: b) „ Fatendum eſt „ (inquit) hunc Principem ſingulares illas dotes, quibus in omni „ vita ſua excelluit, divinitus accepiſſe. *Flavio* VOPISCO auctore, „ nomina, & effigies bonorum Principum annulo quodam concludi „ poſſent: at PHILIPPUS II. virtutes adeo excelſas, atque varias ſi-„ bi comparavit, ut ad eas ſingullatim recenſendas integra volumi-„ na haud ſatis forent. „ It deinde auctor per ſingula, nec, quod candidi Scriptoris eſt, vitia excludit.

Statua eius cum femoralibus inflatis N. 4. V. Sequitur Rex integra ſtatura, in pedes erectus, ac lorica munitus, dextra ſceptrum tenens, ſiniſtra galeæ criſtatæ, ſupra baſin, ſcuto *Hiſpanico* inſignitam, iacenti, impoſita. Femoralibus, pro uſu eorum temporum, multum diſtentis, amicitur: gladium præterea bellatorium, & calcaria gerit, quaſi mox in expeditionem iturus: etſi bella ſua ut plurimum per Duces gerere conſueverit. In proſpectu mare cum navibus exhibetur. Titulus ab editore *van* SICHEN additur: PHILIPPUS II. HISPANIARUM, INDIARUM, NEAP. HIEROSOL. REX.

VI.

a) Hiſt. *Belg.* lib. XIX. p. m. 874. ad an. 1598. b) Loc. cit. P. II. lib. XX. p. m. 396.

VI. Non multum absimilis est statua PHILIPPI, ex pinacotheca *Francisci* TERTII mutuata. Armatus iterum est, atque inter cetera lorica hamata induitur, cum gladio bellatorio a latere. Non est praeterea dubium, quin ad nativum aliquod prototypon quam fidelissime exacta fuerit; utpote PHILIPPO nedum superstite elaborata, sed eius nomini abs chalcographo, ut ex subiecta imagini epistola, qua potentiam PHILIPPI ad coelos usque extollit, dudumque cognitas Augustae Domus *Austriacae* laudes enumerat, docemur, consecrata. Adiectum pro more tetrastichon sic habet:

Itemque duae aliae ex TERTIO & SCHRENCKIO. TAB. LIV. N. 5.

> SUSPICIT OCCASUS, TREMIT ORBIS, ET AUSTER INERME:
> QUID FACIENT; SIMUL ACRIS EQUI SPUMANTIA FLECTET
> ORA FEROX; SIMUL INSOMNI REGET AGMINA CURA,
> SANGUINE TERRIBILIS, ET PULVERE CLARUS EOO.

Insignis quoque statua PHILIPPI in *Iacobi* SCHRENCKII armamentario *Ambrasiano* reperitur, quae cum diligentiam nostram fefellerit, in supplementum reiicienda fuit, ubi num. 2 spectatur.

VII. Inter quatuor PHILIPPI uxores primo loco recensenda venit MARIA, IOANNIS III. *Lusitaniae* Regis filia. Excerptum est schema ex tomo III. iconum *Austriacarum*, immortalis memoriae Principis EUGENII de *Sabaudia* p. 45. tecto auctoris nomine. Genius tamen, & habitus corporis, imaginem ad vivum expressam ostendit. *Franciscus* TERTIUS in pinacotheca sua cum huius, tum & reliquarum PHILIPPI coniugum imagines, affabre pictas, inter ceteras exhibuit, quas vero, utpote coaevas, aliorum suasu omissas a nobis fuisse, modo poenitet: quanquam & nostrae hae imagines, non minus sincerae, ac nativae, illarum desiderium facile extinguant. Elogium *Franciscus* sequens adiecit: *Adspectu, ad benevolentiam conciliandam apto, gravi, acutoque sermone, in omni actione mire prudens, intra paucos annos confecto vitae cursu, ad aeternas sedes, id est, ad capiendum virtutis & innocentiae suae fructum, evolavit.*

PHILIPPI uxor I. cum corporis, animique habitu ex TERTIO. TAB. LV. N. 1.

VIII. Luculentior, quamvis recentior, est *Gregorius* LETI, MARIAM nobis *Gallice* sic adumbrans: a) „Bello, ait, hunc in modum (inter CAROLUM Imp. & FRANCISCUM I. Regem *Galliae*) „fervente, in *Hispania* PHILIPPO Principi, quanquam tum admodum adolescenti, matrimonium parabatur. Ipsae nuptiae *Salamancae* die XV. *Novembris* anni 1543. incredibili pompa, frequentique prima, ac praecipua cum *Castiliae*, tum *Portugalliae* Nobilitate, celebratae fuerunt. MARIA *Lusitana*, sponsa, & consobrina „Regis PHILIPPI, ac IOANNIS III. Regis ex CATHARINA filia, eodem cum suo sponso anno, & die, id quod plane singulare est, „quodque fortassis nullis unquam aliis in coniugiis obtigit, in hanc „lucem edita fuit. Princeps erat eximia corporis specie, atque excellenti virtute, ac probitate praedita: in familiari congressione „blanda, mores exhibebat commodos, atque benignos, cum comita-

Et LETIO. a

a) Ibid. P. I. lib. VII. p. 282.

TAB. LV.

„ mitate summa, voce suavi, gravitate nobili, ac maiestatis plena, „ cui nihil asperum, aut ingratum admixtum erat. Summus Pon„ tifex necessariam *dispensationem*, quam vocant, per nuncium ex„ traordinarium misit, dato iuxta negotio, ut & neo-sponsis, & Im„ peratori suo nomine omnia fausta precaretur, congratularetur„ que. „ Hucusque ille.

Nuptiæ quandonam celebratæ?

b a
c d

IX. Ubi tamen animadvertendum: *Pontum* HEUTERUM, quoad chronologiam contravenire; ut qui desponsationem quidem ad dictum annum 1543. a) nuptias vero ad annum sequentem reponit. b) Sed fides arbitranda LETIO; maxime cum præter BIRCKENIUM, c) suffragantem sibi habeat sæpe laudatum MINIANAM, d) cuius verba, cum insimul & corporis eius, animique habitum breviter describant, huc adposuisse, operæ pretium fuerit; *In Hispania* (ait ad an. 1543.) *res lætæ erant. Præcipiti autumno* PHILIPPUS MARIAM, IOANNIS, *Lusitaniæ Regis filiam, duxit. Puella erat venustissima, & virtutibus apprime ornata. Salamanticam, coniugio celebrando designatam urbem, conventum, deducentibus sponsam a finibus Ioanne* SILICÆO, *Cartaginiensi Episcopo, & Assidoniæ Duce, magna pompa. Nuptialia sacra peregit Toletanus Antistes: adhibiti auspices* ALBANUS *Dux, & eius coniux. Ingens fuit nobilium frequentia, & Hispaniæ universæ lætitia, & gratulatio.* Verum quidem est, HEUTERO favere nummum, a nobis alibi productum, e) sed illi parum auctoritatis inesse, inde concludas; quod plenus errorum sit, atque cumprimis etiam loco MARIÆ, primæ huic PHILIPPI coniugi, ISABELLÆ nomen tribuat. Id quod tam in breviario vitæ PHILIPPI, quam in ipso commentario prætereuntes silentio, hic loci studio advertere visum est.

MARIA *Anglica* uxor altera, N. 2.

X. Altera huius tabulæ imago MARIAM Reginam, HENRICI VIII. *Angliæ* Regis, filiam, ac PHILIPPI II. uxorem secundam ostendit, anno 1554. die XXV. *Iulii* ductam. Simplex est habitus, nisi quod caput, & pectus gemmæ, & margaritæ exornent, digitos, annuli. Educta est ex laudati Seren. Principis EUGENII collectione, prodiitque incerto auctore, sed affabre delineata, magnam similitudinem cum ea habet, quam *Franciscus* TERTIUS, incisore *Casparo* PADUANO, dedit, addito elogio in hæc verba: „ Miram pru„ dentiam, & serveritatem in omni vita persecuta, cumque magni „ motus in regno excitarentur, virili animo perduelles exstinxit: „ quanquam inter sacras virgines educata, animo his cogitationibus „ exculto, nullam gerendi belli partem novisset: sed nimirum defen„ denti Catholicam Religionem, Regiamque maiestatem, Deus ipse „ malorum ultor affuit, regnumque in summa obedientia conserva„ vit. „

XI.

a) Rer. *Belgic.* lib. XI. p. 546.
b) Ibid. p. 558.
c) Spec. honor. lib. VI. cap. X. p. 1222.
d) Contin. de reb. *Hisp.* lib. III. p. m. 137.
e) Nummoth. *Austr.* P. I. tab. XXXV. num. CIX.

XI. Prolixi ſunt in eius laudibus Scriptores reliqui, animi tamen, quam corporis dotes (utpote mediocres) ſtudioſius extollentes. Eſt præterea, cur fidem in hac parte Catholicis præ Proteſtantibus arbitremur; id quod ipſe quoque agnoſcens *Gregorius* LETI, elogium Reginæ, præter ſuum morem, CAMPANÆ Catholici verbis, quam ſuis, aut alterius ex Proteſtantibus, referre maluit: „MARIAM Regina CATHARINA (ſic loquitur CAMPANA) mater eius, „ad omnem regiis ſuis natalibus dignam educabat virtutem. Prima hæc eius inſtitutio egregie deinde exculta fuit a MARGARITHA, HENRICI VIII. patris ſui, conſobrina, cuius diſciplinæ annis pluribus concredita fuerat. Eximia accedente indole, ex hac „inſtitutione eum retulit fructum, quo ſe ab iis corruptelis, quæ „patris exemplo cum in aula, tum in regno impune graſſabantur, „tutam præſtitit, quemque tum maxime oſtendit, cum facta rerum „Domina, *Anglos* ab iis erroribus, quos præcedentis temporis licentia introduxerat, revocavit.„ Hæc ille, verius utique, quam BURNETUS & PARCKERUS apud RYMERUM, a) quorum illam prior virtutis moleſtæ, triſtisque cuiusdam pietatis accuſat; quod negotia regni Conſiliariis relinquens, arbitrio, & ſuggeſtionibus Cleri ſe totam permiſerit. Alter autem inſigni prorſus iniuria, ac ſine ulla fronte, immoderatam pluviam non minus, quam ſiccitatem, famem, morbos epidemicos, febres, incendia, quin & ipſam mulierum parturientium difficultatem, quæ ſingula, regnante MARIA, crebriora, ac maiora fuerint, quam ſub prioribus Principibus, reſtitutioni rei Catholicæ adſcribere non veretur. Quaſi vero priores Reges, & Principes Catholici haud fuiſſent, Regnumque *Anglicanum* modo a calamitate qualibet tutum eſſet? Similes prorſus calumnias Æthnici primis olim Chriſtianis imputabant, egregie exploſas a SS. Patribus, b) ut adeo illi non ſine exemplo egerint.

Eiusque animi dotes. TAB. LV. a b

XII. Tertiæ PHILIPPI uxoris ELISABETHÆ, HENRICI II. *Francorum* Regis, filiæ, imagines hic tres ſiſtuntur. Primam ex ſcriniis *Gagnerianis* profectam, a Clar. MONTEFALCONIO mutuavimus, quali forma ante nuptias erat. Veſtis, ut videtur, nigra eſt, cum floribus aliisque ductibus albis, acu pictis, nec inferne adeo ampla, & inflata, ut tum ferre ſolebant. Canem menſæ inſidentem blanditur, pro more fœminarum nobilium. Alterum ſchema ex thecis Sereniſſ. Principis EUGENII de *Sabaudia* T. III. p. 48. petitum, ELISABETHAM ad genua uſque exhibet, quo modo extat etiam in Muſæo *Buoliano*. Tertium ſchema laudatus MONTEFALCONIUS ex iisdem *Gagnerianis* ſcriniis eductum, loc. cit. protulit, *Hiſpanica* veſte manicata ornatam aſſerens.

Uxor PHILIPPI tertia, eiusque effigies. N. 3. 4. 5.

XIII. Singulis his imaginibus (excepta hac ultima) reſpondent nummi, a nobis ſuo loco producti. *Franciſcus* TERTIUS eam integro corpore exhibet, addito ſequenti elogio: „Læta facie, ſic, „ut

Atque dotes.

a) Act. *Anglic.* tom. X. P. II. p. m. 40. not. b) Vid. GRETSER Opp. T. XVII. p. 77. I. col. 2.

TAB. LV.

„ ut iucunditatem intuentibus afferret, dignitate tamen ea, quæ Re-„ ginam deceat, quamdiu vixit, fummam & benevolentiam, & ob-„ fervantiam apud omnes adepta, multis naturæ, fortunæ, animi-„ que bonis inftructa, vim tamen fortunæ vitare non potuit: patrem „ amifit, immatura morte ereptum, nec multo poft edito immatu-„ ri temporis infante, incredibili & PHILIPPI Regis, & omnium „ dolore deceffit. „

Icones uxoris quartæ. N. *6. 7.*

XIV. Quarta PHILIPPI uxor ANNA *Auftriaca*, MAXIMILIANI Imp. filia, obliqua facie hic comparet. Educta eft ex Sereniff. Principis EUGENII collectione tom. III. p. 49. ubi & pag. 51. alia habetur, huic noftræ haud abfimilis, utrinque tamen incerto auctore. Eodem habitu in nummis quoque vifitur; ut adeo nummis imagini refpondentibus, imagine nummis, viciffim fibi lucem dent, & accipiant. Altera protome, ANNAM adverfa fronte fiftens, ex thecis HERÆI exfumpta, apud illuftr. quoque Comitem de KHEVENHILLER a) reperitur. Colli tegmen rugatum latiffimum etfi huius ætatis morem haud refpuat, neque tamen illud, nec reliquus capitis ornatus tam frequens eft, ut non attendi mereatur: in nummis certe utrumque defideratur; quare priori, quam pofteriori fchemati, plus fidendum.

Cum elogio.

XV. *Francifcus* TERTIUS eandem integro quoque corpore exhibuit, adiecto elogio, unde videas, illam tum adhuc fuperftitem fuiffe: „ Ea pulchritudine (ait) eft, a qua tamen gravitas non ab-„ fit, ea prudentia, quæ utramque adæquet, benignitate & huma-„ nitate tanta, quantam in principe femina quisquam viderit, iis de-„ nique virtutibus ornata, quibus maiorum claritati egregie refpon-„ deat. „ Non affentationis ftudio hæc dicta fuiffe, vita eius reliqua docuit. Unde & illuftriff. KHEVENHILLERUS illam *Sanctam Reginam* appellare b) haud dubitavit: nec diffimulare voluit *Gregorius* LETI, c) illam Principem appellans, in qua in unum collectæ videantur omnes illæ egregiæ dotes, quibus Augufta Domus *Auftriaca*, unde originem traxit, præfulgeat: omnibusque virtutibus illis ornatiffimam, quæ & a Regina *Hifpaniæ*, & ab Imperatoris filia, e tam pia, & religiofa gente prognata, defiderari queant. Præterea & SCHARDIUS d) *illam genere, virtute, moribus ac forma vere regiam* appellat.

INSCRIPTIONES.

PHILIPPI memoria *Bruxellis.*

XVI. In fupra memorato facello Sanctiffimi SACRAMENTI Ecclefiæ S. GUDULÆ *Bruxellis*, effigies quoque PHILIPPI cernitur in vitro picta, addito titulo:

PHILIP-

a) Inter imagines, ad Annales *Ferdinandeos* pertinentes, T. I. p. 101.
b) Annal. *Ferdinand.* T. I. col. 159.
c) Loc. cit. tom. IV. lib. V. p. 360.
d) De reb. geft. fub MAXIMIL. II. Imp. inter fcriptor. rer. *Germ.* a fe collect. tom. IV. p. 2452. ubi tamen loco MARIÆ fubftituendum eft ANNÆ, ut contextus reliquus, paullo infra legendus, (quartam hanc ANNAM MAXIMIL. II. Imperatoris filiam, - - - fuperinduxit.) poftulat.

PHILIPPUS DEI GRATIA ARCHIDUX AUSTRIÆ,
CAROLI V. IMPERATORIS FILIUS. 1549.

Adiecta ſunt ſcuta: *Caſtellæ*, *Caſtellæ*, *Portugalliæ*, *Caſtellæ*. a)

XVII. NEAPOLI pons S. MAGDALENÆ, Sebetho impoſitus, hoc epigramma præfert: b)

Idem pontem fieri iubet.

SIVE HOSPES, SIVE INQUILINUS VIATOR ES, BENE ADSIS:
QUEM VIDES PONTEM, COLLATA PROVINCIALIUM
POPULORUM PECUNIA, PUBLICÆ COMODITATI RESTITUIT
BERNARDINO MENDOTIO PRINCIPE OPTIMO AUSPICE,
DUM REGNO PHILIPPI AUSTRII REGIS NOSTRI
INCLYTI NOMINE SUMMA OMNIUM BENEVOLENTIA
PRÆFUIT. TRANSI FELIX ET UTERE. MDLV.

Videri queat, has & ſimiles inſcriptiones, mox afferendas, nihil ad PHILIPPUM; quippe quod verba: REGNO PHILIPPI AUSTRII, aut, ut infra: PHILIPPO . . REGNANTE, non plus, quam tempus facti deſignent, cetera vero ad alios ſpectare videantur. At vero cum opera publica non niſi iuſſu, aut conſenſu Regis conſtitui ſoleant, viſum eſt, eiusmodi inſcriptiones hic loci haud prætereundas.

XVIII. ANTVERPIÆ in Eccleſia Cathedrali B. V. MARIÆ pars ſuperior Altaris ſummi vitrum quoddam offert, hac legenda inſigne: c)

Prima ord. aurei vell. comitia celebrat.

D. O. M.

ANNO. M. D. L. V. PHILIPPVS HISPANIARUM, ANGLIÆ, ET
FRANCIÆ REX. &c. DUX BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ &c.
PRIMIS SUI ORDINIS COMITIIS HAC IN ÆDE CELEBRATIS,
III. HAS FENESTRAS CHRISTO SERVATORI DICATAS FIERI
IUSSIT.

Gregorius LETI d) de hiſce comitiis agens, ea ſub finem anni 1555. reponit: explicatius contra P. *Sebaſtianus* INSPURGGER e) ad diem 19. *Ianuarii* anni 1555. *Gallico*, & 1556. *Germanico*, ſeu noſtro computandi modo, conſignat.

XIX. In media via, *Neapoli Puteolos* ducente, ſequens marmor occurrit: f)

Vias munit.

PHILIPPO SECUNDO CATHOL. REGNANTE.
PERAF ALCALÆ DUX PROREGE, QUI VIAS FECIT A NEAPOLI
AD BRUTTIOS, AD APPULOS, AD SAMNITES, AD LATINOS,
OPERE AMPLISSIMAM HANC QUOQUE VIAM, CLIVIS ANTEA
DIF-

a) Le Grand. Theatre Sacré de *Brabant*. tom. I. lib. VI. p. 194.
b) Ex *Ioſeph.* MORMILLI deſcriptione della citta di *Napoli*. p. 73. & SCHRADER. l. c. p. 247. averſ.
c) Cit. Grand. Theatre tom. II. p. 34.
d) Dans la vie de PHILIPPE II. T. I. lib. X. pag. 527.
e) In libro, cui titulum fecit: *Vellus aureum Burgundo-Auſtriacum*. p. 75.
f) Ex *Ioſeph.* MORMILL. loc. cit. p. 44.

DIFFICILEM, ARCTAM, INTERRUPTAM, CUM ITER EIUS AD MARE DIREXISSET, VASTAQUE SCOPULOR. IMMANITATE CONSTRATA NOVAM APERUISSET, PUTEOLOS MULTO BREVIOREM PERPETUAM ILLUSTREM ATQUE LATAM PERDUXIT. MDLVIII.

Monasterii *Escurialis* fundamenta orditur, a

XX. Regium, ac toto orbe celeberrimum cœnobium S. LAURENTII, cui a proximo ei vico *Escuriale* nomen, in finibus veteris *Castilliæ*, septem leucis *Madrito*, novem *Segovia*, & totidem *Avila* dissitum, anno 1563. construi cœpit, facto initio die XXIII. *Aprilis*. Lapis primus, in fundamenta immissus, recta sub sede Prioris, quam in refectorio occupare solet, iacet, cuius parti superiori hæc inscripta sunt: a)

DEUS O. M. OPERI ASPICIAT.

A latere dextro hæc incisa sunt:

PHILIPPUS II. HISP. REX.
A FUNDAMENTIS EREXIT
M. D. LXIII.

A latere vero sinistro:

IOAN. BAPTISTA ARCHITECTUS
IX. KAL. MAII.

De hoc cœnobio, atque magnifico sepulcreto eius, cui nomen *Pantheon*, plura dicentur tomo sequenti.

Perficitque. b

XXI. Ibidem in *Custodia maiori*, seu sacrario Ecclesiæ prope fenestram hæc inscriptio, Celeberrimum *Ariam* MONTANUM auctorem habens, legitur: b)

IESU CHRISTO SACERDOTI AC VICTIMÆ
PHILIPPUS II. REX D.
OPUS IACOBI TRECI MEDIOLANENSIS
TOTUM HISPANO E LAPIDE.

Et in sacrario, seu *Custodia minori* ad ostium, seu limen ianuæ:

HUMANÆ SALUTIS EFFICACI PIGNORI ASSERVANDO
PHILIPPUS II. REX. D.
EX VARIA IASPIDIS HISPANIÆ: TRECII OPUS.

Est autem *Custodia* illa Ecclesiæ *Escurialis* pars, in qua sanctissimum Altaris Sacramentum asservatur.

Balneis *Puteolanis* prospicit. c

XXII. NEAPOLI in monte *Olibano*, propter viam, marmor litteratum cum hac sententia sese offert: c)

PHILIPPO II. CATHOLICO REGNANTE.
LOCA INVIA, SOLIS IBICIBUS PERVIA, FRETO, MONTIBUS, SAXIS IMMANIBUS INVOLUTA, PERAFANUS RIBERA, ALCALÆ DUX, CUM PRO REGE ESSET, EXCLUSO MARI, COMMINUTIS SAXIS, DISIECTIS MONTIBUS, APERUIT, VIAM STRAVIT, ET AD BALNEA PUTEOLANA, QUÆ PRIUS DEPERDITA, PUBL. SALUTI RESTITUERAT, PATEFECIT. MDLXXI.

Armamentarium *Navale*, d

XXIII. SUMMONTIUS in sua historia *Neapolitana* d) supra portam armamentarii *Navalis* has litteras legendas esse affirmat:

PHI-

a) Ex auctore descript. *Escurialis* p. 12. B.
b) Teste eod. p. 12. F.
c) *Ios.* MORMILL. l. c. p. 110.
d) Tom. I. p. 170.

PHILIPPO II. REGUM MAXIMO HISPANIARUM
ET UTRIUSQUE SICILIÆ, ETC. REGE
D. IOANNE A STUNICA PRINCIPE ILLUSTRISSIMO
IN REGNO PRO REGE A. M. D. LXXXII.
SPECIOSA REGNI NAVALIS IANUA FINEM INDICAT,
SPECIOSUM TOTIUS CHRISTIANI NOMINIS
NEMPE MUNIMEN.

XXIV. NEAPOLI ad fontem, dictum *di Formello*, marmori inſcriptum legitur: a)

Fontem. a

PHILIPPO REGNANTE.
SISTE VIATOR, AQUAS FONTIS VENERARE, PHILIPPO
SEBETHUS REGI QUAS RIGAT AMNE PARENS.
HIC CHORUS AONIDUM, PARNASSI HÆC FLUMINIS UNDA
HAS TIBI MELPOMENE FONTE MINISTRAT AQUAS.
PARTENOPE REGIS TANTI CRATERIS AD ORAS
GESTA CANIT REGEM FLUMINIS AURA REFERT.
M. D. LXXXIII.

XXV. Monaſterii *Capucinorum Antverpienſis* originem ſequens inſcriptio, in eorum Eccleſia legenda, docet:

Ac monaſt. *Capucinorum* conſtrui curat.

ANTVERPIA CATHOL. RELIG. LIBERTATI RESTIT.
PHILIPPUS II. HISPP. REX, AC BELG. DOMINUS
PP. CAPUCINIS, ORD. B. FRANCISCI, A. S. S.
APOST. PIO EIUS POSTULATU IN BELG. MISSIS,
PRIMUM HOC COENOBIUM F. I. CURANTE
PHILIPPO VEUSELIO CONSIL. REGIO ANNO
DOMINI M. D. LXXXVI.

Vocavit *Antverpiam* RR. PP. *Capucinos* ex *Francia Alexander* FARNESIUS, *Parmæ* & *Placentiæ* Dux, Gubernator *Belgii*, at paullo poſt redire coacti ſunt, unde venerant. Eiusdem tamen ſtudio anno 1577. ſecundum vocatis, atque *Antverpiæ* magna cum lætitia exceptis, PHILIPPUS Rex ampliſſimum conſtrui curavit monaſterium, ſymbolas quoque ſuas conferentibus nonnullis privatis. b)

b

XXVI. Mox laudata eccleſia S. LAURENTII in *Eſcuriali* portas quinque habet, magnitudine, forma, & ſitu quinque arcubus, in quos eccleſiæ fornix flectitur, reſpondentes: ſupra duabus illis, quas inter porta præcipua ſtat, legitur & fundatio, & conſecratio templi, aureis litteris nigro lapidi inſculpta. Inſcriptio ianuæ a dextra ſtantis ſic habet: c)

Templi monaſt. *Eſcurialis* primum ponit lapidem,

c

D. LAURENT. MART.
PHILIPP. II. OMN. HISP. REGN.
VTRIUSQUE SICIL. HIERUS. ETC. REX.
HUIUS. TEMPLI. PRIMUM. DEDICAVIT. LAPIDEM.
D. BERNARDO. SACRO. DIE. ANN. M. D. LXIII.
RES. DIVINA. FIERI. IN. EO. COEPTA.
PRIDIE. FESTUM. D. LAURENTII.
ANN. M. D. LXXXVI.

Aliter

a) Ibidem p. 244.
b) Le Grand Theatre de *Brab.* tom. II. p. 138.
c) Ex deſcript. *Eſcurialis* p. 12. C.

a Aliter hanc inſcriptionem legit COLMENARIUS, a) videlicet:

PHILIPPVS II.
OMNIVM HISPANIÆ REGNORVM
VTRIVSQUE SICILIÆ ET HIEROSOLYMÆ
REX
HVIVS TEMPLI PRIMVM DEDICAVIT
LAPIDEM. *ETC.*

At magis fidendum in hac parte videtur auctori, templum hoc cum *Pantheo* data opera deſcribenti.

Illudque conſecrari facit. b

XXVII. Supra eam vero ianuam, quæ principi portæ a ſiniſtris eſt, ſequens inſcriptio cernitur: b)

PHILIPP. II.
OMNIUM. HISP. REGNOR.
UTRIUSQUE SICIL. HIER. ETC. REX.
CAMILLI. CAIET. ALEXANDR. PATRIARCHÆ.
NUNTII. APOST. MINISTERIO.
HANC. BASILIC. S. CHRISMATE. CONSECRANDO.
PIE. AC. DEVOTE. CURAVIT.
DIE. XXX. AUGUST. ANN. M. D. XCV.

Etiam hoc epigramma mox excitatus COLMENARIUS paullo aliter recenſet, aut certe, ut in præcedenti, non nulla omittit; adeoque iterum argumento eſt, fidem auctoris *Eſcurialis* præponderare.

In regno *Neapolitano* viam muniri, c

XXVIII. In territorio *Neapolitano* via eſt, cuius hiſtoriam itinerantibus ſequens marmor pandit. c)

PHILIPPO REGNANTE.
QUÆ OLIM CONDENSIS ARBORIBUS OBSITA,
CAVISQUE RUPIBUS INACCESSA, PRÆDONUMQUE
MALEFICIIS APTA VIA, SANCTI ANTONII
CUPA VULGO DICEBATUR, NUNC FELICISSIMIS SUB
AUSPICIIS ILLUSTRISS. AC EXCELLENTISS. D. ISABELLÆ DE
CUEVA, ILLUSTRISS. AC EXCELLENTIS. D. PETRO GIRONIS
INCLYTI NEAPOLITANORUM PROREGIS CONIUGIS,
CLARA, PLANA, AC TUTA REDDITA, MUTATO NOMINE
NON CUPA IAM SED CUEVA GIRONA, DIGNISSIMUM
VIDELICET, SPLENDIDISSIMUM, AC TUTISSIMUM ANTRUM
NUNCUPATUR, ANNO DOMINI MDLXXXVI. DIE
SEPTIMA MENSIS OCTOBRIS.

Pontem conſtrui, d

XXIX. NEAPOLI ſupra portam Caſtelli *Lucullani*, quod nunc ob formam ovatam ab ovo nomen habet, ſic legitur: d)

PHILIPPUS II. REX HISPANIARUM
PONTEM A CONTINENTI AD LUCULLIANAS ARCES, OLIM
AUSTRI FLUCTIBUS CONQUASSATUM, NUNC SAXEIS
OBICIBUS RESTAURAVIT, FIRMUMQUE REDDIDIT.
D. IOANNE ZUNICA PROREGE ANNO
M D LXXXXV.

XXX.

a) Dans les delices de l' Eſpagne tom. II. p. 271.
b) Ex deſcript. *Eſcurialis* p. 12. C.
c) MORMILL. l. c. p. 59.
d) Ibidem p. 52.

XXX. PLACENTIÆ in *Caſtello* inſcriptionem extare ſequentem, ſæpe excitatus teſtatur SCHRADERUS: a)

Ac *Placentiæ* Caſtellum conſtitui curat. a

FINIUNT PARITER RENOVANTQUE LABORES.
PHILIPPUS II. HISPANIARUM REX MAXIMUS, ET MULTARUM PROVINCIARUM DOMINUS, SANCTÆ FIDEI CATHOLICÆ ACERRIMUS DEFENSOR F. F.

CAPUT V.

PHILIPPI II. REGIS HISPAN. PROLES.

§. I.

Protome CAROLI cum corporis, animique effigie. TAB. LVI. N. I.

Protome CAROLI, infantis *Hiſpaniæ*, adverſa fronte, attonſa, patris, avique exemplo, cæſarie, cum lato, rugatoque collari, toga pellita, atque ordinis aurei velleris inſigni, ſupra loricam conſpicuo. Non abhorret effigies iſthæc, ex collectione Sereniſſ. Principis EUGENII de *Sabaudia* educta, a nummis, quos ſuo loco dedimus, ubi de infelice hoc Principe pro inſtituto ſatis actum eſt. Hic autem, pro eadem inſtituti ratione, addenda eſt icon animi, corporisque, a *Famiano* STRADA, b) qui de IOANNE *Auſtriaco*, *Alexandro* FARNESIO, & hoc noſtro CAROLO, ætate paribus, & ſub eadem diſciplina educatis, agens, hunc brevibus ita deſcribit: CAROLUS *præter colorem & capillum* (cum colore & capillo IOANNIS ab *Auſtria* reſpondentem) *ceterum corpore mendoſus; quippe humero elatior, & tibia altera longior erat: nec minus dehoneſtamentum ab indole feroci, & contumaci.* Et alio loco. c) „Ferox ac violentum CAROLO ingenium fuit. Idque ſtatim a pueritia obſervatum: quum oblatos interdum ex venatione lepuſculos ſua iugularet ipſe manu, eorumque aſpectu palpitantium, exſpirantiumque frueretur. Quod a *Veneto* Legato fuiſſe animadverſum, factamque inde coniecturam, indolis videlicet inclementis non minus, quam de puero, eruente oculos coturnicum, iudicavere olim *Areopagitæ*, in commentatione legi rerum *Hiſpanarum*, ab eodem Legato ad ſenatum miſſa. Nec vero vanos ipſe coniectores oſtendebat indies trucibus, vaſtisque moribus, ac mente non uſquequaque ſui compote: ut multa de eo ſcribens ad Cardinalem *Alexandrinum* Nuncius Apoſtolicus, Archiepiſcopus *Roſſanus*, affirmat.„

Icon ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ prima. N. 2.

II. Sequuntur ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ, PHILIPPI II. Regis *Hiſpan.* filiæ, imagines tres. Prima, ex *Hiſpania* ad aulam Cæſaream transmiſſa, *Eberſtorffii* adſervabatur. Veſtis ex albo, rubroque undulato panno ſerico, quem aurei limbi abunde diſtinguunt, contexta eſt, caput & pectus pretioſis lapillis ornantur, palliumque geſtat

a) Loc. cit. p. 394. adv. & apud laudat. *Otton.* AICHER. p. 262.

b) Dec. I. lib. X. p. m. 348.

c) Lib. videl. VII. p. 213.

TAB. LVI. gestat more *Hispanico.* Adolescentulam, non adultam sisti ISABELLAM, non est, ut admoneamus.

Secunda & tertia. N. 3. 4. III. Secunda inter has imago *Petrum* de IODE auctorem habet, addito titulo, in ipsa tabula satis conspicuo. Altera ex collectione iconum *Hollandiæ Comitum* apud *Ioan.* MEYSSEN num. 29. exsumpta est, adiecta inscriptione: ISABELLA CLARA EUGENIA, PHILIPPI II. *Regis Hisp. filia, ex* ISABELLA *Francica,* ALBERTUM *Archiducem matrimonio sibi iungens, pro dote accepit, cum consensu fratris sui* PHILIPPI III. *Burgundiam, & Belgium. Obiit* 1633. *& funus in capella palatii Bruxellis post aram maiorem repositum, postea prope funus mariti reconditum.* Reliquas ISABELLÆ, nec non & ALBERTI, coniugis eius imagines tabula, post sequentem, proxima dabit: de funere vero, annoque, ac die obitus, dicendi locus occurret tomo sequenti.

Itemque CATHARINÆ, N. 5. IV. CATHARINA, PHILIPPI II. Regis *Hispaniarum* filia altera, adversa hic fronte sistitur, habituque prorsus singulari, radiis nimirum, seu stella sub collari prominente, & capite lauri ramusculis exornato, nec non pentagono, pretiosis lapillis circumdato, supra frontem comparente. Eductum est schema ex collectione Sereniss. Principis EUGENII de *Sabaudia.* Reperitur quoque in thecis HERÆI, nec non apud illustriss. KHEVENHILLER loc. cit. num. 74. p. 128. d.

Eiusque dotes animi. V. Singulare omnino est, quod de hac Principe refert *Gregorius* LETI: illam non minus moderandæ reipublicæ, quam educendo in expeditionem militi idoneam, atque adeo scientia artis bellicæ omnimodis imbutam fuisse. Nec minus inter singularia ponit, quod triginta duntaxat annorum mulier, marito suo, CAROLO EMANUELI, Duci *Sabaudiæ*, novem liberos genuerit, eosque solos, quos PHILIPPUS viderit nepotes. a) Nos, cum in Nummotheca septem duntaxat numeramus, de adultis intelligi volumus. Ipsæ nuptiæ *Cæsar-Augustæ* anno 1585. die XVIII. *Febr.* magna cum pompa celebratæ fuerunt, b) contractusque matrimonialis, die 23. *Augusti* anni præcedentis initus, apud DUMONTIUM reperitur, ex GUICHENONIO eductus.

Monitum. VI. ALBERTUM, Archiducem *Austriæ*, quemadmodum in Nummotheca factum est, inter proles PHILIPPI recensemus; quod, etsi ex MAXIMILIANO II. Imp. natus, in *Hispania* tamen educatus, & altus, præter *Cardinalitiam* dignitatem, a Rege Archiepiscopatu *Toletano*, hisque abdicatis, ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ, PHILIPPI filiæ, matrimonio iunctus, atque adeo *Belgii, Burgundiæ*que Comitatus hereditate auctus fuerit.

ALBERTI *Pii* simulacrum. VII. Sistitur itaque ALBERTUS integra figura, in pedes erectus, prout *Bellofonte*, vulgo *Schœnbrunn*, palatio Imperatricis æstivali, pro-

a) Dans la vie de PHILIPPE II. P. II. lib. XVIII. p. 250. seq.

b) Vid. illustriss. KHEVENHILLER. Annal. *Ferdinand.* tom. II. col. 351. & 399. seq.

propter *Wiennam*, in tabula, ad parietem appenſa, cernitur. Lorica munitur, aureis tam circa pectus, quam brachia fulgente ornamentis, dextra, qua chirothecas tenet, caſſidi, plumis ornatæ, innixus, ſiniſtra capulum gladii prehendit. Femoralia lata, & nonnihil diſtenta, ex rubro, & albo colore variegantur, pars inferior unacum ocreis albicant. Caput porro diſcoopertum oſtendit: illum non minus, ac IOANNEM *ab Auſtria*, ceterosque ſua ætate, attonſis capillis, ac a fronte reductis, inceſſiſſe. Hæc imago; ut ex vultus lineamentis apparet, adumbrata videtur, cum ALBERTUS ætatis iam eſſet provectioris.

TAB. LVII. N. 1.

VIII. Multo igitur minori ætate fuerat, cum præſens ſchema confectum eſt, quo habitu Eccleſiaſtico, nulloque, niſi *Archiducis* titulo, inſignitus comparet. Eductum eſt ex pinacotheca illuſtr. S. R. E. Comitis a WEISSENWOLFF, quæ *Lincii* eſt. Secus ſentiendum de protome proxima, ALBERTUM tanquam *S. R. E. Cardinalem, Archiepiſcopum Toletanum, ac Belgicarum provinciarum gubernatorem*, ut ſubiectus picturæ titulus edocet, exhibente. Unde & inſimul diſcimus: ſchema iſthoc ab eius auctore, *Antonio* WIERX intra annum 1595. quo *Belgii* gubernationem ſuſcepit, & 1598. quo ſtatu Eccleſiaſtico, obtenta ad id a Summo Pontifice poteſtate, renunciavit, a) excuſum fuiſſe, atque adeo circiter annum ætatis eius octavum, & triceſimum.

Ac protome duæ tanquam *S. R. E. Cardinalis*, N. 2. 3.

a

IX. Quam igitur *Dominicus* CUSTOS, chalcographus *Auguſtanus*, in *Atrio ſuo heroum* anno ſeculari 1600. dedit effigiem, ætate fere parem, id eſt intra annum 1598. & dicto 1600. adumbratam fuiſſe, oportet; quippe quod anno illo priori dignitatibus Eccleſiaſticis nuntium miſerit. Petaſo, ac reliquo veſtitu *Hiſpanico* utitur; quod licet in *Germania* natus, in *Hiſpania* & *Luſitania* tamen maximam vitæ partem degens, Regi *Hiſpaniarum* PHILIPPO II. ut diximus, omnia in acceptis referret. Verſus auctor ſequentes ſubiunxit:

Et tanquam Principis *ſecularis*. N. 4.

NOVIT IBER, NEC BELGA NEGAT, NEC GALLIA NESCIT,
QUOD TOGA CONCILIET, QUOD DECUS ARMA TIBI;
ET FORTUNATAM TUA SE NON AUSTRIA DICET,
TE NATO FELIX HAC RATIONE DOMUS?
QUIN SUPERI FAXINT; TOTA HOC GERMANIA DICAT,
NON SEMEL ID IAM DE STEMMATE FASSA TUO!

X. Quintum huius tabulæ ſchema ex iconibus Comitum *Hollandiæ*, edente *Ioanne* MEYSSENS num. 38. exſumptum eſt. Anne, quæ in utroque latere inciſuræ, globulis inſtructæ, comparent, fundæ ſunt, ad recondendum aliquid deſtinatæ? Ultima huius tabulæ protome, ALBERTUM in habitu *Ducali* exhibet, ac torque aurei velleris inſignitum, omiſſo tamen ipſo vellere. Subiecta inſcriptio cuique ſatis patet. Eductum eſt ſchema ex collectione HERÆI.

Duæ aliæ protome. N. 5. 6.

XI.

a) Vid. LETI loc. mox cit. lib. XIX. pag. 260. ſeqq.

Simulacrum cum ſumptuoſa veſte, TAB. LVIII. N. 1.

XI. Multo ceteris omnibus operioſior, atque ſumptuoſior veſtis, & effigies, ALBERTI eſt, quam ad archetypum Celeberr. RUBENII effictam, in hoc ſchemate Lectoris oculis conſiderandam offerimus, ubi certe ad ſummam magnificentiam nihil reliqui factum fuiſſe videtur. Auctores ex ſubiecta imagini inſcriptione his verbis produntur: *Sereniſſ.* ALBERTUS *Archidux Auſt. Dux Burg. Princeps, & Dominus Belgarum. Ioannes* MÜLLER *ex archetypo Petri Pauli* RUBENII *ſerenitatis ſuæ pictoris exſculpſit anno* 1615. Ex quo ſimul coniicias, ſchema hoc expreſſum fuiſſe, cum annum circiter ætatis 56. ageret ALBERTUS; ut qui vitam ſuam anno 1559. die vero XIII. *Nov.* exorſus eſt.

Atque elogio eius.

XII. Dici vix poteſt, quantis laudibus extollatur Princeps iſte ab univerſis eius ætatis Scriptoribus, quos inter cumprimis adducere iuvat METERANUM, qui quamvis ab eius partibus longe alieniſſimus, de obitu tamen eius agens, ingenue fatetur: a) *Belgas* in hoc Archiduce Principem pium, atque benignum amiſiſſe; qui haud immerito amor, & deliciæ populi, gemma ſui temporis, ALBERTUS *Placidus*, *Pacificus*, *Pius*que cognominatus fuerit. Oris, corporisque ſtatum a nemine deſcriptum meminimus, niſi forte a biographo eius, *Auberto* MIRÆO, cuius vero libellum, in his oris rariſſimum, nulla diligentia aſſequi potuimus.

Statuæ ex SCHRENCKIO ætas. N. 2.

XIII. Adiungitur ſtatua ALBERTI, ex *Iacobi* SCHRENCKII armamentario *Ambraſiano* educta, haud adeo differens ab ea, quam tabulæ prioris loco primo dedimus. Ætate etiam ſuperiorem eſſe, ex femoralibus diiudicari poſſe videtur; ut quorum longitudinem paullatim diminutam fuiſſe, ex imaginibus, inter ſe collatis, intelligi datur. Quare cum hæc prioribus longiora, & ad genua fere promiſſa ſint, ſignum eſt, tempore præcedere. Denique ætatem huius ſtatuæ propius definiunt cum operis editio, anno 1601. curata, tum vero adiectum ab editore imagini elogium, quo de illo tanquam *Belgii* Gubernatore, ac ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ matrimonio iuncto, diſſerit. Unde intra annum 1598. 1601. confectam fuiſſe, neceſſe eſt.

Icon ISABELLÆ uxoris. N. 3.

XIV. Reſpondet hæc imago imagini, num. I. adductæ; cui neque ad ſplendorem, neque ad ornatum pro eo tempore quidquam deeſt. Eius originem, atque ætatem ſubiecta inſcriptio edocet: ISABELLA CLARA EUGENIA *Hiſp. Princeps, & Domina Belgarum. Ioannes* MÜLLER, *ſcalptor, ex Archetypo Petri Pauli* RUBENII, *ſerenitatis ſuæ pictoris, exſculp. anno* 1615. Cum igitur ISABELLA hanc lucem primitus anno 1566. die vero XII. *Auguſti* aſpexerit; ſequitur, ut illam pictura hæc, annum ætatis præter propter quinquageſimum agentem, repræſentet.

Cum elogio.

XV. ISABELLÆ noſtræ elogium, invidendum plane, præter plu-

a) Hiſt. *Belg.* lib. XXVIII. p. m. 141. ad annum 1621.

plures alios, ſæpe laudatus CZERWENKA a) his coloribus adumbrat: „Nata eſt (inquit) hæc *Auſtriaca* ſoboles anno ſupra milleſimum „quingenteſimum ſexageſimo ſexto, die 12. Auguſti *Segobiæ* in *Hiſpania*. --- Crevit autem in regia parentis aula, tantaque cura, ac „ſedulitate educata eſt, ut Chriſtianos mores, virtutem omnem, ac „honeſtatem, pene citius, quam nutricis lac imbiberit, nec ullis in „tam clara ſanctiſſimæ diſciplinæ luce vitiorum illecebris unquam ſit „corrupta. Vix adoleverat, & iam illam *Hiſpani* cor ſuum, & delitium appellabant, cumque eam intuebantur, videre ſe virtutis effigiem, ipſis Angelorum manibus, & divino quodam artificio expreſſam, arbitrabantur. Eminebat enim, & iam tum apparebat in „illa quædam ad omnem virtutem indoles, quæ futuram eius aliquando ſummæ probitatis, & prudentiæ maturitatem ſignificabat. „Gravitatem cum cura, ac facilitatem, maieſtatem cum modeſtia, „dignitatem cum humanitate, prudentiam cum ſimplicitate coniungebat; nec quidquam in eius vultu, geſtu, ſermone, inceſſu cernebatur, quod non omnium admirationem excitaret, laudemque „mereretur. Ipſe parens plus illam oculis ſuis amabat; unde factum „eſt, ut per annos circiter viginti ab eius latere nunquam diſceſſerit.„ Et reliqua. Agit dein de coniugio eius, quod inter ſanctiora reputandum ait. Porro conditiones, quibus eam ALBERTO iungi, atque *Belgium*, ac Comitatum *Burgundiæ* in dotem cedere voluit PHILIPPUS, fuſe exponuntur in inſtrumento ſingulari apud DUMONTIUM, b) dato *Madriti* die VI. *Maii* anni 1598.

TAB. LVIII. a

b

Mater Caſtrorum cur appelletur? N. 4.

XVI. Extremum in hac tabula locum occupat ſchema ISABELLÆ in habitu Sanctimonialis tertii Ordinis S. FRANCISCI, qua de re nonnihil dictum eſt in Nummothecæ noſtræ Part. I. ubi in nummo, tab. XXXIX. num. XLVII. & XLIX. producto, ſimili induta veſte, quanquam non ita perſpicue, viſitur. Prototypon aſſervatur *Vindobonæ* in Auguſta pinacotheca. Reperitur quoque inter icones Principum, ab *Antonio* van DYCK, digno RUBENII diſcipulo, pictorum, & ſculptore LOSTERMANO, *Antverpiæ* excuſorum, cum hac inſcriptione: *Sereniſſ. D.* ISABELLA CLARA EUGENIA *Hiſp. Infans, Sereniſſ.* ALBERTI *Archiducis vidua. Mater caſtrorum.* Qui ultimus hic titulus ex antiquitate petitus eſt: nummo fortaſſis argenteo FAUSTINÆ *Iunioris*, in cuius averſa parte ipſa ſedens, dextra phœnicem, globo inſidentem, ſiniſtra haſtam puram tenet: ante vero tria ſigna militaria eriguntur. Qua de re CAPITOLINUS de M. AUR. ANTONINO, eius coniuge, agens, ſcribit: *Divam etiam* FAUSTINAM *a Senatu appellatam gratulatus eſt: quam ſecum in æſtivis habuerat, ut* MATREM CASTRORUM *appellaret.* c) Similem occaſionem haud dubie habuerit titulus hic ISABELLÆ, quanquam, quo

c

a) Piet. *Auſtr.* lib. III. cap. VIII. p. 439.
b) Corps Diplomatique T. V. P. I. p. 573.
c) Apud VAILLANT. Numiſmat. Imp. *Rom.* præſtantior. tom. II. pag. 175. edit. ult. *Rom.* ubi & pag. 237. ſimilem fere nummum IULIÆ *Piæ* adducit.

quo tempore ei impoſitus fuerit, certo edicere nequeamus. Legimus tamen, illam ab anno 1601. ad 1604. celeberrima durante obſidione *Oſtendana*, aliquoties ſe ſe in caſta contuliſſe, ac præſertim urbe expugnata, a toto exercitu, iuſſu Ducis SPINOLÆ, obſidentium, defendentiumque urbem exhibita ſpecie, in caſtris ſub tentoriis magnifico epulo honoratam fuiſſe: quanquam viſis urbis ruinis, humoque ſanguine humano madefacta, ac interfectorum oſſibus conſita, medias inter has lætitias, lautitiasque a lacrimis ſibi temperare nequierit. a)

a

Ordini S. CLARÆ adſcribitur.

XVII. Sed præ titulo illo conſiderandum hic eſt veſtimenti genus, quo illam indutam cernimus, nec niſi ut magnum Chriſtianæ humilitatis, pietatisque monumentum conſiderari meretur. De ea mox laudatus CZERWENKA b) *exſpirante* ALBERTO, ait, *ipſo Beatiſſimi* FRANCISCI *feſto ex manibus R. P. Andreæ a* SOTO, *Commiſſarii tum Generalis, depoſita purpura, ac reſciſſis per cubiculariam crinibus, ſacram B.* CLARÆ *Ordinis Seraphici veſtem ſuſcipit. Anno autem ſequenti, cum octavus eiusdem feſti dies ageretur, coram eodem Religioſiſſimo patre, inque eius manibus ſororem ſe* ISABELLAM *appellando, recepto more, conſuetaque formula,* DEO, *Deiparæque, ac* S. FRANCISCO *ſolenne votum, nuncupatis verbis, emiſit, ſeque Rectorum eiusdem Ordinis voluntati, ac diſciplinæ commiſit.* Sic ergo, ut ait VREDIUS, c) ſtatim a mariti exceſſu, poſita coma, flammeum nuptiale cum ſacro velo, ſtolam uxoriam cum tunica cinerea, & ceſtum coniugalem cum funiculo Veſtali, religioſo affeclarum S. CLARÆ Virginum habitu, commutavit.

b

c

INSCRIPTIONES.

ALBERTUS *Romæ* ſacellum S. HELENÆ inſtaurat.

XVIII. ROMÆ in ſacello S. HELENÆ, quod eſt in eccleſia *S. Crucis* in *Hieruſalem*, binæ ſunt inſcriptiones cum ſcutis gentilitiis, memoriæ ALBERTI Archiducis & S. R. E. Cardinalis poſitæ. d)

d

SACELLVM.
D. O. M. IN. HONOREM. S. HELENAE. DICATVM.
A. BERNARDINO. CARVAIAL.
HVIVS. BASILICAE. CARDINALE. TITVLARI.
ANTEA. RESTITVTVM.
AC. MVSIVIS. SIGNIS.
VT. NVNC. IN. IPSO. FORNICE. CERNITVR.
DECORATVM.
ALBERTVS. ARCHIDVX. AVSTRIAE.
MAXIMILIANI. II. AVGVSTI. F.
ET. CARD. EIVSDEM. BASILICAE. TITVLARIS.

IN-

a) Vid. illuſtriſſ. KHEVENHILLER *Annal. Ferd.* tom. V. col. 1435. 1581. & 1905. METERAN. Hiſt. *Belg.* lib. XXII. p. m. 994. col. 1. p. 1004. col. 1. & 1096. col. 1. & van LOON *Hiſt. metallique des Pays-bas* tom. II. p. 17.

b) Loc. cit. p. 429. (erronee tamen loco 441.)

c) De ſigill. Comit. FLANDRIÆ p. 296.

d) Miſit ſupra laudatus illuſtriſſ. Comes a THUN, & reperitur etiam in Doctiſſ. *Ioſeph ab* EGGS *Purpuræ doctæ* lib. III. p. 410.

INSTAVRANDVM.
ELEGANTIBVSQ. PICTVRIS. UNDEQUAQ. EXORNAN.
CVRAVIT.
ANNO. CIↃ. IↃ. XCIII.
CLEMENTIS. VIII. PONT. MAX. a) II.

a

XIX. Ex averſa parte cum iisdem inſignibus & ornamentis hæc leguntur: b)

Cuius ætatem docet inſcriptio altera.

b

VENERANDVM. SACELLVM.
A. S. HELENA. MAGNI. CONSTANTINI. MATRE.
EXTRVCTVM.
TERRA. SANCTA. MONTIS. CALVARIAE.
CHRISTI. SANGVINE. PERFVSA.
REPLETVM.
EX. QVA. ET. IPSA. BASILICA.
HIERVSALEM. NVNCVPATVR.
RELIQVIIS. INSIGNIBVS. AC. INDVLGENTIIS.
A. SVMMIS. PONTIFICIBVS.
POSTEA. DITATVM.
XIII. KAL. APR. CONSECRATVM. FVIT.
EOQVE. TANTVM. DIE.
MVLIERIBVS. HVC. INGREDI. PERMISSVM.

XX. BRVXELLÆ in equili ALBERTI noſtri equus, cui nomen NOBILIS, hunc in modum loquens introducitur: c)

Equus illius, *Nobilis* nomine, interit.

c

SISTE GRADUM, SPECTATOR, EGO DE NOMINE DICOR
NOBILIS, AT PRÆSTO NOBILITATE REI.
ARCHIDUCI ALBERTO SUBSTRAVI TERGORA QUONDAM,
QUANDO PROPE OSTENDAM MARTIA ERYNNIS ERAT,
ILLUMQUE ERIPUI PUGNANTEM HOSTILIBUS ARMIS,
CUM VEL EI, MIHI VEL MORS SUBEUNDA FUIT.
ME MAGIS ARDEBAT MILES; QUIA VIRGINIS INSTAR
CERNEBAT NIVEAM CRESCERE SPONTE IUBAM.
HINC, UT ME RAPERET, CREBRO SUA SPICULA, ET ENSES
IN CAPUT IGNOTI STRINXERAT ARCHIDUCIS.
EVASI, EDUXIQUE VIRUM, MEQUE IPSE REDUXIT
INCOLUMEM, NOSTRÆ NON ERAT HORA NECIS.
AST ANNO VERTENTE, DIE, QUO EVASIMUS AMBO,
NOBILIS INTERII! CERNITE, QUALIS ERAM.

XXI. Ibidem in monaſterio RR. PP. *Carmelitarum Diſcalceatorum*, qui primi ab ALBERTO, & ISABELLA in *Belgium* vocati fuere, hæc legitur inſcriptio: d)

ALBERTUS, & ISABELLA Conventum *Carmelitarum*,

d

ALBERTUS, ET ELISABETHA
CLARA EUGENIA HISP. INFANS,
DUCES BURGUNDIÆ, LOTHARINGIÆ, BRABANTIÆ.
LIMBURGI, LUXEMBURGI, ET GELDRIÆ,
COMITES HABSBURGI, FLANDRIÆ, ET ARTESIÆ,

BUR-

a) EGGSIUS hic addit: ANNO.
b) Miſit laudatus Comes de THUN.
c) Apud SWEERTIUM l. c. p. 671.
d) Dans le Grand Theatre S. de *Brabant*. tom. I. liv. VI. p. 186. ubi & primum ab ALBERTO & ISABELLA huius monaſterii lapidem poſitum fuiſſe, legimus.

BURGUNDIÆ, TIROLIS, PALATINÆ,
HANNONIÆ, HOLLANDIÆ, ZELANDIÆ, NAMURCI,
ET ZUTPHANIÆ.
MARCHIONES SACRI IMPERII ROMANI,
DOMINI FRISIÆ, SALINARUM, TRANSISULANÆ
OPPIDORUM, ET TERRITORII MECHLINIÆ,
TRAIECTI, ET GRONINGÆ
DEDICARUNT ANNO M. DC. VII.
DEO OPT. MAX.
ET MARIÆ VIRGINI
D. ANNÆ
ATQUE
D. IOSEPHO

Et templum B. V. in *Monte Acuto* fundant. a

XXII. Templum *Aspri-Collis*, seu *Montis Acuti* prope *Sichemium* in *Brabantia*, ab ALBERTO & ISABELLA a solo excitatum fuisse, sequens inscriptura, ibidem legenda, edocet: a)

ALBERTUS, ET ISABELLA, ARCHIDUCES AUSTRIÆ, DUCES BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ ETC. DIVÆ VIRGINI MATRI, QUÆ IN ASPRI-COLLE COLI VELLE SE, PORTENDIT, HOC TEMPLUM FUNDITUS EXSTRUXERE ANNO CIƆ IƆC IX. MENSIS IULII DIE II.

Publicæ gratitudinis ergo. d

XXIII. Eiusdem argumenti est scriptura alia, ibidem extans: b)

D. O. M.
DEIPARÆQUE VIRGINI MARIÆ,
MAGNÆ IN REBUS AFFLICTIS AUXILIATRICI,
QUA MATER CHRISTI EST, POTENTI,
QUA MATER NOSTRA EST, VOLENTI.
QUÆ COLLEM SALTIBUS ASPERUM ELEGIT,
UT MIRACULORUM FAMA INCLYTUM,
SUPRA ALTISS. MONTIUM CULMINA EXALTARET.
UNDE NOMINIS SUI GLORIAM, CULTUMQUE,
PER INNUMERABILIA BENEFICIORUM MISSILIA
FRENDENTE NEQUIDQUAM HÆRESI,
TOTO TERRARUM ORBE DIFFUNDERET:
ALBERTUS ET ISABELLA,
ARCHIDUCES AUSTRIÆ, BELGICÆQUE PRINCIPES,
TUTELARI SUÆ, AC SUORUM DIVÆ,
POST CIVILIA XL. AMPLIUS ANNORUM BELLA,
PACATIS BELGICÆ PROVINCIIS,
PUBLICÆ GRATITUDINIS ERGO
HANC BASILICAM A FUNDAMENTIS EXCITARUNT,
ANNO PARTÆ SALUTIS CIƆ IƆC IX.

Eorundem erga B. V. studium. c

XXIV. ANTVERPIÆ in fenestra supra principem ianuam ecclesiæ Cathedralis B. Virginis c) hæc leguntur:

ALBERTUS, ET ISABELLA CLARA EUGENIA, ARCHIDUCES AUSTRIÆ, BELGARUM PRINCIPES, PRO SUO ERGA DEIPARAM, BASILICÆ, ET URBIS TUTELAREM, AFFECTU, ET CULTU, MORE PROGENITORUM POSUERUNT ANNO DNI. *1616*.

Ædis *Lauretanæ* in *Valle viridi* primum lapidem ponit ISABELLA.

XXV. Prope supra laudatum cœnobium *Vallis viridis* ædes *Lauretanæ* sunt, quarum fundamenta anno 1622. Serenissima ISA-
BELLA

a) Ap. SANDER. de chorographia Sac. *Aspri-Collis* cap. IV. p. 7.

b) *Arnold.* RAISSIUS apud SANDER l. c. SWERTIUS l. c. pag. 689. Affert illam quoque SCHOENLEBENIUS Proleg. P. II. cap. IX. p. 188. sed truncatam.

c) Le Grand. theatre sac. de *Brabant.* tom. II. lib. I. p. 34. col. 1.

BELLA ipſa locavit; unde lapidi fundamentali in fragmento quodam adverſariorum noſtrorum hoc chronographicum inſcriptum fuiſſe videmus:

ÆTERNO DEO
ET
B. MARIÆ VIRGINI
LAVRETANÆ
ELISABETHA INFANS
POSVIT.

XXVI. Eodem pertinent verſus, in maiori feneſtra, quæ in frontiſpicio templi ipſius monaſterii eſt, conſpicui:

Eadem cum marito feneſtras reſtaurat.

CAROLUS HANC AUDAX POSUIT PIETATE FENESTRAM:
ALBERTUS FRACTAM BELLIS, ET CLARA REPONUNT:
AUSTRIACIS, VALLIS VIRIDIS DIC, NUMINA REDDANT.

XXVII. Inſcriptio aræ maioris in eccleſia Cathedrali *Antverpiæ* olim ſic habebat: a)

Templum primar. *Antverpiæ* prædiis augent.

a

SERENISSIMÆ, ET PIISSIMÆ PRINCIPI
ISABELLÆ, CLARÆ, EUGENIÆ,
HISPANIARVM INFANTI,
QVOD PERPETVAM MAIORVM SVORVM ÆMVLATA PIETATEM,
VIRTVTIS HVIVSCE VESTIGIA, NVLLIS NON LOCIS GLORIOSE IMPRESSA,
HAC ETIAM IN ÆDE EXTARE VOLVERIT;
VT VBI
GODEFRIDVS BVLLONIVS LOTH. DVX ET S. R. I. AD SCALDIM
MARCHIO AD BELLVM SACRVM IN SYRIAM
PROFECTVRVS,
COLLEGIVM CANONICORVM PIO NVMINIS INSTINCTV
FVNDAVIT, AC DOTAVIT
ANNO MXCVI.
GODEFRIDVS BARBATVS, LOTHARINGIÆ, BRABANTIÆQVE DVX,
REDITIBVS, PRÆDIISQVE ASSIGNATIS,
INSTRVCTVM MVNIFICE, AVXIT
ANNO MCXXIV.
AVVS CAROLVS IMPERATOR, ADSTANTE CHRISTIERNO DANIÆ
REGE, AMPLISSIMI AD PERSOLVENDAS DEO
LAVDES CHORI
PRIMO LAPIDE POSITO FVNDAMENTA
FELICITER IECIT
ANNO M. D. XXI.
EQVITES HISPANIÆ
PARENS PHILIPPVS HISPAN. INDIARVM, PLVRIVMQVE INSVPER
REGNORVM MONARCHA CELEBRATIS PRIMIS ORDINIS SVI
AVR. VELL. COMITIIS
THOLVM MAXIMVM TRIBVS DONATIS FENESTRIS VITREIS
AD SANCTISSIMÆ TRINITATIS HONOREM

EXOR-

a) Ex conſpectu equeſtrium ordinum, qui *Tyrnaviæ* an. 1742. prodiit p. 14. nec non cit SWEERT. p. 606. & le Grand theatre ſac. de *Braband.* cit. p. 34. col. 2. ubi auctor, inſcriptionem haud amplius ſupereſſe, memorat, quo caſu interciderit, aut deleta fuerit, reticens. Eius quoque lectiones haud parum variant, præſertim in nota chronologica prima, ubi loco MXCVI. legitur MXCV.

EXORNAVIT
ANNO M D LV.
ALBERTVS PIVS CONIVX VNANIMI CVM IPSA CONSENSV
PRÆDIIS, AD PERPETVVM DIVINI CVLTVS INCREMENTVM
BENIGNE DONATIS, DIGNITATEM COLLEGII, CENSVMQUE
AMPLIANDVM LIBERALITER DECREVIT
ANNO M. DC. XVI.
IBIDEM IPSA LOCI
SPLENDIDISSIMO SVMMI ALTARIS OPERI FVNDANDO,
AD MAIOREM DEI GLORIAM, BEATISSIMÆ VIRGINIS
PATRONÆ HONOREM
AVGENDVMQVE DECOREM DOMVS DEI,
LAPIDEM PRIMVM POSVERIT
ANNO M. DC. XXIV.
DECANVS, ET COLLEGIVM CATHEDRALIS ECCLESIÆ
ANTVERPIENSIS CVM THESAVRI, ET SACRÆ
ÆDIS CVRATORIBVS,
AD GRATÆ ET PERENNATVRÆ MEMORIÆ
TESTIFICATIONEM HOC
MON. POSS.

Erga *Capucinos* munifici.

XXVIII. PHILIPPUM II. RR. PP. *Capucinis Antverpiæ* anno 1586. monaſterium excitari curaſſe, retulimus ſupra, adducta ea de re inſcriptione, ex *Theatro ſacro Brabantiæ* mutuata. Ibidem vero lapidi fundamentali hanc inſcripturam, ad ALBERTUM, & ISABELLAM noſtros pertinentem, inciſam fuiſſe, idem teſtatur: a)

ALBERTUS ET ISABELLA
D. G. ARCHIDUCES AUSTRIÆ,
DUCES BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ,
COMITES FLANDRIÆ ETC.

Reliqua auctor haud refert.

Eorundem *Bruxellis* memoria,

XXIX. BRUXELLIS in tertia feneſtra ſacelli Beatiſſimæ Virginis *Liberatricis*, eccleſiæ Collegiatæ SS. MICHAELIS, & GUDULÆ, icones ALBERTI, & ISABELLÆ penicillo deſcriptæ videntur, dedicato illis ſequenti epigrammate: b)

SERENISSIMI PRINCIPES
ALBERTUS ET ISABELLA
AUSTRIÆ ARCHIDUCES
BURGUNDIÆ, LOTHARINGIÆ, BRABANTIÆ, ET
LIMBURGI,
LUCEMBURGI, GELDRIÆ
DUCES
FLANDRIÆ, ARTESIÆ, BURGUNDIÆ,
HANNONIÆ, HOLLANDIÆ, ZELANDIÆ,
NAMURCI, ZUTPHANIÆ,
COMITES.
SACRI ROM. IMPERII MARCHIONES,
FRISIÆ, MECHLINIÆ, ULTRAIECTI
DOMINI, ET DOMINÆ,
MUNIFICENTISSIMIS, ET BENEFICENTISSIMIS PATRIÆ
PARENTIBUS ISTA SACRÆ ANNUNTIATIONIS DEIPARÆ

ICON,

a) Loc. ibid. cit. ſeu tom. II. liv. I. p. 138. b) Ibid. tom. I. liv. VI. p. 105. col. 2.

ICON, GRATITUDINIS, ET MEMORIÆ ERGO
DICATA EST
ANNO 1663.

XXX. Inter inſcriptiunculas, quibus urbes ſingulæ, & feneſtræ inſignitæ, in arce *Lovanienſi*, cui teſte SWEERTIO a) Cl. *Erycius* PUTEANUS præerat, ALBERTUS, & ISABELLA ſub imagine ſolis & lunæ depictæ fuerunt, addito ſequenti hexaſticho:

Et *Lovanii.*

QUID TENEBRÆ POTERUNT? HIC PRINCEPS FULGET UTERQUE,
QUID NOX? AUSTRIACUM SPARGIT UTERQUE IUBAR.
ILLE NOVA SOLIS, LUNÆ HÆC SUB IMAGINE RIDET:
HOC SATIS, UT REDEAT QUIDQUID IN ARCE FUIT.
LUX REDIT: AT NOX ATRA FUIT, COMITESQUE TENEBRÆ.
NEMPE FUIT CLARO DIGNA MINERVA DIE.
S. P. Q. LOVANIENSIS.

CAPUT VI.
PHILIPPUS III. REX HISPAN.
NEC NON
EIUS UXOR, ET PROLES.

§. I.

Initium hic facit effigies PHILIPPI iuvenis, in pedes erecti, qua ſpecie unacum icone ſororis ſuæ ISABELLÆ in tenera adhuc ætate adumbratus, atque ex *Hiſpania* in *Auſtriam* miſſus, in ædibus Archiducalibus *Eberſtorſianis* olim adſervabatur. Thorax, femoralia, atque inflexum pallii patagium, ſericea, coloris ſunt rubei, ex albo undulati: tibiarum tegumenta ex integro rubent, calcei contra candidi ſunt, conſtrictis in circulos ligamentis rubeis ornati. Pallium nigrum eſt, flaviſque limbis deſcriptum: pileus, menſæ impoſitus, eodem colore infectus, rubentibus tamen, albeſcentibuſque plumis decoratur; ut adeo in ſingulis fere veſtimenti partibus inſignium *Auſtriacorum* colores, albus ſcilicet, & ruber, promicet.

PHILIPPI effigies *Eberſtorfiana.* TAB. LIX. N. I.

II. Altera eius icon a *Dominico* CUSTODE *Aug. Vindel.* anno 1600. adeoque ætatis eius ſecundo, & viceſimo, in lucem emiſſa fuit. Lorica indutus eſt, & pallio, pellibus ſubducto, nec non torque aurei velleris, ut & in ſequentibus. Caput conſtanter attonſum apparet, more, ab avo anno 1529. ut diximus, introducto. Adiicitur titulus:

Et ex *Dom.* CUSTODE. N. 2.

PHILIPPVS III. AVSTRIVS HISPANIÆ TOTIVS, ET INDIÆ VTRIVSQ. ETC. REX CATHOLICVS.

Nec

a) L. c. pag. 668. ſed alterius, quam hic citari ſolet, editionis.

Tab. lix. Nec non & ſequens hexaſtichon:

> Cui subiecta fuit tellus Burgunda, PHILIPPUS
> Agnomen meruit nobile ferre Boni:
> Tot populos, tot regna tenens ditione, tot urbes
> Par tritavo agnomen nonne, PHILIPPE, feres?
> Immo feres, et quo maior tibi portio mundi
> Paret, eo bonitas et tua maior erit.

Aliæ duæ protome: N. 3. 4.

III. Sequuntur duæ regis protome, in quarum altera armatus, & coronatus, cum patagio, ex pellibus muris *Pontici* confecto, myſtace, ac colli tegumento plano, non ut in ceteris, cæſitio, ac rugoſo, ſiſtitur. Poſt eius fata prodiiſſe, ex ſubiecto imagini titulo intelligitur. Educta eſt ex collectione Sereniſſimi Principis Eugenii, auctore *Petro* de Iode. Altera, ubi Philippus ſupra loricam trabea munitus, cetera autem priori fere ſimilis repræſentatur. in elegantiſſimo opere iconico Comitum *Hollandiæ*, a *Petro* Scriverio in lucem emiſſo, pictore Morone, reperitur. Subiectum forte carmen nobis excidit.

Itemque aliæ, cum corporis, animique deſcriptione. N. 5. 6.

IV. Parum inter ſe differunt hæ duæ protome Philippi, cataphractis munitæ. Priorem *Lucas* Kilian ſculpſit, poſterior ex thecis Heræi deſumpta, apud illuſtriſſ. quoque Comitem Khevenhillerum reperitur, a) nec non & in *theatro Europæo.* b) Ceterum brevi cum capillamento ubique comparet, *Auſtriam*, quam vocabant, in fronte geſtans, quem morem ad Carolum V. eiusque filium Ioannem ab *Auſtria*, referendum eſſe, iam animadvertimus. Porro effigiem huius Principis, non uſque adeo feliciter, laudabiliterque regnantis, mox laudatus illuſtr. auctor, teſtis oculatus, in epiſtola funebri ad Ferdinandum II. Imp. directa, adumbrat: c) Corpus illi fuiſſe, aſſerens, apta, ac concinna membrorum omnium compage conſtructum, nec defuiſſe illi prudentiam, mores faciles, elegantes, atque modeſtos: at voluntatem, miniſtrorum quorundam cupiditati, ac libidini, adeo ſubiectam, atque devinctam, ut nulla ratione, aut artificio ad melius conſtituendum regnum adduci, aut conſilia, ab optimis quibusque ſibi ſuppeditata, exſequutioni mandare potuerit. Unde illud, eo regnante, ad ſummam inopiam, anguſtias, & calamitates reductum fuerit, oppreſſis pupillis, & viduis, iuſtitia neglecta, theſauris regni exhauſtis. Quibus tamen haud obſtantibus, illuſtriſſimus auctor Philippum *Regem Sanctum* aliquoties appellare, nullus dubitat; illumque tanquam hominem privatum adeo pie & religioſe vixiſſe, ac mortuum fuiſſe, ut nihil ſupra. d)

Simulacrum Margarithæ, eius uxoris cum elogio. Tab. lx. N. 1.

V. Succedit ſimulacrum Margarithæ, Caroli *Styrenſis* filiæ, ac Philippi uxoris, ex tabula picta, quæ in arce regia, ad *bellum fontem*, vulgo *Schoenbrunn*, dicta, cubile olim quoddam ornabat,

a) Loc. cit. p. 131.
b) Tom. I. p. m. 611. ad. ann. 1621.
c) Annal. *Ferdinand.* tom. IX. col. 1240. ſeq.
d) Conf. etiam Schoenleben. proleg. Diſſert. polem. P. II. p. 176.

Tab. LX.

nabat, excerpta. Veſtis cinerei, ſubobſcuri coloris, limbis ſericeis albis, in modum reticulæ ductis, diſtincta, unionibus inſuper rutilat, ex quibus etiam armillæ conſtant. Manicæ ſuperioris veſtis albæ ſunt, interiores fiſſuris hiant. Ipſa denique MARGARITHA, dextra extenta, ſedili innixa, ſiniſtra flabellum tenet. *Hiſpanico* more ut veſtiatur, ante nuptias iuſſit Rex PHILIPPUS, atque ad id ducenta ducatorum *Hiſpanicorum* millia deſtinavit. a) Unde & *P. Le* QUILE ſcribit, b) eam in die ſolemni deſponſationis, XV. *Nov.* anni 1598. *Ferrariæ* ab ipſo S. Pontifice CLEMENTE VIII. peractæ, *candido amictu, unionum & gemmarum mundo inæſtimabilis pretii, & ſplendore excultam radiaſſe, ut lectiſſima illa orbis Margarita tota gemmea videretur.* Ceterum animi dotes ſi requiras, Princeps hæc a pietate, liberalitate, cultu SS. EUCHARISTIÆ, aliisque virtutibus bene multis, ab eius temporis Scriptoribus c) impenſe laudatur.

Icon ANNÆ, eius fil. N. 2.

VI. MARGARITHÆ adiungitur filia eius ANNA, LUDOVICI XIII. R. *Franc.* uxor. Auctores imaginis ſunt *C.* SAVARY, & *B.* GAULTIER. Collare ſingularis formæ eſt, nec tamen eo tempore incognitæ: ſinciput corolla ex unionibus, & floribus confecta, ornatur, ac manicis multæ fiſſuræ inductæ ſunt. Sub alia eius effigie hæc aliquando d) legebantur: ANNA, *Franciæ, & Navarræ Regina, Regis filia, Neptis, & Vxor, mater quoque futura, ſi Deus Gallorum vota, precesque audiverit.* Et audivit etiam, cum poſt trium, & viginti annorum ſterile matrimonium LUDOVICUM XIV. edidit. Hinc in eius epitaphio ſequens legitur diſtichon:

ET SOROR ET CONIUX, ET MATER, NATAQUE REGUM,
NULLA UNQUAM TANTO SANGUINE DIGNA FUIT.

Itemque altera, nomini eius dedicata: N. 3.

VII. Altera protome eidem Reginæ, ab auctore illius, *Balthaſare* MONCORNET an. 1660. atque adeo quinque ante ipſius obitum annis, oblata fuit, hac ſubiecta inſcriptione, Latine reddita: ANNA *Auſtriaca, Franciæ, & Navarræ Regina, Regis mater, ac* PHILIPPI III. *Regis Hiſpaniarum, &* MARGARITHÆ *Auſtriacæ,* CAROLI *Archiducis filiæ,* FERDINANDI*que Imperatoris ſororis, filia, in hanc lucem Valliſoleti an.* 1601. *edita, felicis memoriæ* LUDOVICO XIII. *Franciæ, & Navarræ Regi, die XXV. Novemb. anno* 1615. *matrimonio iuncta,* LUDOVICUM XIV. *hodie regnantem, poſt annos a celebratione nuptiarum tres, & viginti, ac interiectis annis duobus,* PHILIPPUM *Ducem Andegavenſem dedit. Defuncto Rege anno* 1643. *regni adminiſtratrix proclamata, tantum ex eo tempore hoſtibus armorum ſuorum terrorem incuſſit, ut inſignium illarum victoriarum, quas de iis poſtea Rex ipſe reportavit, quaſi prænun-*

a) Teſte illuſtr. KHEVENHILLERO *Annal. Ferd.* tom. V. col. 1876.
b) In fragm. quodam Mſc.
c) Vid. CZERWENKA lib. III. C. XXI. pag. 491. HAUTINUS lib. II. de SS. EUCHARISTIA. p. 561. KHEVENHILLER, aliique.
d) In TONIOLÆ *Baſil.* ſepultæ append. pag. 104.

Tab. LX. *nuntia fuerit. Regni administratione perfuncta, celebri illi actioni, qua Rex, eius filius, regimini per ætatem idoneus declaratus fuit, die VII. Septembris anni* 1651. *præsens ipsa adfuit.* In Nummotheca nostra numisma produximus, quod ultimam hanc solemnitatem ad diem VI. *Septembris* reponit: at, cum auctor vitæ tam LUDOVICI XIV. a) quam & ANNÆ b) eius matris, cum hac nostra inscriptione correspondeat, facile credimus, ibi errorem aut chalcographi, aut monetarii obversari.

Unacum corporis, animique descriptione. VIII. Non est elogium maius huius Reginæ, quam quod ei testis omni exceptione maior, LUDOVICUS *Magnus*, eius filius, vixdum fatis defunctæ tribuit, dicens: *Matrem suam non modo magni nominis Reginam fuisse, sed & magnos inter Reges locum ei iure meritoque deberi.* c) Externam eius speciem nobis graphice, & haud dubie verissime pinxit biographa eius, vitæque comes quasi individua, Domina de MOTTEVILLE hunc in modum: „In vultu „magnæ huius Reginæ facile erat legere gaudium eius internum, „id quod illam, licet annos ætatis tum novem & quinquaginta „habentem, adeo venustam reddebat, ut cum Regina, nepte sua, „de formæ elegantia quasi certare potuisset, cui revera tanta for- „mæ dignitas haud inerat, quanta amitæ eius. Regia enim mater „vultus lineamentis præstabat, statura etiam grandior, corporis ha- „bitu dignior, ac plena maiestatis, orisque specie multo formosior „erat: excellebat præterea manuum, brachiorumque forma. d)„ Hæc illa; ex cuius descriptione insimul colligi posse vedetur, simulacrum hoc posterius haud paullo accuratius esse præcedenti: quamquam & ætas diversa eiusmodi discrimen facile inducere queat. Eadem biographa & animi eius dotes, & ceteras virtutes, prorsus regias, desideranti plena manu porriget.

Breviarium vitæ CAROLI Infantis, IX. Inter PHILIPPI III. filios natu secundus erat CAROLUS, in hunc mundum anno 1607. die V. *Septembris* editus, atque anno 1632. die XXX. *Iulii* in flore ætatis ad plures vocatus. Equidem in Pinacotheca, ad *Annales Ferdinandeos* illustr. KHEVENHILLERI pertinente, mortem illius anno uno serius contigisse refertur, sed haud dubie mendose; cum in Annalibus dictum annum 1632. legamus, e) cumque iis faciat *Theatrum Europæum*, f) aliaque eius temporis monumenta. Hinc & ibidem emendatione opus est, ubi Princeps annum ætatis sextum & vicesimum attigisse asseritur; cum tamen vicesimum quintum haud compleverit.

Eiusque simulacrum, N. 4. X. Illius imago, prout hic num. 4. exhibetur, e tabula picta, in dicta arce *Schœnbrunn* olim adservata, excerpta fuit. Thorax, & pallium nigri, femoralia ex tela bombicina rasa, seu Attalica, albi colo-

a) Editæ *Amstelodami* per H. B. de LIMIERS an. 1717. liv. II. p. 406.
b) Memoires pour servir a l' Histoire d' ANNE d' *Autriche* par Madame de MOTTEVILLE tom. IV. p. 276. seq. Ubi instrumentum eius temporis publicum affertur.
c) Ibid. tom. V. p. 488.
d) Loc. cit. p. 113.
e) *Annal. Ferdin.* tom. XII. col. 432.
f) Tom. II. p. 777.

coloris ſunt, aureisque limbis diſtincta, tibialia, & calcei non minus, ac manicæ, fiſſuris, pro eorum temporum more, ornati, pariter albeſcunt. Strenuum fuiſſe Principem, attamen melancholia, ſeu atra bile laboraſſe, in ſupra dicta Pinacotheca legimus. Tab. LX.

XI. Adduntur duæ CAROLI protome, quarum prior ex thecis HERÆI educta, laudatam quoque illuſtr. KHEVENHILLERI Pinacothecam exornat. Altera ſummi artificis *Petri Pauli* RUBENII opus, a chalcographo *Petro* de IODE edita, titulum præfert, mox dicta de ætate Principis confirmantem. Neutra ſingulare aliquid habet: videre tamen eſt, morem illum, capillamentum breve, & attonſum, atque a fronte exſurgens, geſtandi, exemplo CAROLI V. & eius filii nothi IOANNIS ab *Auſtria* introductum, nec huic Principi diplicuiſſe. Et duæ protome. N. 5. 6.

XII. Secus egit frater illius FERDINANDUS, cuius hic protomen, tanquam S. *Rom.* Eccleſiæ purpurati damus, a Celeber. *Antonio* van DYCK pictam, a *P.* PONTIO æri inciſam, ubi comæ, a fronte reductæ, ſuggeſtus quidem obſervatur, ipſi tamen capilli ad humeros usque deſcendunt. Additur imagini hocce elogium: FERDINANDUS *Auſtriacus*, *S. R. E. Cardinalis*, *Catholicorum Monarcharum* PHILIPPI II. III. IV. *nepos*, *filius*, *frater*. CAROLI V. *Imp. pronepos*, *Chriſtianæ gentis*, *& fidei bono genitus. Proſtratis apud Nordelingam S. R. Imp. hoſtibus*, *auguſtis auſpiciis Belgii habenas Bruxellis ſuſcepit* 1634 *IV. Novemb. Gloriæ*, *æternitatique tanti Principis devotus An. van.* DYCK *eq. D. D.* De memorabili hoc ad *Nordlingam* prœlio, quo de inſcriptio mentionem iniicit, dictum eſt tomo præcedenti ad nummos huius Principis. a) FERDINANDI icon in habitu *Cardinalitio*, Tab. LXI. N. 1. a

XIII. Sequentia duo ſchemata FERDINANDUM tanquam militem exhibent, ac *Belgii* Gubernatorem, faſcia ſcilicet militari, parazonio, gladioque inſtructum. Primum ſumptuoſiſſimo operi, ſtudio GEVARTII elaborato, atque ab *Antverpienſibus* anno 1635. *Archiduci* dedicato, præfixum eſt. Unde Principem annum tum quintum, & viceſimum agentem, repræſentat. Adiicitur in calce titulus: FERDINANDUS *Auſtriacus*, *Infans Hiſpaniarum*, PHILIPPI III. *filius*, *Belgarum Gubernator*. Artifices imaginis ſunt: *A. T.* *van* THULDEN, pictor, & *I.* NEFFS, ſculptor. Schema alterum hanc ſubſcriptionem præfert: FERDINANDUS AUSTRIACUS S. R. E. CARDINALIS, BELGARUM, BURGUNDIONUMque GUBERNATOR. *Ant. van* DYCK *pinxit. Pet. de* IODE *fecit. Ioannes* MEYSSENS *excudit.* Et militari, N. 2. 3.

XIV. Quarto tandem loco FERDINANDUS iterum armatus, & parazonio inſtructus, equo inſidet. Sic videlicet adumbratus a *Petro Paulo* RUBENIO, ſculptusque a *Paulo* PONTIO, in pompa introitus ſui in urbem *Antverpienſem* an. 1635. adornata, & ibidem a *Caſperio* GEVARTIO anno 1641. edita, reperitur. Unde colligitur: Itemque equo inſidentis. N. 4.

a) P. I. p. 206. num. XXXVIII. ſeq.

gitur: illum tunc hoc ornatu urbem *Antverpienſem* introiiſſe. Subiectum ſimulacro tetraſtichon ſic ſonat:

COELI PROGENIES, VINDICTÆ FULMEN IBERÆ
CERTA SALUS BELGIS, DELICIUMQUE SUIS.
FERNANDUS SIC ORA GERIT: SIC MARTIUS ARDOR,
ET PAX AUGUSTA SPIRAT IN EFFIGIE.

De huius introitus pompa ſingularem librum edidit dictus GEVARTIUS, ubi arcus triumphales, aliaque publicæ lætitiæ ſigna deſcribuntur.

INSCRIPTIONES.

Fontem publicis uſibus conſtrui curat. Rex PHILIPPUS, a

XV. NEAPOLI in via publica foris horti, vulgo *Poggio Reale* dicti, fons conſpicitur a) cum inſcriptione:

PHILIPPO III. REGE,
IOANNE ALPHONSO PIMENTELLO OPTIMO PRINCIPE,
EIUS IN HOC REGNO VICEM IMPLENTE,
IN HOS ÆRE PUBLICO EXTRUCTOS FONTES
SUBTERRANEIS E CUNICULIS IMMISSÆ SUNT SALIENTES AQUÆ,
PRÆTEREUNTIUM OBLECTATIONI, ET USUI, AC LUCI AMENISSIMI ORNAMENTO A. D. M. D. C. V.

Devotus erga B. VIRGINEM. b

XVI. ANTVERPIÆ in feneſtra ſupra portam maiorem alteram eccleſiæ Cathedralis B. V. MARIÆ hæc leguntur: b)

PHILIPPO III. HISPANIARUM, INDIARUMQUE MONARCHÆ,
AFFECTUS SUI IN HANC ÆDEM, ET URBEM, CULTUSQUE
ERGA TRONAM (patronam) DEIPARAM, SIMBOLUM POSUIT, REGIS MANDATO.

D. ALPHONSUS DE CUVE, MARCHIO DE BEDMAR. R. M. CONSILIARIUS, ET LEGATUS IN BELGIO, A. M. DC. XXI.

FERDINANDUS fundamentalem templi lapidem ponit. c

XVII. Inter cetera pietatis opera, a FERDINANDO, dum *Belgium* gubernaret, edita, novo quoque *Thereſianarum* Virginum templo exſtruendo prima fundamenta ſuis ipſe manibus *Antverpiæ* poſuit, c) hac inſcriptione lapidi inſculpta:

URBANO VIII. ECCLES. REGENTE,
FERDINANDO II. IMPERANTE,
PHILIPPO IV. CATHOL. REGNANTE,
HUNC LAPIDEM FUNDAMENTALEM
FERDINANDUS
D. G. HISPANIARUM INFANS
POSUIT
XIX. APRIL. ANNO CHRIST. CIↃ. IↃ. C. XXXV.

CAP.

a) Teſte MORMILO l. c. p. 67.
b) Dans le Grand. Theatre de *Brabant.* tom. II. P. I. p. 34.
c) GEVARTIUS in pompa introitus FERDINANDI Inf. *Hiſp.* p. 170.

CAPUT VII.

PHILIPPUS IV. HISPANIARUM REX,

EIUSQUE

UXORES, ET LIBERI.

§. I.

Quæ hic primo loco occurrit protome, PHILIPPUM IV. adversa fronte, coronatum, lorica, trabea, & aureo vellere exornatum, sistens, ex sumptuosissimo opere iconum *Hollandiæ Comitum*, a *Petro* SCRIVERIO edito, exsumptum fuit, pictore P*etro* P*aulo* RUBENIO. Sculpsit quoque PHILIPPI effigiem *Lucas* KILIAN, sed quæ ad latus operis RUBENIANI adponi haud meretur. Iuvabit tamen adscriptum eidem hexastichon recitare:

Protome PHILIPPI IV. cum nativitatis epocha. TAB. LXII. N. 1.

REX TENET HIC CLAVUM, MAGNAM DUCITQUE CARINAM,
SOLUS HIC EST HELICE, SOLUS HIC ILLE PHAROS,
HINC NUBES FUGIUNT, TIMIDI FLUCTUSQUE QUIESCUNT,
ET PLACIDE SURGUNT SIDERA FAUSTA RATI.
VICTOR PLUS BONITATE SUA, QUAM ROBORE POLLET,
POSCUNT REGNA FIDEM: TELA INIMICUS AMAT.

In ambitu vero imaginis hæc leguntur: PHILIPPVS IV. DOMINICVS, VICTOR, AVSTRIACVS, HISPANIÆ TOTIVS, ET INDIÆ VTRIVSQUE ETC. REX CATHOLICVS, *natus Vallisoleti an.* 1605. 8. *Aprilis*, *hora* 9. *p. m.*

II. Addimus effigiem PHILIPPI, eodem RUBENIO auctore, anno 1635. quasi in numismate, & obliqua facie expressam. Eduximus illam ex pompa introitus, honoribus FERDINANDI *Austriaci* a *S. P. Q. Antverpiensi* decreta, & adornata. Extat quoque in amplissima collectione Sereniss. Principis EUGENII de *Sabaudia* T. III. pag. 84.

Alia, eius honoribus dicata: N, 2.

III. Simulacrum PHILIPPI cumprimis etiam sincerum, & nativum est, quod illum in pedes erectum exhibens, in sæpius laudata *Archiducali* arce *Bellofontana* olim extabat. Veste obtegitur, more *Hispanorum*, penitus fusca, nisi qua per manicas, reticulatim incisas lineæ candor subuculæ prominet. Cæsaries ad humeros pene defluit (secus ac eius progenitores, pater, avus, proavusque consueverunt) retento tamen more, eam a fronte reducendi: collaria quoque iam non rugata, ac cæsitia sunt, sed plana omnino. Quantum porro ad externam huius Regis speciem attinet, eam supra laudata Domina de MOTTEVILLE brevibus adumbrat: sibi visum esse, dicens, Regem *Hispaniæ* esse facie admodum liberali, optimæ indolis præbente indicia. a)

Tertia, cum corporis, animique habitu. N. 3.

a) Loc. cit. tom. V. p. 84.

Itemque tres aliæ. TAB. LXII. N. 4. 5. 6.

IV. Quæ ſe ordine excipiunt tres PHILIPPI protome, haud magno inter ſe diſtant intervallo. Prima auctores habet mox laudatum RUBENIUM, & PONTIUM. Secundam *Wenceslaus* HOLLAR *fecit* 1652. *Corn.* GALLE *excudit*, appoſito titulo PHILIPPUS IV. *Hiſpaniarum*, *&* *Indiarum Rex Catholicus*. Tertiam denique *Seb.* IENET *fecit*, *G. L. excudit*, adiecto elogio, operisque dedicatione: D. PHILIPPO IV. AUSTRIO, HISPANIARUM, INDIARUMQUE REGI CATHOLICO, SUPRA OMNES RETRO PRINCIPES POTENTISSIMO, PIO, FELICI, PATRI PATRIÆ.

Icon ISABELLÆ ux. I. cum veſtitu *Hiſpanico*. TAB. LXIII. N. 1.

V. Prima PHILIPPI uxor, ISABELLA, ſeu ELISABETHA *Borbonia*, HENRICI IV. Regis *Francorum*, filia, hic ſiſtitur, auctore *Petro* de IODE. Collare rugatum, veſtisque reliqua, variis inciſuris diſtincta, morem *Hiſpanicum* oſtendunt: ſuſpiciendi quoque ſunt capilli, in poſteriori capitis parte collecti, atque unionibus exornati, id quod in protome etiam ſequenti obſervatur.

Altera, cum corporis, animique adumbratione. N. 2. a

VI. Quæ proxime adiungitur protome eiusdem Reginæ, a ſæpius laudato RUBENIO, & PONTIO proficiſcitur, nec a præcedenti multum diſcrepat, niſi quod hic ætate grandior exhibeatur. Supra laudata Domina de MOTTEVILLE eius corporis, animique dona hunc in modum deſcribit: a) „ISABELLA *Francica*, *Hiſpaniæ* Regina, (ait ad annum 1644.) ingruente hieme mortem oppetiit, „digna profecto HENRICI *Magni* filia, digniſſimaque, quam *Europa* tanti fecerit. Ingens ſui in toto regno deſiderium reliquit, „lugente eam, a quo ſumme colebatur, populo: Rege tamen, marito eius, illam non ſemper pro merito diligente; quippe qui ſibi, „ut ne quid gravius dicam, arrogabat nimium. At morientis demum & dotes, & indolem longe pulcherrimas agnoſcere cœpit. „- - - Memini, me a piæ memoriæ matre mea (cui ex *Hiſpania* reduci licuit eſſe tam felici, ut huic Principi paullo ante ſuum e „*Gallia* abitum innoteſceret) accepiſſe, eam tum pulchra, & venuſta facie fuiſſe, abiiſſeque e *Gallia* animo non parum læto; quod „tanti regni futura foret Regina.„

MARIÆ ANNÆ, uxoris II. protome cum elogio. N. 3.

VII. Altera PHILIPPI uxor MARIA ANNA, FERDINANDI III. Imp. filia, hac ſpecie in tabula picta Cæſareæ arcis *Eberſtorffianæ* olim aſſervabatur. Florenti ætate ſiſtitur, &, ut ex pileo *Archiducali*, qui ſolus menſam exornat, fere colligitur, antequam Regina *Hiſpaniæ* ſalutaretur. Cyclas flammata aureis, argenteisque limbis denticulatis deſcribitur, perizonium, & manicæ ex candidis denticulis componuntur. Maximæ ſpei in prima iam iuventute ſpecimina edidiſſe hanc Principem, oportet; quando illuſtriſſ. Comiti KHEVENHILLERO, opus ſuum circa annum 1642. aut 43. edenti, *pulchra, venuſta,* atque *amabilis Archiduciſſa* audit, b) iis virtutibus, atque animi donis ſe ſe iam iam exerentibus, ut ſe prolem tam piis, tamque virtuti adeo deditis parentibus dignam comprobaret. Teſtatur

a) Ibid. tom. I. p. 289.

b) In laud. Pinacotheca tom. I. p. 81.

ſtatur præterea: illam in tenerrima adhuc ætate legendi, ſcribendique, quin & ſaltandi artes iam iam edidiciſſe, nec in exprimendis aulæ ritibus, moribusque, ad honeſtatem compoſitis, adultis quidquam ceſſiſſe. Affert deinde oratiunculas binas, alteram *Latina*, qua patrem, *Hiſpanica* alteram linguis conceptam, qua matrem an. 1641. *Ratisbona* reduces, excepit.

TAB. LXIII.

VIII. Duæ hæ protome, quarum prior ab *Elia* WIDEMAN an. 1645. ſculpta, item a *Petro* de IODE excuſa, *Pariſiis* apud MONCORNET proſtabat, in tomo III. collectionis Sereniſſ. Principis EUGENII p. 91. reperta fuit. Alteram, a *Ferd.* BOULTATS æri inciſam, *Merlenſes* excuderunt *Antverpiæ*, adiecto titulo: ANNA MARIA (pro MARIA ANNA) *Hiſpaniarum & Indiarum Regina.* Capillamenta utriusque imaginis lapidibus pretioſis operoſe obſita, & ornata ſunt, nec ad reliquum cultum quidquam deeſt. Simili ſpecie in numiſmate quodam, a nobis in Nummothecæ P. I. tab. XLIII. num. XXIV. exhibito, comparet. Cultus tamen iſte, neſcio, quid hodiernis oculis ingratum ſaperet; maxime, quod capilli iſti nimium diſtenti, & quaſi inflati videantur; ſed ea tempeſtate uſus ſic tulit, & inſtitutio hominum. Animadvertendum porro, collaria illa cæſitia, ac rugata, quæ ut vidimus, priori PHILIPPI coniugi adhucdum placuit, diſplicuiſſe huic poſteriori.

Adiectis duabus imaginibus aliis. N. 4. 5.

IX. Adiungimus præſens ſimulacrum, ad fidem archetypi, in arce *Bellofontana* adſervati, delineatum. Pictor Reginam ampliſſima, pro more eius temporis, crocota, roſeo, intexto auro, colore infecta, indutam exhibuit, fluctuantesque capillos, divite exornans cultu, manui dextræ flabrum, ſiniſtræ ſudarium indidit. Videtur autem cum ex cultu, tum ex reliqua vultus ſpecie, pictam fuiſſe tabulam, cum in *Germania* adhuc degeret Princeps, ac fortaſſis non multo ante, quam ad nuptias, cum PHILIPPO in *Hiſpania* celebrandas, proficiſceretur, de quibus fuſe *Theatrum Europæum*, a) inter cetera arcum quoque triumphalem exhibens, eiusdem honoribus *Tridenti* dedicatum.

Cum ſimulacro, in arce *Bellofontana* aſſervato. N. 6.

X. Tandem MARIAM ANNAM ſub ſpecie, & habitu viduitatis, cuius moleſtias annis uno & triginta fortiſſime tulit, repræſentamus. Prototypon in arce *Archiducali Eberſtorffiana* olim adſervabatur. Effigies magnitudine iuſtam, mulierique convenientem ſtaturam adæquat, ſiſtitque Reginam lugubri, albo, atroque coloribus variata veſte, qualis viduam Principem in *Hiſpania* decet, indutam. Tunica nempe, & velum nigra ſunt, operimentum vero, faciem incingens, ac veſtis exterior, humeros, brachia, ac reliquum ad genua uſque corpus tegens, linteo amiculo, contrario videlicet colore, albeſcunt. Protome illa quaſi ex ære fuſa, atque menſæ impoſita, Regem PHILIPPUM coniugem deſignat.

Eadem MARIA ANNA vidua. N. 7.

XI.

a) P. VII. p. 484. & 879.

Balthasaris memoria. Tab. LXIV. N. 1. 2.

XI. Inter maſculos PHILIPPI filios natu maior erat BALTHASAR CAROLUS, cuius reliqua nomina, & nativitatis tempus, ex ſubiecta imagini inſcriptione innoteſcunt. Auctor illius eſt *Petrus* de IODE. Proximum eius ſchema ex cenotaphio, *Antverpiæ*, cum iuſta eius funebria perſolverentur, erecto, deſumpta fuit. Manicæ & baltheus albi, reliqua violacei coloris ſunt. Deceſſit VII. *Id Octobr.* an. 1646. ingenti cum *Hiſpaniæ* luctu.

Mariæ Thereſiæ icon cum capillorum deſcriptione: N. 3.

XII. Longius, fortunatiusque ſuam vitam protraxit ſoror illius MARIA THERESIA, LUDOVICI XIV. Regis *Franciæ*, uxor, cuius effigiem, ex thecis *Heræanis* eductam, hic proferimus. Capillorum cultus, ornatusque, haud ſecus, ac præcedentis Reginæ, MARIÆ ANNÆ, ad morem *Hiſpanicum* compoſitus videtur. De ea ſupra laudata Domina de MOTTEVILLE in vita ANNÆ *Auſtriacæ*, a) ubi adventum eius in *Galliam* deſcribit, hunc in modum diſſerit: „MARIÆ THERESIÆ capilli nativi (ait) conſpicui haud erant, quip„pe commentitios habentis, quos *Hiſpani Monus*, id eſt, fictitios, „appellant. Petebam ab illa, videre proprios, quos ut oſtendit, „non poteram non laudare eorum venuſtatem.„ Nimirum uſque eo progreditur curioſitas muliebris.

Altera cum corporis ſpecie, N. 4.

VIII. Præcedenti ſimilis eſt icon ſequens, ſupra nominatos *Fridericum* BOULTATS, ac *van* MERLEN habens auctores. Corporis formam ſi quis exigat, eam ſatis ſtudioſe obſervavit mox latata Domina de MOTTEVILLE. b) „Regina Infans *Hiſpaniæ* (inquit) „parva, ſed præſtanti forma erat, admirabundasque nos tenuit can„dor eximius, ceteræque corporis eius partes. Oculi illius cæſii „nobis pulchri videbantur, quin lepor, ac fulgor faſcinabant: lau„dabamus & oris ſpeciem, ac labia eius non nihil tumida, ſubru„bidaque. Facies etſi oblonga, inferne tamen in rotunditatem de„ſinens, ſe ſe nobis probavit, nec genas eius, quanquam non nihil „extantes, ſua defraudare poteramus laude. Porro capilli flavi fe„ſtivis eius faciei coloribus apprime reſpondebant. Et, ut dicam, „quod res eſt, ſi ſtatura paullo grandior, dentesque illi pulchriores „fuiſſent, merebatur profecto inter perſonas totius *Europæ* formo„ſiſſimas adnumerari.„ Hæc illa, nonnulla addens de iugulo eius, quod ſatis pulchre formatum, ſatisque pingue fuiſſe aſſerit: plura vero de eius veſtitu, qui ſibi totus quantus diſplicuit.

Ac tertia cum habitu animi. N. 5.

XIV. Subſequitur itaque icon alia, ex collectione imaginum ſæpe laudati D. Baronis de BUOL educta, MARIAM THERESIAM tanquam Reginam *Franciæ*, ut ex adiecta corona intelligimus, repræſentans, adeoque habitu, & ornatu *Gallico*: cui, ut ante corporis, ſic nunc animi habitum deſcriptum adiicere liceat. Suppeditat illam breviter D. de LIMIERS c) hisce coloribus: MARIA THERE-

„SIA

a) Tom. V. p. 89.

b) Ibid. p. 86. Itemque p. 49. ubi litteras fratris ſui, idem affirmantis, adducit.

c) Dans l'Hiſtoire du regne de Louis XIV. liv. VII. p. 115.

„ SIA *Auſtriaca* (ait) omnibus, & ſingulis virtutibus, ſexui ſuo con-
„ venientibus, apprime inſtructa fuit, præprimis vero laudanda ab
„ eximia pietate, fide, & amore adverſus Regem. - - - Vita illius
„ non niſi continuum virtutis exercitium erat, nihilque unquam
„ *modeſtiam*, atque *prudentiam*, virtutes ſibi quaſi proprias, ac in-
„ natas, turbare poterat, moriensque ſigna dedit longe maxima ſuæ
„ cum voluntate Divina conſenſionis. Rex ingentem ex eius mor-
„ te dolorem concepiſſe videbatur, ac in tota *Gallia* ſummum er-
„ ga ſe relinquebat deſiderium. „

TAB. LXIV.

XV. Quod ultimum in hac tabula locum occupat ſimulacrum, ex arce Archiducali *Eberſtorffiana* eductum, a pictoribus BEAUBRUNS anno 1666. adeoque ſex ab eius nuptiis annis, adumbrata fuit. Itaque titulus *Germanicus*, inferne legendus, eamque iam defunctam indigitans, non niſi poſt mortem eius, quæ anno 1683. obtigit, adiectus fuit. Colores veſtium ſcutum *Gallicum* imitantur: crocota nimirum cærulea, aureis conſperſa liliis: pallium contra pellibus murium *Ponticorum* munitum cernitur.

De tabula *Eberſtorffiana* iudicium. N. 6.

XVI. MARGARITHA, PHILIPPI IV. Regis filia, *Madrilii*, ſeu *Madriti* anno 1651. die XI. vel. XII. *Iulii*, ut ſtatim dicemus, ex MARIA ANNA prognata, LEOPOLDO *Magno Rom.* Imp. ann. 1666. die XII. *Decembris* matrimonio iuncta fuit, nuptiis inſigni, ac poſt hominum memoriam magnificentiſſima pompa *Vindobonæ* celebratis. Vita exceſſit anno 1673. die XII. *Martii*, cum, tribus ante ſe Auguſtis prolibus in cœlum præmiſſis, unam poſt ſe reliquiſſet.

Breviarium vitæ MARGARITHÆ.

XVII. Eam equo ornatiſſimo inſidentem *Antverpiæ* excudit van MERLEN, cumque in titulo, mox recitando, LEOPOLDI Imp. ſponſa vocetur, credibile omnino eſt, imaginem ſub ipſam profectionem eius ex *Hiſpania* in *Germaniam*, aut ſub nuptiarum ſolemnia; adeoque anno ætatis illius XV. aut XVI. prodiiſſe. Memoratus titulus, in calce tabulæ legendus, ſic habet: MARGARETHA de *Auſtria*, PHILIPPI IV. *Hiſpaniarum Regis filia*, LEOPOLDI *Imperatoris ſponſa. Nata* 6. *Auguſti* 1651. *The. van* MERLEN *exc. Antverpiæ.*

Quæ equo inſidens exhibetur. TAB. LXV. N. 1.

XVIII. Ubi tamen animadverſione dignum eſt, diem & menſem nativitatis eius hic mendoſe conſignari; cum monumenta eius temporis die XI. vel. XII. *Iulii* prodant. a) *Theatrum* certe *Europæum* res circumſtantes alias iuxta refert, quæ diem ſextum *Auguſti* haudquaquam admittunt; ut inter cetera: fonte S. baptiſmatis die S. IACOBO *Apoſtolo* ſacra ablutam fuiſſe, id quod ſexto *Auguſti* eius anni natæ accidere haud poterat. De ea alibi dicendi locus recurret.

Quo die nata? a

XIX.

a) Relationes *Francofurtenſes* p. 85. Theatrum *Europæum* P. VII. p. 145. Ubi tamen dubium videri poſſet, an ſtilo veteri, vel novo computent? Relationes certe *Francofurtenſes* ſic habent: 12. 2. *Iulii Theatrum* contra *Europæum* 12. *Iulii* ponit, præter conſuetudinem de ſtilo nihil addens. SCHOENLEBENIUS tamen in *Ephemerid.* illuſtr. FUGGERUM, ſeu BIRCKENIUM ac Mſc. ſecutus, undecimum *Iulii* ponit, aſſerens tamen, aliud Mſc. 12. *Iulii* præferre: quæ quidem epocha nobis veriſimilior videtur.

IOANNIS ab *Auſt.* icon, TAB. LXV. N. 2.

XIX. Agmen tandem claudit IOANNES ab *Auſtria*, PHILIPPI IV. filius, ex conſortio ſuſceptus. Subſcribitur titulus: *Sereniſſimus Princeps* IOANNES *Auſtriacus*, additurque nomen artificis de WEES *exc.* Armatus exhibetur, cum faſcia militari, ac petaſo plumato in capite.

Eiusque vultus, a

XX. Hic, ut biographus eius teſtatur, a) matrem habuit CALDERONAM *Comicam*, quæ cum illum anno 1629. peperiſſet, poſtea monaſterium ingreſſa eſt. Tredecim annos natus, a patre pro legitimo declaratus fuit anno 1642. Patrem vultu referebat, exceptis capillis, quos a matre nigros tulit, colore pellis, *Hiſpanorum more*, obfuſco. Linguas *Latinam*, *Gallicam*, *Italicam*, atque *Hiſpanicam* calluit: atque in *Matheſi* excellens, artes ceteras haud ignoravit. Et alibi: b) „Saturæ (inquit) mediocris erat, membris „omnibus rite inter ſe coaptatis, oculis nigris, atque acutis, capil„litio longo, ac nigreſcente, quod tamen iam iam caneſcere cœpe„rat. In familiari congreſſu ſuavis, gratusque omnibus erat. - - - „Munditiem, & nitorem in veſtitu amabat, ſuique ingenii perſpi„cacia ceteros facile ſuperans, quinque linguarum generibus bene „ſcribebat, & loquebatur, pluresque intelligebat. Peritus erat ar„tis pictoriæ, auri fabrilis, & chimiæ. Callebat & hiſtoriam, cum„que primis illi in deliciis erat *Matheſis*. Præcipue autem in eo „elucebat religionis cultus, cui ſummopere deditus erat; quanquam „id invidi pſeudopolitiæ tribuerent, volenti, ut religioſus appareas, „quantumvis ſceleratus ſis.„

Mentisque lineamenta. N. 3.

XXI. Ambæ ſequentes protome tam parum inter ſe differunt, quam a præcedenti, niſi ætate, & tempore. Ubique autem loricatus, cum faſcia militari comparet, tanquam belli-Dux non ultimi nominis, & celebritatis. Pacavit enim non modo regnum *Neapolitanum*, ſed & in *Belgio* rem ſtrenue geſſit; quin & ipſa Monarchia *Hiſpanica* aliquamdiu ſuo paruit arbitrio, ut alibi diximus. Eundem etiam deſcribit ſæpe excitata Domina de MOTTEVILLE: c) „Vidi (aiens) hunc Principem, qui, ut ut nothus, magnam tamen „ſibi ſumebat auctoritatem. Famulabantur illi viri primarii, qui„que comitabantur, ex nobiliſſimis erant *Hiſpanorum*. Parva qui„dem, ſed eleganti ſtatura videbatur, læta facie, oculis cæſiis, ac „igne plenis, manibus, ut apparebat, formoſis: & quantum ad no„tas phyſiognomicas, eæ certe virum ingenio præſtantem prode„bant.„ Deſumpta eſt hæc protome ex collectione HERÆI, & apud illuſtriſſ. quoque KHEVENHILLERUM reperitur.

Crucem *Melitenſem* cur geſtet? N. 4.

XXII. In altera hac icone obſervanda eſt crux *Melitenſis*, quam ut magnus Prior *Caſtiliæ* eiusdem ordinis gerit. Subſcriptus eſt imagini titulus: *Don* GIOVANNI *d' Auſtria*, *Generaliſſimo de tutte l' armi die S. M. Catt^a. nelle Spagne A^o.* 1665. quæ epocha in annum

a) Vita di GIOVANNI d' *Auſtria* pag. 5. ſeqq. præſertim p. 8.
b) Pag. 629. ſeq.
c) Loc. cit. tom. V. p. 9.

num ætatis eius ſextum, & triceſimum incidit. Additur & nomen artificis: *Corn. Meyſſen fec. Viennæ.*

INSCRIPTIONES.

XXIII. Cum CAROLUS, *Walliæ* Princeps, qui poſtea ſub CAROLI I. *Angliæ* Regis nomine innotuit, anno 1623. poſt pactas cum MARIA Infante nuptias, *Hiſpania* abſcederet, a PHILIPPO IV. columna, primo ab urbe *Madrito* milliari, quo loco Principes invicem disiuncti ſunt, poſita fuit a) his inſcriptis litteris:

CAROLUS, *Walliæ* Princeps, ex *Hiſpania* diſcedens, columna honoratur.

HIC, UBI FAUSTA SORS TULIT AD PRÆRUPTI MONTIS RADICES
IN LATE PATENTI CAMPULO, SOLENNI REGUM VENATIONE
NOBILI, SED INSOLENTIS REI EVENTU LONGE NOBILIORE.

a

PHILIPPUS QUARTUS HISPANIARUM, INDIARUMQUE REX CATHOLICUS, ET CAROLUS SERENISSIMUS WALLIÆ PRINCEPS, PACTIS CUM MARIA SERENISSIMA INFANTE NUPTIIS, AD QUAS PETENDAS (I FAMA PER ORBEM) IN HISPERIAM PROPERARAT, DEXTRAS DEDERUNT, ET IN AMPLEXUS PERAMANTER RUENTES, PACIS, ET AMICITIÆ ÆTERNA FOEDERA NODO ADSTRINXERUNT HERCULEO. O MAGNUM, ET INVICTUM REGUM PAR SINE PARI! NULLUS, ME HERCLE, HERCULES CONTRA DUOS, IPSI POTIUS CONTRA OMNES (PERFIDIA FRENDENTE) DUO ALCIDÆ SOLO, SALOQUE INSUPERABILES.
SISTE FAMA, NON PLUS ULTRA.
VIDERUNT, SUSPEXERUNT, STUPUERUNT DUO AUSTRIACÆ SOBOLIS INCREMENTA MAXIMA, CAROLUS, ET FERDINANDUS, SERENISSIMI INFANTES, CASPAR OLIVARIORUM EXCEL. COMES A BELLI, STATUSQUE CONSILIIS, SACRI CUBICULI, AC REGII STABULI SUMMUS PRÆFECTUS, DIDACUS, CARPENTIS MARCHIO, CUI FAS, TERERE SACRATIORIS AULÆ LIMEN. EX BRITANNIS HEROIBUS, IOANNES COMES BRISTOLIUS, ORATOR EXTRA ORDINEM, GUILELMUS ANTONIUS, LEGATUS EX MUNERE, BARO KENSINGTONIUS, PRÆTORIANÆ MILITIÆ BRITANNICÆ PRINCEPS.

POSTERITATI SACRUM
BARTH. GRAMOND.

Agit de pactis hisce nuptialibus inter ceteros Auctor *Theatri Europæi* b) inſimul referens, qua ratione brevi interverſæ fuerint. Unde MARIA deinde FERDINANDO III. Imp. ceſſit, ut ſuo loco videbimus. Porro qui inſcriptionem hanc refert AICHERUS, ad annum 1624. reponit, ſed haud dubie mendoſe; certum cum ſit, ad annum pertinere præcedentem.

b

PHILIPPI IV. nomini porta ſacratur.

XXIV. ANTVERPIENSES an. MDCXXIV. marmoream ad *Scaldim* portam exſtruentes, eam PLILIPPI nomini his verbis ſacram eſſe iuſſerunt:

CVI TAGVS, ET GANGES, RHENVS CVI SERVIT, ET INDVS,
HVIC FAMVLAS GAVDET VOLVERE SCALDIS AQVAS,
QUASQUE OLIM PROAVO VEXIT SVB CÆSARE PVPPES,
HAS VEHET AVSPICIIS, MAGNE PHILIPPE, TVIS.

S. P. Q. ANTVERP. HANC. MOLEM DEDICABAT VIII. KAL. MAII, CIↃ. IↃ. C. XXIV.

Reci-

a) Teſte *Ottone* AICHER loc. cit. p. 163.
b) P. I. p. 771. ſeqq. ad annum 1623. & p. 805. ad annum 1624.

Recitat hos verſus *Ioan. Iacob.* CHIFLETIUS in ſua ad PHILIPPUM IV. epiſtola dedicatoria *Alſatiæ Illuſtratæ*, reperiturque in GEVARTII pompa introitus FERDINANDI Cardinalis in urbem *Antverpiam* p. 150.

Itemque inſcriptio alia. a

XXV. Cum FERDINANDUS Archidux anno 1635. *Antverpiam* ſolemni pompa intraret, inter cetera arcus triumphalis cum ſua inſcriptione PHILIPPO IV. Regi *Hiſpaniæ* poſitus fuit, a) quem hic ſpeciminis loco, & ut typographus aptum ſequentis libri initio locum nanciſcatur, apponere viſum eſt:

POTENTISSIMO, ET INVICTISSIMO MONARCHÆ,
PHILIPPO IV.
HISPANIARUM, INDIARUMQUE REGI,
BELGARUM PRINCIPI, ETC.
PHILIPPI III. FIL.
PHILIPPI II. NEP.
IMP. CÆS. CAROLI V. AUG. PRON.
PHILIPPI I. ABN.
IMP. CÆS. MAXÆMILIANI AUG. ADN.
PIO FEL. PATRI PATRIÆ,
ET
SERENISSIMO PRINCIPI
FERDINANDO
FRATRI EIUS UNICO,
S. R. E. CARD.
BELGAR. ET BURGUND. GUBERNATORI AUSPICATISS.
PRO SALUTE, ET PERENNITATE
AUGUSTÆ DOMUS AUSTRIÆ
VOTO SUSCEPTO,
ARCUM HUNC PHILIPPEUM
DEVOTISSIMI OBSEQUII SUI MONUMENTUM,
INCREDIBILI LÆTITIA DEDICABAT
S. P. Q. ANTVERP.

Ad ſiniſtrum portæ latus in eodem arcu comparebat imago PHILIPPI cum epigraphe:

LATIUS AURORÆ DOMINANS SOLISQUE CUBILI.

Ioannis ab *Auſtria* laus. b

XXVI. In eadem urbe *Antverpienſi* anno 1657. IV. Nonas *Maii* honoribus IOANNIS *Auſtriaci* pegma triumphale erectum fuit, b) quod etſi temporarium tantum, hiſtoricum tamen cum ſit, eius epigramma hic loci repetere viſum eſt. Eſt autem huiusmodi:

IOANNI AVSTRIACO
PHILIPPI IV.
HISPANIARVM, INDIARVMQUE REGIS FILIO,

BEL-

a) Vid. GEVART. in pompa introitus FERDINANDI Archid. in urbem *Antverp.* p. 27.

b) Teſte auctore tab. chronol. Ducum *Lothar. Brabant.* &c. editæ *Mechliniæ* 1669. p. 50.

BELGARVM, ET BVRGVNDIONVM
GVBERNATORI,
HERCVLI IBERICO,
QVOD POST NEAPOLITANVM, SICVLVMQ. REGNA,
ILVAM INSVLAM, ET TYRRHENI MARIS PORTVS,
HEROICA EIVS VIRTVTE, DVCTVQVE,
A FRANCORVM IRRVPTIONIBVS FORTITER ASSERTA,
ET BARCINONEM, ALIASQVE HISPANIÆ TARRACONENSIS
VRBES, FELICITER RECVPERATAS.
SERENISSIMÆ CELSITVDINIS SVÆ IVBAR,
IN BELGICAS PROVINCIAS INTULERIT,
AC VALENCENAS
VICTO IN CASTRIS, CAPTOQVE HOSTIVM DVCE,
PROFLIGATO EXERCITV,
A GRAVISSIMA OBSIDIONE LIBERARIT,
CONDATVM, ET SANGVISLENIVM RECEPERIT,
IMMANESQUE FRANCORVM,
BELGIO VNIVERSO INHIANTIVM,
CONATVS REPRESSERIT
S. P. Q. ANTVERP.
INCOMPARABILI EIVS VIRTVTI,
ET SERENISSIMÆ CELSITVDINIS OBSEQVIO DEVOTISSIMVS,
AVSPICATISSIMVM ADVENTVM GRATVLATVR.

CAPUT VIII.

CAROLUS II. ET EIUS UXORES.

§. I.

Tandem ad Monarchiæ *Hiſpanicæ* ex gente *Habsburgo - Auſtriaca* ſurculum ultimum, CAROLUM II. Regem devolvimur, qui hac prima effigie, ex tabula picta, quæ *Eberſtorffii* olim adſervabatur, exſumpta, adhuc admodum puer ſiſtitur. Exterior thorax, & femoralia purpura tincta, denticulatis, ex argento, fimbriis exornantur: baltheus, & ſubucula filis quoque argenteis contextæ: tibialia vero, nec non criſtæ, ac plumæ, quibus petaſus ornatur, candeſcunt.

Caroli II. effigies adhucdum iunioris. Tab. LXVI. N. 1.

II. Ex duabus ſequentibus imaginibus altera ex tabula picta, in arce olim *Bellofontana* adſervata, excerpta fuit, eundem Regem adhuc puerum repræſentans, additis regiis inſignibus, ſceptro, & corona. Veſtis eius nigri, tibialia albi coloris ſunt. Altera a *M. van den* ENDEN ſculpta, in forma aliquanto maiori edita fuit. Eodem fere habitu in numiſmate comparet, a nobis in Nummothecæ *Auſtriacæ* P. I. tab. XLVII. num. XII. evulgato.

Similesque duæ aliæ. N. 2. 3.

III. Provectiori in hac protome ætate exhibetur CAROLUS, at iuſto tamen maiorem ei ab artifice vigorem affictum fuiſſe, vix opus

Idem ætate provectior. N. 4. 5. 6.

 eſt

TAB. LXVI. eſt, ut admoneamus. Maior igitur fides arbitranda erit tabulæ *Bellofontanæ*, Regem virili itidem forma repræſentantis. Totus habitus niger eſt, exceptis collari, extremis manicis, & tibialibus, quæ albi ſunt coloris. Denique & tertium ſchema, quod *I.* GOLE *fecit*, *Nicolaus* FISCHER *excudit*, Regem, ſi cum ceteris conferatur, ſatis quoque native referre videtur.

Quinam eius corporis, animique habitus? IV. Omnia porro hæc ſchemata corporis eius debilitatem, quacum ab incunabulis conflictatus eſt, haud obſcure indicant: nec maius fuiſſe robur menti, vulgata apud Scriptores res eſt. Perſuaſionem tamen hanc non nihil mitigandam eſſe, contendit *Antonius la* LANDE, a) quando CAROLUM hiſce adumbrat coloribus: „ Veritati teſtimonium ferendum eſt, quatenus de falſis, ac iniquis de „ CAROLI indole opinionibus, quibus bene multis præoccupati, eas „ publicas in litteras retulerunt, triumphum ducat. Fluxa, & mollis corporis conſtitutio, qua hic Princeps ab ineunte ætate uſus „ eſt, continuo ſibi ſuccedentes morbi, iuxta ac educationis neglectus, in cauſſa ſunt, ut ne uberiores in cognitione rerum, Principi, ad regnum nato, neceſſariarum, progreſſus fecerit. Fruſtra „ etiam ab eo notiones illas amplas, aciemque ingenii, non niſi meditatione ſumma, ac contentione aſſidua parandas, exſpectaſſes. „ Attamen iudicium illi a natura rectum, mentisque habitudo excellens erat. Obiiciebatur ei quidem, nec ſine cauſſa, animi quædam vacillatio, &, neſcio, quæ in rebus exſequendis tarditas, dubietasque, qui ſane ordinarii imbecilli corporis effectus non niſi „ ampla rerum cognitione propellendi. Hinc & religioſa illa, graviſſimaque mentis anxietas, quæ ſe ſe in tota CAROLI vita exſerebat. „

Uxor eius prima, N. 7. V. Hac vero Regis imbecillitate nihil obſtante, de eo matrimonio iungendo, deſiderio poſteritatis, mature circumſpectum fuit; unde MARIA LUDOVICA, PHILIPPI Ducis *Aurelianenſis* ex HENRICA, CAROLI I. Regis *Angliæ* filia, iam an. 1679. ſtatim poſt pacem, *Neomagi* concluſam, matrimonio iuncta eſt, cuius ſolemnitatis cerimonias fuſe deſcribit ſupra excitatus auctor vitæ LUDOVICI XIV. Regis *Francorum*, b) contractusque matrimonialis apud DUMONTIUM reperitur. Educta eſt hæc imago ex tomo III. collect. Sereniſſimi Principis EUGENII de *Sabaudia* p. 115. ſculptore I. GOLENIO.

Et ſecunda. N. 8. VI. Priori uxore morbo ſublata, Regi MARIA ANNA, PHILIPPI GUILIELMI, Ducis, & Electoris Palatini *Neoburgici* filia, ex eadem prolis maſculæ conſequendæ ſpe elocata fuit, nuptiis *Valliſoleti* die 24. *Maii* an. 1690. celebratis. c) Siſtitur hic in ſtatu, habituque viduitatis, quam ſpatio annorum fere quadraginta magna conſtantia, atque animi fortitudine ſuſtinuit; utpote anno primum 1740. die 16. *Iulii*, ut alibi dicemus, defuncta. Prototypon huius ſchematis in arce olim *Bellofontana* adſervabatur.

PINA-

a) Dans l' Hiſtoire de l' Empereur CHARLE VI. tom. I. p. 95. ſeq.
b) Tom. IV. p. 12. ſeqq.
c) La LANDE loc. cit. tom. V. pag. 446. Conf. *Nummothec. Auſtr.* P. I. cap. ult.

PINACOTHECÆ AUSTRIACÆ
PARS II. LIB. III.
COMPLECTENS ICONES
LINEÆ AUSTRIACO-GERMANICÆ
INDE A
FERDINANDO I. ROMAN. IMP.
AD
FERDINANDUM DICTUM TYROLENSEM.

CAPUT I.
FERDINANDUS I. ROMAN. IMP.
PHILIPPI PULCHRI FILIUS,
EIUSQUE
UXOR.

§. I.

Spectatis, recensitisque iconicis monumentis Principum *Austriacorum* ex stirpe *Hispanica*, ordo nos in *Germaniam*, ad contemplandas imagines Archiducum lineæ *Austriaco-Germanicæ* ducit, ubi primo loco occurrit protome FERDINANDI, cum petaso in capite, multis fissuris, & incisionibus perforato, nec non patagio singularis formæ, ac insigni ordinis aurei velleris, quod ultimum & in ceteris hisce simulacris observamus. Reperitur schema in tom. IV. Collect. Serenissimi Principis EUGENII a *Sabaudia* P. I. auctore *Barth.* BÖHAM, excudente I. ab HEYDEN. Veram & nativam eius oris speciem, qualem anno ætatis nono, & vicesimo præseferebat, hic exhiberi, studiose indicant & subscriptum imagini distichon, & reliquæ litteræ, ibidem positæ; unde icon tanto pluris facienda.

Protome FERDINANDI ætatis anno XXIX. TAB. LXVII. N. I.

II. Celeberrimum pictorem habet protome sequens, TITIANUM videlicet, editorem autem *Petrum* de IODE, ut ex ectypo, in eadem *Eugeniana* collectione p. 3. reperto, intelligimus. Cataphracta munitus, fratrisque exemplo, barbatus exhibetur, quin & attonso capite, secus ac in ceteris eius imaginibus, a nobis collectis, observare est; ubi siquidem capillos suos constanter promittit. Quare, si coniecturæ locus, cultus hic aut FERDINANDI erga fratrem obsequio, & indulgentiæ, aut pictoris arbitrio tribuendus erit. Utrumque enim fieri potuit, cum TITIANUS CAROLUM in Comitiis *Augustanis* anno 1548. ut supra retulimus, a) adumbrans, FERDINANDUM quoque, tum temporis ibidem, ut constat, agentem, effingeret.

Altera auctore TITIANO. N. 2.

a) Pag. 187. num. XX.

III.

Itemque tertia, unde ſtudium litterarum eius coniicias.
Tab. LXVII. N. 3.

III. Operoſe etiam elaborata eſt imago FERDINANDI, quam hic num. 3. damus, ex thecis HERÆI eductam. Vixit illius auctor an. 1556. ſuum nomen hoc monogrammate: ISL, ducta per transverſum linea, exprimens; unde coniicias, hoc ſchemate Regem, annum ætatis tertium, & quinquageſimum agentem, repræſentari. Caliptra obtegitur eius formæ, quam tum maxime in uſu fuiſſe, exempla docent alia, qualique e. g. *Domus ſapientiæ* alumni *Friburgi Brisgoiæ* hodieque utuntur. Supra veſtem interiorem flammatam toga pellita induitur, quam, ut alibi diximus, *Perſicam* vocabant, cuius manicæ nonnihil diſtentæ, variis fiſſuris hiulcant. Manibus denique præter chirothecas libellum tenet, quo fortaſſis amor, ſtudiumque litterarum eius indicatur. Qua de re haud ineleganter diſſerit *Martinus* BERZEUICÆUS *Pannonius* in oratione funebri, illius honoribus dicta: a) „Præter alias (ait) linguas, nempe *Hi-„ſpanicam*, atque *Italicam*, *Germanicam*, & *Gallicam* inprimis adeo „familiarem ſibi fecerat, vt etiam *Galli* loquentem attoniti admi-„rarentur. In *Latina* autem quam verſatus fuerit, omnes eius ma-„ieſtati notos teſtor. Studia Philoſophica ſummo ſtudio amplexus „eſt, nec eius maieſtati quidquam antiquius fuit, quam ſæpius con-„ferre cum doctiſſimis quibusque viris, vbi a publicis curis reſpi-„rare licuiſſet.„ Et reliqua. Addit deinde plura de *Hiſtoria*, quam tenebat, animalium, memoria, ac reminiſcentia, qua præditus erat, admiranda arte *Phyſiognomiæ*, ſcientiis *Mathematicis*, præprimis *architectonica*, in qua ultima, quantum eminuerit, ſingulari exemplo, ſuis uſurpato oculis, commonſtrat auctor. Subiecit ſculptor imagini ſequens diſtichon:

HÆC ROMANORUM EST FERDINANDI REGIS IMAGO
DA, QUISQUIS DEBES, HUICQUE, DEOQUE SUUM.

Ferdinandi ſtatuæ duæ.
N. 4. 5.

IV. FERDINANDUM diverſa ætate exhibent ſtatuæ duæ ſequentes. Prior enim ex lapide ſculpta, atque inter cetera, de quibus diximus, ex Auguſta gente ſimulacra in frontiſpicio Domus mercatoriæ *Friburgi Brisgoiæ* conſpicua, FERDINANDUM armatum, ſceptro, & gladio inſtructum repræſentat. Cumque præterea iuvenis adhuc, & imberbis appareat, ſignum eſt, hanc ſtatuam, atque adeo & ceteras, in eadem mercatoria domo conſpicuas, intra an. 1520. circa quæ tempora tam FERDINANDUS, quam CAROLUS, eius frater, in *Germania* maxime celebrati, & 1529. aut 1530. quo barbam alere cœperunt, poſitas fuiſſe a *Friburgenſibus*. Poſterior eundem cultu, & ornatu Cæſareo conſpicuum præbens, ex iconibus *Tyrolenſium* Comitum Principum, a *Dominico* CUSTODE, chalcographo *Auguſtano*, poſt annum 1622. editis, deſumpta fuit.

Itemque protome cum *patris patriæ* elogio.
N. 6.

V. Subiiciuntur duæ protome, quarum hæc ex laudato *Dominico* CUSTODE an. 1600. ære expreſſa, magnam ſimilitudinem habet cum effigie, num. 3. prolata, niſi quod ætate hic provectior videa-

a) Inter Orationes & elegias funebres, iunctim editas *Francofurti* 1566. tom. I. p. 360. adv. Add. & encomiaſtes eius alios, ibidem legendos, nec non & biographum illius.

videatur, artifexque illi collare rugatum affinxerit, quod inter viros tum nondum obtinuiſſe putamus: reliquæ ſaltem cum illius, tum CAROLI V. imagines, eo genere collarium deſtitutæ ſunt, collaribus duntaxat planis utentium. Subſcribuntur diſticha duo:

TAB. LXVII.

QUALIS ERAT CÆSAR PACATO OCTAVIUS ORBE,
QUI PATRIÆ MERUIT NOMEN HABERE PATRIS:
TALIS ES AUSTRIACO DE STEMMATE MAXIME CÆSAR:
IDEM TU PATRIÆ DICERIS ESSE PATER.

Nimirum hoc carmine ad faciles illos mores, ſummamque clementiam, manſuetudinem, liberalitatem, ac paternam prorſus ſollicitudinem, qua univerſum Imperium regere ſolebat FERDINANDUS, reſpicitur. Quam in rem vir inſignis, actionumque FERDINANDI, ſi quis alius, optime gnarus, BUSBEQUIUS: a) „Non fallit eum „(ait) quam perſonam ſuſtineat; ideo dicta eius, & facta omnia „eo ſpectant, ut in commune conſulat, & quampluris (quamplu- „ribus) proſit, ſuas utilitates præ publicis ducat in minimis, non „aliter ſe *bono publico natum* exiſtimaturus. In quo a non nullis „ei vitio vertitur: quod Reipublicæ nimium deditus, privatis ratio- „nibus, familiæque, & liberorum commodis parum ſerviat. Nul- „lum humanæ ſocietatis officium in eo deſideres. Omnes ita tra- „ctat, ac ſi ad eius curam omnes pertinerent, & *ingentis familiæ* „*ipſe ſit pater.*„ Similia legimus in citatis Orationibus parentalibus, ubi PATER PATRIÆ ſæpius audit.

a

VI. Altera protome FERDINANDUM denuo cum corona, ac ornatu Cæſareo exprimit, a *Iacobo* ab HEYDEN ſculpta, & a *Samuele* GLÓNERO, cive *Argentinenſi*, & Poeta Laur. Cæſ. ſequenti carmine exornata:

Eiusque pacis ſtudium, N. 7.

ROMULIDUM CÆSARQUE POTENS, FORTISQUE MONARCHA
HIC FUERAT, PICTUM QUEM TIBI CHARTA REFERT,
NATUS AB AUSTRIACO FERNANDUS SANGUINE. PACIS
QUI NOVUS ET DIVI FOEDERIS AUTHOR ERAT.
AUREA, QUO REGNUM MODERANTE, INCLARUIT ÆTAS,
CEU SUB SATURNO TEMPORA PRISCA SUO.
BELLO ALII VINCUNT, HIC VICIT PACE: QUIETUM
SERVANS, QUAM DUDUM REXERAT, IMPERIUM.

VII. Digitum iterum intendit Poeta ad dictam clementiam Auguſti, pacisque ſtudium, quod quidem prolixe laudat, ſed non nulla in malam partem accipit THUANUS, b) cum dicit: „Princeps erat prudentia, iuſtitia, libertate (liberalitate) manſuetudine, aſſiduitate, vigilantia, nulli ſecundus; ſed ſupra eas omnes virtutes, pietatis in illo, & pacis, in domo DEI conſtituendæ, præcipuum ſtudium fuit. Nam ut in impetu *Turcarum*, cui impar viribus erat, ſuſtinendo, ac frangendo, mora, & arte uti, optimum factu experientia didicerat, ſic & in religionis negotio non igne, & ferro graſſari,

Quousque erga Proteſtantes oſtenſum? b

a) Legat. Turc. ep. 4. inter opera, quæ exſtant, omnia, ab ELZEVIRIO edita, p. 375.

b) Lib. XXXV. p. m. 222.

ri, ad quod ipſum, & *Galliæ* Regem plerique hortabantur, ſed colloquiis, & diſputationibus, amicis collationibus, conciliis denique ſive nationalibus, ſive œcumenicis, rem gerere tutius iudicabat. Itaque cum videret, *Concilio Tridentino* iam ad exitum perducto, quantum ad *Germaniam*, & ſuæ ditionis populos, parum profectum, ſeroque animadverteret, ſibi a *Cardinali* MORONO verba data, quo a poſtulatis ſuis, & communibus cum Rege *Galliæ* initis conſiliis diſcederet, quod ab aliena ope tantis malis ſubſidium fruſtra exſpectaverat, a propriis ſibi ſumendum exiſtimavit, & MAXIMILIANI F. optimi iuxta, ac prudentiſſimi Principis conſilio uſus, de controverſis *Auguſtanæ Confeſſionis* articulis amice conciliandis, ſerio cogitare cepit: qua in re opera *Georgii* CASSANDRI, viri optimi, ac doctiſſimi, qui *Duisburgi* tunc erat, uti voluit.„ Hæc ille tanta quidem fiducia, ac ſi res ſuo tempore nota, totique populo teſtata fuiſſet; cum tamen tantum abſit, ut piiſſimus Imperator fructum uberrimum, qui ex ſtatutis ſanctiſſimi, ac poſt natos homines celeberrimi Concilii in univerſam redundavit Eccleſiam, non perſpiceret, gratusque agnoſceret, ut omnem potius curam, ſollicitudinemque impenderit, quatenus ſacri eius canones in omnibus ſuis regnis promulgarentur, conſervarenturque. Sed hæc, ut data opera explodamus, non eſt huius loci.

Curque concordata *Paſſavienſia* promoverit?

VIII. Alludit præterea Poeta ad concordata *Paſſavienſia*, *Pacemque religioſam*, FERDINANDI potiſſimum opera *Auguſtæ Vindel.* conſtitutam, ut etiam colloquium *Wormatienſe*, tentatamque CASSANDRI, ac WICELII ope, fidei unionem, ex quibus omnibus, nonnullisque aliis, ſæpe laudatus KOELERUS a) elicere conatur ſingularem FERDINANDI erga Proteſtantes, eorundemque doctrinam favorem; adducens inter cetera *Pauli* IOVII b) teſtimonium, affirmantis: Cæſarem aliquando Comiti GUNTHERO *Bellicoſo* de *Schwarzburg*, in eodem ſecum curru an. 1562. venatum eunti, faſſum eſſe: parum abfuiſſe, ut a LUTHERO in partes traheretur: at, eo duas *Haſſiæ Landgravio* concedente uxores, omnem deinceps denegaſſe fidem. Sed gravem piiſſimo Imperatori a viro alioquin egregie docto inferri iniuriam, vel ex hoc ipſo, quod refert, facto eluceſcit. Nam qui homini, nec Divina, nec humana auctoritate prædito, duas alteri uxores concedenti, id eſt Divinam, humanamque legem infringenti, fidem denegat, is certe fidem nec ſectariis eius adhibere, adeoque nec favere potuit. Unde quidquid in gratiam eorum agere viſus eſt, id alium habere finem nequiit, quam ut aberrantes, quacunque id demum meliori ratione fieri poſſet, reduceret in viam, id quod pluribus oſtendi poſſet. Sed his, quod diximus, ut diutius immoremur, non eſt noſtri modo inſtituti.

FERDINANDI pietas,

IX. Primum in hac tabula locum occupant duæ protome FERDINANDI, quarum hæc ex Pinacotheca illuſtr. D. Comitis de WEISSEN-

a) In Delic. Nummar. P. II. p. IV.

b) In chronico *Schwarzburgico* Mſc.

SENWOLFF, quæ *Lincii* aſſervatur, educta fuit. In ſubiecta inſcriptione *Imperator pientiſſimus* vocatur, quod ei elogium conſtanter tribuunt, qui eius ex coævis fecerunt mentionem, qua de re mox plura. Altera ab ea imagine, quam tabulæ ſuperioris num. 6. exhibuimus, parum abludens, auctorem *Thomam* TRETERUM habet pag. 155.

TAB. LXVIII. N. 1. 2.

X. De externa corporis ſpecie FERDINANDI pauci admodum meminerunt. Ipſe eius biographus *Ludovicus* DULCIS, a) de eo adhucdum puero agens, rem paucis expedit, dicens: *Erat porro aſpectu pulcher, & ſupra modum venuſtus.* Nonnihil uberior eſt, nec tamen argumentum abſolvit *Ioan. Bapt.* ADRIANUS in oratione funebri, *Florentiæ* XII. *Sept.* habita, ubi ait: „Ingenio fuit eximio, „memoria ac docilitate ſingulari, forma venuſta, ac (cum) ea perſo„na, quam gerebat, admodum accommodata: hanc ſequebatur mo„tus, ſtatus, inceſſus, reliquus corporis geſtus, gravitate regia, ac „dignitate temperatus, quæ bona in illo animi virtus, ut præſtantio„ra viderentur, efficiebat.„ b) Porro capillos illi ætate provectiori canos non minimam inter ceteros Principes conciliaſſe auctoritatem, PANTALEON c) memorat, teſtis, dum *Baſileæ* erat Imperator, oculatus. Ore denique, inſtar fratris, patulo, naſo grandiori potius, quam parvo, oculis acutis, ac labiis prominentibus, intumeſcentibusque, præditum fuiſſe, noſtræ nos haud obſcure docent imagines.

Ac corporis, a b c

XI. Quod ſi vero in deſcribenda corporis forma parciores ſunt eius ætatis Scriptores, credi vix poteſt, quanto uberiores ſint in extollendis, quibus præſtabat, animi dotibus. Inter illos mox laudatus biographus, de obitu verba faciens: d) „Erat Princeps multiplici virtute præditus (ait) ſed præcipue iuſtitia, & religione: litteris præterea, bonisque inſtructus diſciplinis, legum cum Divinarum, tum humanarum peritus erat. Ad hæc lectione hiſtoriæ non modo *Latinæ*, ſed & *Græcæ* mirum in modum delectabatur, commentarios CÆSARIS præ ceteris frequentius terens, ac omnium inſuper linguis loquens. Inter reliquas corporis exercitationes nullum, more Principum, illi erat iucundius, aut frequentabat ſtudioſius venatione. Memoria adeo valebat, ut ei non res ſolum gravioris, maiorisque, ſed & levioris etiam momenti in promptu eſſent. Viros cum in litteris, tum aliis facultatibus præcellentes, tanta proſequebatur amoris ſignificatione, ut in eis exornandis, locupletandisque vires, & facultates excedere videretur.„ Hucuſque ille, ubi tamen obiter animadvertendum id, quod de commercio linguarum *omnium* dicit, non niſi de certo numero, linguarum ſcilicet in *Europa* tum maxime uſitatarum, accipiendum eſſe. *Complurium linguarum*, ait vir ſummæ auctoritatis BUSBEQUIUS, e) *habet uſum. Primum locum tenet* Hiſpanica, *utpote materna; ſuccedunt* Gallica,

Animique indoles, d e

a) Nella vita di FERDINANDO I. Imp. p. 2.

b) In ſupra cit. tom. I. Orat. & eleg. funebr. p. 377. av.

c) Proſopographiæ. p. 360.

d) Pag. 240. ſeq.

e) Legat. *Turcicæ* epiſt. IV. inter opp. omn. ab ELZEVIRIO ed. p. 378.

Tab. LXVIII. lica, Germanica, Latina, & Italica. *Latine etſi omnia ſenſa animi exprimere poteſt, non tamen ita ad unguem doctus eſt, quin aliquando in* PRISCIANUM *impingat: vitium in Litterato ore reprehendendum, ſed in Imperatore (ni fallor) tolerandum.* Concordant laudatores eius funebres: *Franciſcus* FORGATZ, Ep. *Varad.* a) *Io. Bapt.* ADRIANUS, b) *Ioan.* SAMBUCUS c) aliique.

Elogiumque ex Busbequio, d

XII. Sed FERDINANDI vitam, & mores nemo luculentius, nemoque vividius expreſſit, nec fere quiſquam alius luculentius exprimere potuit, quam modo laudatus BUSBEQUIUS, d) ex quo proinde, etſi non nihil longior ſit, bonam tamen partem excerpere, operæ pretium erit. „Tum vero unum (ait, *Vindobonam* denuo ire parans) relinquetur ſolatium, in quo conquieſcam, quod mihi ſanctiſſimi *Imperatoris* faciem, vel (ut melius dicam) ſpirantem veræ virtutis imaginem, aſſidue ſpectare, & contemplari dabitur. Nam cave, putes, ſolem hoc Principe quicquam illuxiſſe melius, neque cui iuſtius rerum arbitrium delatum ſit. - - Nemo conſtantius virtutem retinuit, neque diligentius cavit, ne purus animus fortunæ vitio contaminaretur. Hanc ſemper duxit rationem, quorum purpuræ nitor in oculos hominum incurreret, debere multo magis morum ſanctitate animos eorum convertere. Summum ei pietatis ſtudium; Deum ſancte colit, ac veneratur, atque ita ſemper, ut eo præſente, & in eius conſpectu vivit. Ad eius præſcriptum, tanquam ad amuſſim, omnes actiones ſuas exigit, totiusque vitæ curſum moderatur. Quicquid ſibi contigit vel proſperi, vel adverſi, ad eum refert auctorem, & ut de manu eius profectum, accipit animo pio, & grato: ſic eum cœleſtem in terris vitam meditari, vere dixeris. - - - Quis opis indigus fidem eius fruſtra imploravit? Quis eius liberalitatem in ſe non eſt expertus? Diem perire exiſtimat, quo non alicui benefecerit: & cum ſumma charitate omnes complectatur, tum vero ſingulari eſt in domeſticos indulgentia: quorum nemo eſt, qui ſe ab eo neglectum, aut præteritum queri poſſit; vitam, conſuetudinem, merita, etiam nomen uniuscuiusque memoriter novit, etiam infirmorum. - - - Id quoque ei penitus inſitum, ut quorum errata aliquot dierum ira correxerit, eodem prorſus loco eos habeat, quo ante, deleta ex animo omnis culpæ memoria. - - - Domitas habet cupiditates, & intra rationis cancellos conſtrictas. Vivit odii expers, non novit iraſci, neque convitium facere: haud dum natus eſt, qui obtrectantem alteri audierit, ne iis quidem, quos ſibi minus æquos novit. Nullum in quenquam dictum inclementius, nec de abſentibus unquam niſi honorificus ſermo. Tuta eſt ſub eius præſidio probitas: malitia, vis, fraus, improbitas, pravi mores exterminantur: ſcelera, & flagitia debitis pœnis afficiuntur. - - - Viros bonos, & eruditos, iisque artibus excultos, quibus

a) Inter ſupra laudat. orat. & eleg. funeb. tom. I. p. 357. adv.
b) Ibid. p. 375. adverſ.
c) In Append. ad Bonfin. rer. *Hung.* p. m. 573. col. 1.
d) Loc. cit. p. 374. ſeq.

quibus bona opera Reipubl. navari poteſt, præcipua benevolentia complectitur. His ſe dat, poſitaque maieſtate, veluti cum paribus mutua amicitiæ officia exercet, ac tanquam virtutibus æmulatur: nullo delectu, an illi vetere, & credita maiorum, an ſua, & præſenti laude elati ſint. „ Hæc & multo plura elegantiſſimus BUSBEQUIUS de vita, & moribus FERDINANDI. Effuſi in eius laudes ſunt quoque ſupra excitati Oratores eius funebres, aliique bene multi, meliorisque notæ Scriptores: ſed hic inſtar omnium eſſe poteſt.

Tab. LXVIII.

XIII. Quod ſi quis autem vitam eius interiorem ſcire cupit, illam idem vir doctiſſimus hunc in modum ſuppeditabit: a) „ Surgit e lecto etiam aſperrimæ hyemis menſibus hora quinta: hinc precibus DEUM veneratus, peractoque ſacro, abdit ſe in *Conſilium*, ubi de rebus, quæ ad publicam utilitatem ſpectant, conſultandis uſque ad horam prandii magna attentione vacat. Idem fit horis pomeridianis, donec cœnæ tempus ſit. Cœnæ dico, non ſuæ, ſed *Conſiliariorum*: nam ipſe perpetuo cœna abſtinet, neque amplius, quam ſemel die cibum ſumit, & quidem parce; nec potui liberalius indulget, geminata vini potione prandium clauſiſſe contentus. Nox illi caſta, thorusque (quod ſatis conſtat) ab amiſſa coniuge, *Veneris* expers. Nugarum, atque earum oblectationum, quibus multi capiuntur, nihil: procul abſiſtunt moriones, plani, ſcurræ, paraſiti, communium aularum deliciæ, ſed & peſtes tamen: fugit ocium, tempus ei nullum iners. Quod ſi quid negotiis ſupereſt, quod rarum eſt, id bonorum, & doctorum virorum (ut ſupra dixi) collocutionibus, quibus plurimum gaudet, traducit. Una eſt venatio, cui interdum operæ aliquid tribuitur, non tam delectationis cauſſa, quam valetudinis. Nam cum dierum complurium continenti ſeſſione marcere ſibi corpus, & animum ſentit, diem eligit, quo ſe liberioris aeris hauſtu, & campeſtri exercitatione reficiat. --- Memini, cum aſtarem prandenti, audire, cum diceret: Meo ſum functus officio, negotia omnia, totum chartophylacium exhauſi, nihil ſupereſt in *Cancellaria*, quod me retineat: quod reliquum eſt diei, impendam curæ corporis. Sic multa iam nocte domum revertit, apri, vel cervi vel etiam urſi cæde lætus, ac feſſa vario labore membra (nullo aſſumpto cibo, neque potu) ſomno ſternit. „

Tum vita illius interior. a

XIV. Comparet hic FERDINANDUS cum ornamentis *Imperatoriis*: trabea ſcilicet, ſceptro, & gladio inſtructus, inductis quoque ſupra chirothecas annulis. Edidit *Franciſcus* TERTIUS, CASPARUS *Patavinus* excudit *Oeniponte*, addito elogio, ubi inter cetera aſſerit, FERDINANDUM anno MDLXIV. ætatis LXII. obiiſſe, ſecus, ac plerique alii, qui annum ætatis LXI. notant. STRUVIUS b) ait, FERDINANDUM obiiſſe XXV. *Iulii* ipſo die S. IACOBO ſacro anni 1564. cum LX. annos IX. menſes vixiſſet, errore manifeſto; quandoquidem certum eſt, FERDINANDUM in lucem editum MDIII. die X. *Mar-*

Ætas FERDINANDI, N. 3.

b

a) Ibid. p. 386.

b) Corp. Hiſtor. *Germ.* tom. II. p. 1092.

Tab. LXVIII. X. *Martii*, ut adeo ſupra annos unum, & ſexaginta, non niſi menſes quatuor, diesque pene quindecim, ut tomo IV. amplius patebit vixerit.

Ac reliquæ non nullæ virtutes. N. 4. XV. Quæ illi adiungitur ſtatua, editorem agnoſcit *Iacobum* SCHRENCKIUM a *Nozingen*. Totus quantus cataphracta, armisque munitus ſiſtitur, quæ eadem exiſtimanda ſunt, quibus adverſus hoſtes aliquando uſus eſt; quippe quod auctori propoſitum fuerit, heroes ſuos eo habitu exhibere, quo, dum viverent, in bello uſi ſunt. Pallio præterea, aliisque Imperatoriis, quibus par eſt, inſignibus exornatur. Singulare eſt, quod de eo refert auctor: FERDINANDUM a prima ætate futuræ integritatis, animique magnitudinis illud edidiſſe laudabile documentum, quod cum ſibi in *Hiſpania*, orta ſeditione, abſenteque CAROLO fratre, nonnulli inſignia regni delaturi, atque adeo Regem ſalutaturi eſſent, extemplo navem conſcenderit, & tempeſtate ſæva magno cum ſuo periculo in altum profectus, *Auſtriam* petierit. Comparationem præterea inter bigam hanc fratrum inſtituens, CAROLI, ait, ſtudium in re militari, & propagandis finibus, FERDINANDI vero in defendendis, ac regendis, verſatum fuiſſe, illius gloriam vi, & armis præcipue innixam, huius vero virtutem in conſtituendis, & ſervandis legibus enituiſſe, omniumque maximam eius operum fuiſſe tutelam, per omne, dum imperavit, tempus non minorem pacis, quam regnorum. Denique ſic concludit: *Fuit* FERDINANDUS *ſummo vitæ ſplendore, ſagaciſſimo ingenio, & ſingulari integritate. Non modo vultus eius, & frontis ſed etiam factorum benignitas late emicuit, & quamvis, cum ſeveritatem res poſtulabat, gravem, & vehementem perſonam ſumebat, tamen ad lenitatem, facilitatemque proclivis, plura conſilio, quam vi gerebat.* Addit nonnulla de eius obitu, quo de tomo ſequenti.

Statuæ illius duæ. N. 5. 6. XVI. Agmen claudit ſtatuarum biga, honoribus FERDINANDI longius poſt eius fata dicatarum. Prima ex marmore albicante, Bibliothecam *Cæſaream Vindobonenſem* ornat, auctore D. *Barone* de STRUDEL, quo de genere ſtatuarum alias diximus. Secundam *Theodorus* a THULDEN *delineavit, ſculpſit, & excudit*, editam a *Caſparo* GEVARTIO in pompa introitus Sereniſſ. Principis FERDINANDI *Auſtriaci*, addito titulo: IMP. CÆS. FERDINANDUS I. PIUS FELIX AUG. nec non & diſticho, quo ad ſymbolum fratris alluditur:

IAM SENIO FESSUS FRATER DUM DESTITIT ATLAS,
IMPOSITUM ALCIDES GESSI CERVICIBUS ORBEM.

Anna fœcundiſſima FERDINANDI uxor. Tab. LXIX. N. I. XVII. FERDINANDO adiungimus coniugem eius unicam, ANNAM, ULADISLAI, *Hung.* & *Bohemiæ* regis filiam. Habitus eius ſingularis eſt, præſertim calantica, ac manicæ velut ſtriis diſtinctæ. Pectus, & humeros nonnullæ torques exornant, cetera ad honeſtatem compoſita; *quamvis enim ex regio orta eſſet ſtemmate, nempe regis Pannoniæ potentiſſ. filia, veſte tamen trita, diverſoque colore reſarta, ſæpius uſa, magis in ancillæ, quam in Dominæ habitu videri*

ri gestivit, ut ait in oratione eius funebri *Fridericus* NAUSEA, Episcopus *Vindobonensis*. a) Eidem porro supra mensam duo pueruli assident, filii videlicet, cani blandientes, quibus fortassis ad fœcunditatem eius, non ex multitudine solum, sed etiam, & quidem præcipue ex insigni prolium virtute metiendam, respicitur. Ita enim *Ioan.* ARTOPÆUS: b) „Hæc cum Diuum FERDINANDUM (ait) „multa, eaque pulcherrima (prole) tribus scilicet principibus filiis, „imo regibus --- & vndecim filiabus reginis locupletasset, minimum „est arbitrata, dulcissima hæc pignora, & suauissimos hos coniu„gii fructus in lucem edidisse, nisi eosdem honesta tum educatione, „tum institutione fideli, nobiliores reddidisset, vt his auspiciis per „paternæ virtutis vestigia incederet. --- Quamobrem non, vti regiam „prolem, lautitiis adsuescere voluit, sed his, tanquam corruptio„ne plenis, posthabitis, duriorem semper nutritionis formulam est „amplexata, eamque non modo diligenter exercuit, verum & pub„licitus est contestata apud eos, quibus eorum cura præ cæteris in„cumbebat, inquiens: *Nolite eos pro more aulæ splendide excipe„re, sed apponite ipsis panes plebeios, vt iis vti discant, & in om„nem fortunam instructi reddantur, vti & inopiam ferre, & famem, si„timque tolerare probe consuescant.*„ Huc pertinet carmen funebre, honoribus ANNÆ a *Petro* de ROTA dicatum, c) ubi inter cetera de liberis eius agens, sic canit:

TAB. LXIX. a

b

c

QUIS NARRET, PROLES QUA SEDULITATE PER OMNEM
INSTITUIT VITAM, VIRTUTIS SEMINA VERÆ
INGENERANDO ANIMIS IPSO CUM LACTE TENELLIS,
NON SATIS ESSE SCIENS, SOLUM PROGIGNERE CORPUS,
SI NON IN PULCHRO REGNARET PULCHRIOR HOSPES.

XVIII. Primam, fœcundo huic non minus, ac pro Augusta gente *Austriaca*, cui exinde amplissima *Hungariæ* & *Bohemiæ* regna obvenerunt, felicissimo coniugio, occasionem dedit celeberrimus ille conventus regius, anno 1515. *Vindobonæ* institutus, de quo alias diximus. Ibi enim ANNA MAXIMILIANO Imp. ea conditione desponsa fuit, ut nisi intra unius anni spatium aut a FERDINANDO, aut CAROLO, illius nepotibus, expeteretur, contractus ille suum sortiretur effectum. Quare, ut *Richardus* BARTHOLINUS refert: d) „MAXIMILIANUS XI. Calend. *Aug.* coronam auream, qua LADIS„LAUM, *Bohemiæ* Regem, olim coronatum memorant, afferri iussit. „Inde (aderant enim Notarii, & testes) sic est exorsus: *Quanquam „ego te vxorem meam fore dixi, sequestraque fide tu mihi iuncta es, „tamen vt vel* CAROLO, *vel* FERDINANDO *nepotibus nubas, senten„tia est: si vero neutri, tu mea vxor es. Quamobrem cum alter „Castiliæ, Arragoniæ, Bethicæque regna habeat, alter Neapolitanum „in Italia sceptrum habiturus sit: Egoque cum Romanorum Rex & „Imperator sim, te* ANNA *Reginam nuncupo, ac saluto*, aureamque „(his

MAXIMILIANO Imp. aliquando desponsa.

d

a) Inter cit. orat. funebr. tom. I. p. 309. adv.

b) In orat. funebr. in obitu D. FERDINANDI I. habita *Friburgi Brisgoiæ* loc. cit. pag. 339. exeunte.

c) Ibid. p. 322. exeunte.

d) In Hodœporico MATHIÆ *Gurcensis* Episc. inter FREHERI Scriptor. rer. *Germ.* tom. II. p. 657.

TAB. LXIX.

„(his dictis) coronam capiti impoſuit.„ Poſtridie eius diei ingenti, quam idem BARTHOLINUS deſcribit, cum pompa in Divi STEPHANI templum itum eſt, *cumque*, ut pergit ille p. 663. *ad publicam ſtipulationem deventum* (ANNA) *iuxta Imperatorem ſtetit*, *nec mora Cæſari* MAXIMILIANO *Roman. Imperatori*, *niſi* CAROLUS, FERDINANDUS*ve Reges*, *nepotes*, *infra annum acceperint*, ANNA, ULADISLAI *Pannoniæ Regis filia*, *Arrabone annulo*, *& Strigonienſi*, *qui connubilia* (connubialia) *verbá fecerat*, *interprete*, *nubit*.

Quod in dubium vocat KOELERUS,

XIX. Narrationi huic non ſatis fidens ſupra memoratus doctiſſ. KOELERUS a) priora verba BARTHOLINI non uſque adeo ad amuſſim, atque eo prorſus modo, quo ab Imperatore prolata fuerant, referri coniectat; quare non nulla obelo digna cenſens, cum primis in dubium vocat, an Imperator ANNÆ revera, ac ſuo ipſius nomine fidem dederit, nec ne? & an non potius *Gerardo* de ROO b) accedendum, dicenti: ANNA, *accepto in fidem annulo*, *ita* MAXIMILIANO *deſponſa eſt*, *uti intra annum aut* CAROLO, *aut* FERDINANDO *coniungeretur*. Hæc enim ita intelligi vult, quaſi MAXIMILIANO quidem (utpote ætatis annum iam ſex, & quinquaginta agenti, cum ſponſa contra non niſi tredecim numeraret) neutiquam, bene vero nepotum nomine eidem deſponſa fuiſſet.

Certiora edoctus ex diplomate.

XX. Sed dubium omne facile tollit fœdus ipſum matrimoniale, apud DUMONTIUM c) alioſque legendum, ubi inter cetera hæc habentur: „Nos MAXIMILIANUS hodie contractum matrimonialem cum Sereniſſima Domina ANNA, noſtri WLADISLAI Regis filia chariſſima, per verba de præſenti, & ad talem actum neceſſaria, & proferri utrinque ſolita, celebravimus, & ſolenniter in facie Eccleſiæ firmavimus, nobis Imperatoribus hæc verba pronuntiantibus: *Ego* MAXIMILIANUS *accipio te* ANNAM *in meam legitimam uxorem*: & e contra ipſa Domina ANNA referente: *Ego* ANNA *accipio te* MAXIMILIANUM *in meum legitimum Maritum*. - - - Priusquam tamen nos MAXIMILIANUS cum Domina ANNA præfata contraheremus, coram Notariis, ac Teſtibus, ſpecialiter ad hoc requiſitis, & vocatis, nos MAXIMILIANUS, & ipſa Domina ANNA ſolennem proteſtationem fecimus, & declaravimus, quod ſi alter ex nepotibus, noſtri MAXIMILIANI, videlicet aut illuſtriſſimus FERDINANDUS, Archidux *Auſtriæ*, ſive Sereniſſimus Dominus CAROLUS, Dux *Burgundiæ*, & *Hiſpaniarum* Princeps, dummodo is a contractu cum Domina REGNATA, olim LUDOVICI *Franciæ* Regis filia d) alias facto, liber, & immunis fieret, & opportuna Sanctiſſimi Domini noſtri, & Sedis Apoſtolicæ diſpenſatio interveniret, cum præfata Domina ANNA infra ſpatium unius anni a *Data* præſentis Tra-

a) Delic. nummar. P. IV. p. 87. ſeq.
b) Hiſtor. *Auſtr.* lib. XII. p. 468.
c) Corps Diplomatique tom. IV. P. I. p. 212. col. 2.
d) Quæ illi ſcilicet non longe antea, nimirum die XXIV. *Martii* eiusdem anni 1515. adpromiſſa fuit. Inſtrumentum, ea de cauſa conditum, extat ibid. p. 199.

Tractatus proxime futuri, contrahere vellet. --- Debemusque, ac volumus nos Imperator MAXIMILIANUS huiusmodi Contractum *Matrimonialem* cum Domina ANNA, nisi alter Nepotum nostrorum in tempore præfixo, unius videlicet anni, eam per verba de præsenti ducet, per copulam carnalem infra trimestre post, & supra annum, a die præsentis Contractus computando, consummare, & complere, & in hunc finem præfata Domina ANNA ad manus nostras fuit tradita, & libere consignata.,,

TAB. LXIX.

XXI. Consentit cum hoc tractatu tractatus alter, ab illustriss. Comite de WURMBRAND editus, a) fidemque faciens, ANNAM FERDINANDO anno primum 1520. *die vero undecima Decembris, hora post meridiem quarta, vel circiter, in insigni oppido Insprucк in choro Ecclesiæ Parochialis* S. IACOBI solemni ritu desponsam fuisse: cum iam antea, anno videlicet 1516. *dictus Dominus* FERDINANDUS, *mediante nobili Domino Cypriano de* SERENTI, *Cancellario Imperiali, sufficienti ad hoc mandato instructo, cum eadem Domina* ANNA *matrimonium per verba de præsenti in civitate Viennensi contraxisset.* Procuratores, ac Mandatarii ex parte FERDINANDI erant *Wilhelmus* ROGENDORFIUS, *Sigismundus*, Baro de DIETRICHSTEIN, & *Sebastianus* SPERANTIUS, Præpositus *Brixinensis.* Misit suos quoque Oratores, Procuratores, ac Mandatarios, LUDOVICUS, *Hungariæ* & *Bohemiæ* Rex, sponsæ frater, *Ambrosium* videlicet de SARKAN de *Akoshaza*, liberum Dominum de *Ornod*, & Comitem *Saladiensem*, & Rev. Dominum *Hieronymum* BALBUM, Præpositum *Posoniensem*, suæ Celsitudinis Consiliarios. Sacris præerant LEONARDUS in *Wiltau*, Ordinis *Præmonstratensis*, & LEONARDUS, S. GEORGII, Ord. S. BENEDICTI monasteriorum Abbates. Ibi nempe expressis habetur verbis: MAXIMILIANUM tum primum a semel inito contractu absolutum fore, si contingat, ut intra anni spatium, proxime secuturum, vel Serenissimus Dominus CAROLUS, vel Dominus FERDINANDUS cum eadem Domina ANNA matrimonium contraxerit.

Itemque Instrumento alio. a

XXII. Hæc igitur cum ita sint, nemini equidem anceps esse poterit: BARTHOLINI assertum, quo MAXIMILIANUM ANNÆ *Hungaricæ* vere, & ritu solemni desponsum fuisse, narrat, immerito in dubium vocari: contra vero, ut ut idem auctor coævus sit, solemnitatique ipse præsens, personam non ultimam sustinuerit (utpote qui tum stata die orationem habiturus erat, nisi *tertia quidem parte* nondum recitata, *deperditorum hominum*, ut ipse non sine indignatione conqueritur, b) increpescente strepitu, ab incepto desistere compulsus fuisset) verba MAXIMILIANI ipsa, nihil minus, quam a MAXIMILIANO, prout ab eodem referuntur, aliquando prolata fuisse; quippe quod longe alia nos doceant allegata Instrumenta,

Unde tamen certiora statuuntur. b

a) Collectan. Genealog. hist. p. 101. b) Loc. cit. p. 658.

Tab. LXIX.

menta, ut vidimus. Deinde & cetera, quibus eadem MAXIMILIANI verba incruſtavit BARTHOLINUS, ſuapte corruunt, dignaque fuerant virgula cenſoria KOELERI, ut v. g. quæ de regno *Bæticæ*, nomine, tum in *Hiſpania* haud amplius uſitato, deque titulo tam *Romanorum Regis*, quam *Imperatoris* refert, quem titulum MAXIMILIANUS ipſe ſibi tribuerit; cum ſatis conſtet, MAXIMILIANUM tum temporis ſolo *Imperatoris* titulo uſum, atque aliunde titulus *Regis*, ab accedente, ſupervenienteque titulo *Imperatoris* abſorberi, & antiquari ſoleat.

Ferdinando an regnum *Neapolis*, an *Auſtriæ* decertum?

XXIII. Idem dicendum de regno *Neapolitano*, quaſi quod, ex mente BARTHOLINI, FERDINANDO decretum fuiſſet. Verum, etſi fama tum forte fuerit, CAROLUM regnum illud fratri aliquando ceſſurum, diplomata tamen, ſtatim adducenda, opinioni huic plurimum obſtant. Edimus imprimis conſenſum FERDINANDI, a) circa finem *Ianuarii*, aut initium *Febr.* 1521. exaratum, b) quo pacta matrimonialia, ſe inter, & ANNAM, LUDOVICI II. *Hung.* & *Boh.* Regis ſororem, ſuo nomine a fratre CAROLO V. Imp. cum Oratoribus *Hungaris Coloniæ Agrip.* VII. *Nov.* an. præced. inita, approbat. Diſcimus ex eo præter dotem, & donationem propter nuptias utriusque: c) Cæſarem non modo ius ſuum in *quinque Ducatus Provinciarum Auſtralium inferiorum.* d) in FERDINANDUM translaturum, ſed & easdem in regnum ſe ſe evecturum ultro obtuliſſe; ſi modo rem cum FERDINANDUS ipſe, tum Rex *Hungariæ* probaverint, e) regnum autem *Neapolis* continuo ſibi reſervaſſe, nec FERDINANDO citra annuos quinquaginta millium ducatorum redditus, ab avo materno, FERDINANDO *Catholico*, ſibi legatos, f) ac de proventibus quorundam caſtrorum, civitatum aliorumque locorum ſolvendos, quidquam iuris competiiſſe, diplomata ſequentia produnt. Ut igitur Imperator loca, legato huic quodammodo conſignata, redimeret, alia decem millia ducatorum ſuperaddit, ut itaque FERDINANDUS, in vim dicti legati, *percipiat deinceps ſingulis annis* ſummam $\frac{m}{60}$ ducatorum: g) quibus ſe contentum eſſe, *& nihil aliud prætendere poſſe*, ipſe profitetur FERDINANDUS. h) Accedit, quod ex Conſiliariorum votis compertum fuerit, omnia regna, & dominia paterna, materna, & avita, *extra Germaniam conſtituta omnino indiviſibilia cenſeri, & ad* CAROLUM *Cæſarem,*

a) Vid. Auctar. dipl. P. I. num. LXV. p. 76.

b) Conf. ibid. not. 7. p. 78.

c) Viginti quinque nimirum florenorum *Hungaricalium*, ſeu ducatorum, millia, ſuper aliquibus caſtris & oppidis in *Auſtria*, & *Tyroli* aſſecurata, de quibus fuſius ibid. pag. 77.

d) Conf. ibid. not. 5. & inſtrument. num. LXVI. p. 78. ubi Ducatus iſti hunc in modum exprimuntur: *Videlicet duos ducatus* AUSTRIÆ, *ſupra & infra Anaſum, & alios tres Ducatus*, STIRIÆ, CARINTHIÆ, & CARNIOLÆ. Reſervat autem hic Cæſar ſibi ſuisque, cum, ut ſuperius loquitur, *veram informationem iurium, eidem fratri competentium*, habere non potuerit, Comitatus & dominia nonnulla, quæ tamen fere ſingula, tanquam provinciis *Auſtriacis* annexa denuo reſignavit. Vid. n. LXVII. not. 2. & LXVIII. not. 3.

e) Cum igitur provinciæ iſtæ adhuc *Regni* titulo careant, neque Archidux in iis *Rex* ſalutetur, conſectarium eſt, nec FERDINANDUM, nec Regem *Hungariæ*, hanc dignitatem affectaſſe.

f) Cit. num. LXVII. not. 3.

g) Ibid. not. 4.

h) Num. LXVIII. not. 5.

ſarem, tanquam primogenitum ſpectare. a) Quare ſingula hæc digna putavimus ut ederentur. Sed hæc non tam ad emendandum BARTHOLINUM, quam illuſtranda acta ſponſalitia FERDINANDI, & ANNÆ.

TAB. LXIX. a

XXIV. Parum diſcrepat hæc ſtatua a ſchemate præcedente, ita, ut altera ex altera excerpta videatur. Deſumpta eſt ex *Franciſco* TERTIO, qui & elogium addidit, nihil tamen notatu dignum continens. Plus ad inſtitutum noſtrum faciunt verba laudati BARTHOLINI, b) Reginam noſtram ſic deſcribentis: GURÇENSIS *ad* ANNAM *Reginam*, ULADISLAI *filiam -- conceſſit, puella eſt annorum fere tredecim, flos ipſe eximiæ pulchritudinis.* Et non paucis interiectis: c) „Reginæ ANNÆ (pergit) tanta mihi pulchritudo viſa „eſt, ut neque *Palladem*, neque *Venerem* ſimilem huic eſſe iudi„carim, multo iis formoſior eſt, quæ habitu concinnata *Teutoni„co*, ſupra, quam dici poſſit, elegans videbatur. Aureum caput „corollæ treis, faberrimo ordine diſpoſitæ, circumuallabant, vbe„res olli crines, a ceruice penduli, ſenſimque ſinuato patagio re„ſidentes, paulliſper ad finem conglobati, leni quandoque aura, „vt eburneum etiam collum per intervalla proſpiceremus, moue„bantur. Oculi in alborem procliues. -- Inceſſus grauis, animo„ſusque, & lætabundus. „ Sed hæc ille de Regina adoleſcentula: fatis iam defunctæ ſpeciem verſibus celebravit *Ioan. Ludovic.* BRASSICANUS d) hoc modo:

Statua ANNÆ cum corporis, N. 2.

b

c

d

DIGNA TAMEN SPECIES REGNO FUIT ISTA TENENDO,
REGE FUIT DIGNUS CORPORIS ISTE DECOR.
MULTUS IN ORE LEPOS, IN CORPORE MULTA VENUSTAS,
MAIESTAS OCULIS ET REFERENDA TUIS.
MATRONALE DECUS, FUCO PROCUL, ATQUE COLORE,
QUALIA MENTITUS INFICIT ORA COLOR.

Porro iuſtæ ſtaturæ mulierem fuiſſe, ætateque provectiorem ore non nihil macilentiori, hæ noſtræ imagines innuunt.

XXV. De animi, quam formæ præſtantia, haud paullo uberiores ſunt eius temporis Scriptores: quorum tamen teſtimonia ſingula in medium proferre, longum foret. Totus in eius laude eſt, qui ei orationem funebrem dixit, ſupra memoratus *Fridericus* NAUSEA: compendium contra laudatus *Ioan. Ludovicus* BRASSICANUS in *Phœnice*, ſive *luctu Auſtriæ*, ob mortem incomparabilis Heroinæ D. ANNÆ, e) ſequenti hexaſticho dedit:

Animique ſpecie.

e

ANNA TUÆ NULLO DOTES SUNT ORDINE DICTÆ,
ATTAMEN HÆC VNUS SINGULA FASCIS HABET.
NON BENE PRINCIPIUM POSITO REPERITUR IN ORBE,
NEC FINEM DUCTUS CIRCULUS VLLUS HABET.
SIC TUA CONTINUO VIRTUS STAT IN ORDINE CERTO,
QUÆ NULLUM FINEM, PRINCIPIUMQUE TENET.

Ex-

a) Cit. num. LXVIII. not. 2.
b) Loc. cit. p. 624.
c) Pag. videl. 643.
d) In cit. tom. I. orat. & eleg. funebr. pag. 317. av.
e) Ibidem paullo ſupra.

a Explicatius tamen *Martinus* BERZEVICÆUS. a) „*Anno Domini* MDXLVII. --- ANNA *Regina* (ait) *mater quindecim liberorum, maiestatis ipsius coniux cariſſima, cum ante* biduum perperiſſet filiolam IOANNAM, IV. *Cal. Februarii moritur.* Spectatiſſima fœmina omnes ſui temporis in primis pietate, manſuetudine, liberalitate facile præcelluit. Conſtat, ipſam precationibus, aliisque piis meditationibus maximam partem temporis tribuiſſe, ardentiſſime vsque ad extremum vitæ ſuæ diem, tam pro felici gubernatione mariti dulciſſimi, quam etiam liberorum, patriæque ſuæ afflictæ ſalute, ad DEUM preces fudiſſe. Beneficam erga omnes ſe ſe exhibuit, multorum vitam ſua deprecatione apud virum ſuum, etiam qui graviſſime maieſtatem ipſius offendiſſent, ſervavit. Patrocinabatur omnibus, maxime vero ſuæ genti *Pannonicæ.* Liberaliſſimis inſuper ſumptibus xenodochia erigi iuſſit, in quibus pauperes non ſolum victu quotidiano, ſed etiam Medicorum opera, qui ad id ſaltem ſunt deſtinati, curantur. In liberis educandis fuit ſolertiſſima parens, quos in diſciplina pietatis aluit, cuius rei exemplar videre eſt in ſereniſſimis eius filiabus, quæ *Oeniponte* vitam degunt cum ſummo pietatis cultu. „

INSCRIPTIONES.

FERDINANDUS inſcriptione honoratur *Aug. Vindel.*

XXVI. AUGUSTÆ *Vindelicorum* in templo RR. PP. *Prædicatorum* ad cornu epiſtolæ monumentum, ut ſupra diximus, b) extat, arma gentilitia Auguſtæ Domus *Auſtriacæ* referens, atque honoribus FERDINANDI Archiducis his verbis inſcriptum:

b

FERDINANDO
PRINCIPI. HISPANIAR. ARCHIDVCI. AVSTRIAE
DVCI. BVRGVNDIAE
CAES. FRIDERICI. III. AVG. PRONEPOTI
CAES. MAXIMIL. AVG.
ET
FERDINANDI. MAGNI. HISPANIAR. REGIS. NEPOTI
PHILIPPI. ET. IOHANNAE. HISPAN. REGVM. FILIO
CAROLI. IMP. CAES. MAXIMI. AVG. V
FRATRI. GERMANO
PRINCIPI. PIENTISS
FRATER. IOANNES. FABR. AVGVSTANVS
PRAEDICATORII. ORDINIS
DEVOTISSIME. POSVIT
AN. HVM. RESTAVRATIONIS
M CCCCC XX

Armamentarium NEOSTADII *Auſtriæ* conſtruit.

XXVII. NEAPOLI *Auſtriæ* armamentarium eſt, cura, & ſumptibus FERDINANDI noſtri conſtructum: unde in frontiſpicio illius clypeus ſat iuſtæ magnitudinis viſitur, inſignibus exornatus, ac a duo-

a) In Orat. funebri FERDINANDI I. Imp. in mox cit. tom. I. Orat. funebr. p. 364. av.

b) Pag. 197. §. XLVIII.

duobus gryphis, tanquam telamonibus, ſuſtentatus. Pilæ digmata *Auſtriacum*, ac *Burgundicum* inſcripta ſunt, quæ inter ſequens inſcriptio ſe ſe legendam offert:

FERDINANDUS. PHILIPPI. HISPANIARUM. ET IOANNE
REG. F. NEPOS. MAXIMILIANI. CES. AUG. AC
FERDINANDI. SENIORIS. CATHOLICI. FRATER. GERMANUS
CAROLI V. IMP. PRINCEPS. AC. INFANS. HISPANIARUM
ARCHIDUX. AUSTRIE. ZC. HOC. ARMAMENTARIUM
OB. PATRIE. TUITIONEM. IN. HOSTIUM. TERROREM
E. FUNDAMENTIS. EXTRUEBAT. ANNO. A. NATO. IESU
M. D. XXIIII.

XXVIII. VINDOBONÆ aulam Cæſaream ingredientibus, non longe a *Cancellaria* Imperiali, in angulo quodam lapis eſt, hac inſcriptione inſignitus:

Partem Palatii Cæſ. *Vindobonenſis,*

DIVO. REGNANTE. FERDINANDO. ROMAN-
ORVM. HVNGARIE. BOEMIE. ZC. REGE.
ARCHIDVCE. AVSTRIE. ZC. PRINCIPE.
NOSTRO. GLORIOSISSIMO. M. D. XXXVI.

Aulam *Cæſaream*, ac in primis eam partem, quæ ab Auguſtiſſimo Imperatore hodie incolitur, LEOPOLDUS *Glorioſus*, ex linea *Babenbergica* conſtruxiſſe, OTTOCARUS vero, *Bohemiæ* Rex innovaſſe, vel, ut contra pleroſque LAZIUS ſcribit, primus ibi eandem erexiſſe fertur: a) reliqua a ſequentibus Principibus aut reſtaurata, aut a ſolo excitata fuerunt, quos inter & FERDINANDUM noſtrum computandum eſſe, iſthoc docet epigramma.

Huc pertinet inſcriptio altera, ibidem ad excubias, ſeu ſtationem *Helvetiorum* legenda:

FERDINANDVS ROM
GERMA HVNGA
BOEM ZC REX INFA
HISP ARCHI AVST
DVX BVRGVND ZC
ANNO MDLII.

XXIX. In dicta urbe *Neoſtadienſi* palatii *Archiducalis* atrium ingredientibus Occidentem verſus tabula ſe ſe obiicit, ex ære fuſa, ac pilæ immiſſa, hanc inſcriptionem referens:

Et *Neoſtadienſis* conſtrui curat,

FERDINANDVS. ROMA
NORUM. VNGARIAE. BOE
MIAE. ET ZC. REX. PRINCE
PS. HISPANIARUM. ARCHI
DUX. AUSTRIAE. INCLITU
S. MAGNANIMUS. PIUS. A
UGUS.TUS. FECIT
ANNO MDXXXII.

a) Vid. Anonym. S. I. *Topograph. Auſtr.* edit. *Wienn. Auſtr.* 1701. fol. p. 9.

Itemque *Bruxellis* feneſtras,

XXX. Bruxellis in ſacello SS. Sacramenti de *Miraculis*, ſæpe laudatæ Baſilicæ SS. Michaelis, & Gudulæ, verſus cemeterium feneſtra eſt cum effigie Ferdinandi, hoc adiecto titulo:

FERDINANDUS, DEI GRATIA ROMANORUM IMPERATOR, DALMATIÆ, CROATIÆ REX, HISPANIARUM INFANS, ARCHIDUX AUSTRIÆ, CAROLI V. IMPERATORIS FRATER PONI IUSSIT 1546.

Adiungitur ei Anna uxor, *Hungariæ*, & *Bohemiæ* Regis ſoror, nomine tamen eius haud expreſſo. a)

Ut & *Vindobonæ* propugnacula.

XXXI. Vindobonæ variis urbis propugnaculis variæ inſculptæ ſunt inſcripturæ. Inter ceteras hanc refert R. P. *Otto* Aicherus. b)

D. O. M.
D. D. N. N. CAROLI ET FERDINANDI PERENNIUM AUGUST.
SALUBER. IUSS. HOC PROPUGNACULUM A FUNDAMEN.
CONTRA TURCARUM VIM, ORDINANTE VIRO CLARISSI. LEONHARDO VELSIO, SACRI REGII PALATII COMITE, ET UTRIUSQUE MILITIÆ MAGISTRO, INSISTENTE ETIAM STEPHANO DENCKIO, CONSULE VIGILANTISSI. S. P. Q. VIENNENSIS CURÆ HORUM COMMIS. AD EXTREMAM MANUM PERDUX. ÆRE PUBLICO, ANNO CHRISTI. M. D. XLV. V. S. L. L. M.

Varia,

XXXII. Idem Aicherus, c) unacum Swertio, d) hanc quoque adferunt, ibidem olim poſitam:

CHRISTO O. M. ET MEMORIÆ ÆTERNÆ.
D. N. FERDINANDO FELICI PIO AUG. GERM. PANNONICO, BOHEMICOQUE, QUOD IS ORIGINIS, ET PRINCIPATUS SUI HANC METROPOLIM PROPTER ARMA CONSILIIS, ET MUNIMENTIS ſUVERIT, AC INTER CÆTERA HANC INGENTIS SUMPTUS MOLEM ADVERSUS SOLYMANNUM, TURCARUM TYRANNUM, COMMUNE ILLUD, ET HORRENDUM CHRISTIANI ORBIS FULMEN, OPPOSUERIT: NICOLAUS COMES A SALM MILITIÆ, CHRISTOPHORUS AB EIZING BARO, SENATUS, ET MARCUS BOECK A LEOPOLDSDORF, SCRINIORUM MAGISTRI, CÆTERIQUE ADMINISTRATIONIS AUSTRIACÆ SENATORES, DEVOTI NUMINI PRINCIPIS SUI, DE PATRIA SEQUE OPTIME MERENTIS. V. S. L. L. M. AN. CHRISTI M. D. XLVI.

Quorum inſcriptiones amplius recenſentur.

XXXIII. Alia præterea propugnacula, inſcriptionibus inſignita, hodieque extant, quas, ordine chronologico diſpoſitas, hic uno velut faſciculo complecti animus eſt. Itaque munimento, ad dextram portæ *palatinæ* ſito, hæc inſcripta ſunt:

Ferdinandvs Roma
norvm Germaniæ
Hvngariæ Bohemiæ zc
Rex Infans Hispaniar
vm Archidvx Avstr
Dvx Bvrgvndiæ zc
Anno Christi mdxlv

In munimento, ad dextram portæ *Granariæ*, ſeu ut vulgo, ſed perperam e) *Carinthiacæ*, ad *Stranberg* appellato, hæc habentur:

Ferdi-

a) Vid. le *Grand Theat. Sac. de Brabant.* tom. I. liv. VI. p. 194. Videtur tamen legendum: *Rom. Rex*, aut ponendum 1564.
b) Loc. cit. p. 290.
c) Ibid. p. 291.
d) Loc. cit. p. 328. ſeq.
e) Vid. Steyerer. in addit. ad Albert. II. col. 261. ubi appellationem iſtam a venditione granorum frumenti, non a *Carinthia*, pulchre derivat.

FERDINANDVS ROM. GERM. HVNG. BOEM. ZC.
REX INF. HISP. ARCH. AVSTR. DVX BVRG. ZC
SACRI *Rom.* IMP. ORD. ET STATVVM SVMPTIBVS
CONSTR. IVSS*it* ANNO CHRISTI MDLII.

Additur aquila, ſubtus quam ſcriptum eſt:

RENOVATVM
ANNO 1641

In munimento, a fuſcedine nomen ſortito, vulgo *braun baſtion*, eadem omnino leguntur, niſi quod nota chronologica eius ſeculi in annum LV. commutata ſit, & renovationis indicium abſit. Simili item inſcriptione gaudet propugnaculum, cui a turri aquaria nomen, ſemi tamen exeſa nota temporis, nec niſi litteris MD. ſuperſtitibus. Denique inſcripturam eandem præfert munimentum, a dextris portæ *Scoticæ* conſtitutum, cuius vero initium eſt: FERDINANDVS P*rimus* ELECTVS ROM. IMP. &c. exigente nimirum hunc titulum *Imperatoria*, qua interim auctus fuit FERDINANDUS, dignitate. Adiicitur æra MDLXI.

FERDINANDUS in templum S. VITI, quod *Pragæ* eſt, munificus.

XXXIV. *Paulus* HENZNERUS, a nobis alias laudatus, in ſuo Itinerario, *Norimbergæ* anno 1612. edito, a) inſcripturam adducit, *Pragæ* in aditu, ſeu introitu ſecretiore templi S. VITI poſitam, atque ita loquentem:

ANNO IESU CHRISTI SALU. 923. SANCTUS WENCESLAUS MARTYR, ET DUX PATRIÆ, POST MARTYRIUM AVIÆ SUÆ LUDMILLÆ; PRIMUM HIC B. VITO MARTYRI TEMPLUM ÆDIFICAVIT, QUOD S. WOLFGANGUS, EPISCOPUS RATISBONENSIS, CONSECRAVIT, ET ANNO 968. BOLESLAUS PIUS EPISCOPI SEDEM FECIT, CUIUS SECUNDUS EPISCOPUS S. ADALBERTUS, ANNO 998. APUD PRUTENOS MARTYRIO CORONATUS, ET EX GNESNA CIVITATE HUC TRANSLATUS, PECULIARE SACELLUM ADEPTUS EST. ATQUI SPITIGNEUS II. DUX ANNO 1060. POST S. PROCOPII OBITUM ANNIS SEPTEM, E TEMPLO S. VITI, AC ITEM S. ADALBERTI, UNUM, IDQUE AUGUSTUM, CONSTRUXIT; SED CUM HÆC OMNIA ANNO 1142. HOSTILI ARCIS DIREPTIONE CORRUISSENT, REX IOANNES PRIMUS, ANNO 1344. CHORI HUIUS FUNDAMENTA IECIT, ATQUE IN METROPALITANAM ECCLESIAM EREXIT; FILIUS AUTEM CAROLUS IV. ROMAN. IMP. ETIAM SIGISMUNDI REGIS, ET MARTYRIS, MULTORUMQUE SANCTORUM RELIQUIIS ANNO 1366. DITAVIT, ET MUNERIBUS AUXIT: QUIBUS REX WENCESLAUS, EIUSDEM CAROLI FILIUS, ANNO 1392. POSTERIOREM TEMPLI HUIUS PARTEM ADIECIT, DEINDE CASU PUBLICO ANNO 1541. EXUSTA, FERDINANDUS I. ROMANOR. HUNGARIÆ, ET BOHEMIÆ REX ANNO 1555. EADEM HÆC ET INSTAURAVIT, ET ORNAVIT.

a) Pag. 412.

Eiusdem mensa.

XXXV. Denique prætereunda haud est mensa, quam *Ioannes* CRATO, Medicus *Cæsareus*, ab Imperatore acceptam, sequenti titulo insignivit: a)

a IN HAC MENSA DIVUS FERDINANDUS IMP. AUG. P. F. PACIFICUS, PRIUSQUAM LETHALIS MORBUS LECTO OPT. ET BEATISS. PRINCIPEM, AFFIGERET, MULTIS MENSIBUS CIBUM SUMPSIT: IMPER. VERO MAXIMILIANUS II. F. AUG. PERP. CUM IN MEDITATIONIBUS SALUTARIBUS VERSARETUR, SUA MANU SENTENTIAS PLENAS PIETATIS, ET HUMANITATIS INSCRIPSIT. HAS POSTERIS SALUTARES, CRATO, SACRATISSIMORUM IMPERATORUM MEDICUS, NE HANC TABULAM, QUA USOS, ET SUSTENTATOS DIVINOS MONARCHAS INTELLIGITUR, TANQUAM VILE LIGNUM HABERETUR, STUDIO, AC DILIGENTIA SUA CONSERVAVIT.

CAPUT II.

FERDINANDI I. IMPERATORIS PROLES FOEMINEÆ.

§. I.

Simulacrum ELISABETHÆ, TAB. LXIX. N. 3.

Inter numerosam sobolem, qua ANNA *Hungarica* FERDINANDUM nostrum beavit, omnium primam enixa est ELISABETHAM. Eam hic tanquam sponsam SIGISMUNDI, Regis *Poloniæ*, exhibemus, prout ad nativam speciem expressa, in palatio Cæsareo *Bellofontano* olim asservabatur. Vestis ei fusca est, intertextis fili aurei ornamentis splendida. Manicæ repetitis hiulcant incisuris, enitescente albo ex iis indusio. Porro calantica obtegitur, ad galerum virilem, id ætatis usitatum, proxime accedente, quem biretum vocare solebant. Denique a collo cimelium dependett, ex adamantibus fabrefactum, & in formam litteræ S effigiatum, superimposita corona: ubi plane indubium videtur, donum id esse SIGISMUNDI sponsi, cuius quippe nominis sigla hæc indicium suggerit; adeoque haud mirum, a sponsa honoris, ac amoris ergo supra pectus gestatam.

SIGISMUNDO, Regi *Polon.* desponsæ.

II. Enimvero ELISABETHAM adhuc admodum puellam SIGISMUNDO II. SIGISMUNDI I. Regis *Polonorum* filio, destinatam fuisse, unacum aliis bene multis intelligimus ex Instrumentis, ea occasione obsignatis. Nimirum iam tum anno 1530. cum annum ætatis quintum non admodum adultum ageret, b) decimum contra sponsus superasset, c) de connubio illo agi cœptum, d) negotiumque anno 1538. ad finem perductum ita est, ut sponsa pro dote centum millia aureorum *Hungaricalium* afferens, pro *contra-dote*, seu donatione propter nuptias tantundem reciperet, e) nuptiis ipsis in annum 1543. diem XXI. *Aprilis* prorogatis. Sed videantur dicta nostra Instrumenta. III.

a) Extat apud laudat. AICHERUM p. 375. & SWERTIUM Select. Christ. orb. delic. pag. 492.

b) Nata est enim *Lincii* 1526. die lunæ IX. *Iulii* hora quarta matutina, in signo cancri. Errat itaque GANS. in *Gynæceo* lib. XI. cap. I. p. 205. diem XX. eiusd. statuens.

c) Natus videlicet 1520. die 2. *Aug.* Vid. SCHARDIUM Epit. rer. gest. sub MAXIMIL. II. Imp. tom. IV. p. 2518.

d) Vid. Instrumentum P. I. num. LXIX. p. 83. editum.

e) Teste Instrumento alio, a nobis num LXX. vulgato.

III. Sequitur protome ELISABETHÆ tanquam Reginæ *Poloniæ*, ex thecis HERÆI, ac laudatæ *Khevenhilleriana* Pinacothecæ P. I. num. 46. ad p. 112. e. educta. Pulcherrime compta hic sistitur, convenitque, quod de ea loc. cit. scribit SCHARDIUS: SIGISMUNDUM AUGUSTUM, Regem *Poloniæ*, uxorem accepisse voluntate Patris, ELISABETHAM, FERDINANDI Cæsaris, & *Hungarorum*, ac *Bohemorum* Regis filiam natu maximam, *in qua muliere genus cum forma, forma cum comitate, & mansuetudine, hæc cum probitate, probitas denique cum pietate certabat, ita, ut nescires, quid in ea potissimum admirareris.* Similia larga manu suppeditat illustr. KHEVENHILLERUS.

TAB. LXIX.

IV. Succedit icon ANNÆ, ELISABETHÆ sororis, ac ALBERTI V. Ducis *Bavariæ* coniugis, ex iisdem, quibus imago proxime antecedens, fontibus hausta. Velata comparet, ac pallio induta, tanquam vidua, ut videtur; ad quem statum anno 1579. IV. *Kal. Nov.* redacta fuit. Collare præterea rugosum gerit, pro more eorum temporum. Eximia huius Principis laus est apud GANSIUM in *Gynæceo*, a) ubi ab operibus misericordiæ, seu charitatis, præcipue commendatur. De corporis specie nemo, si recte meminimus, quidquam prodidit. Mediocrem fuisse, cum ex nummis, a nobis alibi productis, tum ex hac nostra imagine intelligimus.

Ut & ANNÆ sororis eius. N. 5.

V. Antequam ALBERTO nuberet ANNA, primum THEODONI, ALBERTI fratri, b) adhuc admodum puella, deinde vero THEODONE anno 1534. fatis concedente, per Pacem *Crespiacensem*, inter CAROLUM V. *Rom.* Imp. & FRANCISCUM I. Regem *Franciæ*, initum, CAROLO Duci *Aurelianensi* an. 1544. die XVIII. *Sept.* adpromissa fuit: c) adiecta tamen conditione, nisi CAROLUS Aug. ipse filiam suam MARIAM eidem elocare statueret. At mutatis, subversisque brevi consiliis, ANNA nostra memorato ALBERTO cessit, nuptiis *Ratisbonæ* die IV. *Iulii* anni 1546. solemni ritu celebratis, id quod tradit GANSIUS in *Gynæceo*, quodque confirmat Instrumentum, eodem anno, dieque XIX. *Iunii* d) obsignatum, unde præterea dotem eius, donationemque propter nuptias, addiscere est.

Quæ pluribus adpromissa, ALBERTO *Bavaro* cessit.

VI. Primas in sequenti tabula partes tenet FERDINANDI filia tertia, MARIA nomine, GUILIELMI Ducis *Iuliæ*, *Cliviæ*, & *Montium* uxor. Educta est ex tabula picta, in palatio quondam *Bellofontano* conspicua. Vestis superior nigra, unionibus distincta: inferior vero, nec non & manicæ flavescentes, copiosis parergis argenteis exornantur.

MARIÆ effigies. TAB. LXX. N. 1.

VII.

a) Lib. XI. cap. II. p. 206.

b) ADELZREITER ad an. 1534. P. II. lib. X. p. m. 248.

c) Extat hic tractatus apud DUMONTIUM *Corps. Dipl.* tom. IV. P. II. p. 279. ubi tamen p. 284. col. 1. optio datur Duci *Aurelianensi* aut MARIAM, CAROLI Imp. primo, aut ANNAM, FERDINANDI R. R. filiam secundo loco genitam elocandi.

d) Vid. responsionem præv. Aug. Aulæ *Vindob.* ad Sereniss. electoralis Aulæ *Bav.* deductionem quæstionum *de successione Austriaca* p. m. 51. & ad eam adiunct. num. XXIX.

Quæ GUILIELMO, Duci *Iuliacensi*, nubit, N. 2.

VII. Altera effigies ex thecis HERÆI exsumpta, adscriptum titulum gerit, quo MARIAM, FERDINANDI filiam, Ducisque *Iuliæ*, *Cliviæ* & *Montium* coniugem intelligimus. Huic nempe eodem anno, mense, & loco, quo soror eius ANNA, at die 18. *Iulii*, in manus convenisse legimus, a) pactis matrimonialibus, unde dotem, donationemque propter nuptias, addiscimus, pridie eius diei obsignatis. b) Accessit & privilegium CAROLI Imp. quo, deficientibus ex eo matrimonio masculis, ius paternæ hereditatis etiam fœminis c) adiudicatur. Ex hac inter ceteros liberos natus est CAROLUS FRIDERICUS, qui morte immatura *Romæ* extinctus, ob egregias animi, corporisque dotes *Steph. Vinando* PIGHIO occasionem dedit suum elucubrandi HERCULEM *Prodicium*.

Icon MAGDALENÆ Sanctimonialis. N. 3.

VIII. Subiungitur FERDINANDI I. filia quarta, MAGDALENA, cuius imago in sæpe laudata Pinacotheca KHEVENHILLERI reperitur. Comparet cum habitu parthenonis Virginum nobilium, a se *Halæ* in *Tyroli* institutæ, stola scilicet, seu veste talari ex lana nigra, a tergo humi reptante: collum exiguo linteolo amiciente, ac capite vitta alba, ac galero stricto, contecto. Atque sic quidem domi incedunt: cum eadem exeuntes palliolo præterea, ac pileo turbinato, pro more incolarum reliquorum utantur. Utrumque vestimenti genus R. P. HELIOT in sua *Ordinum Religiosorum* historia exhibet: priorem tamen habitum ab hoc nostro non nihil discedere, alterum cum altero contendenti patebit. Insignis huius Virginis laus est apud sæpe laudatum GANSIUM; unde & pii huius instituti origo, ac ratio repeti poterit: d) quanquam lectorem tardare queat, quod typographi errore titulus *Capitis*, quo illius recenset acta, loco MAGDALENÆ, MARGARETHÆ nomen præferat, ac in contextu aliquoties repetatur. Quod quidem in lectoris commodum monere visum est.

Itemque CATHARINÆ, tanquam Ducissæ *Mantuæ*, N. 4.

IX. Quinta e) FERDINADI filia CATHARINA, FRANCISCO *Gonzaga* primum, *Mantuæ* Duci, deinde vero SIGISMUNDO AUGUSTO, Regi *Poloniæ*, iuncta, ut in tabula picta palatii *Bellofontani* conspicua olim erat, hic sistitur. Vestis eius ex panno argenteo, aureis floribus consperso, constat: manicæ pellibus pretiosis retortæ muniuntur: lumbos zona, ad pedes usque demissa, cingente. Porro sinistra chirothecas tenet, dextra, mensæ imposita, librum: quo an ad legendi studium adludatur, lectionem præsertim *Sacrarum litterarum*, quæri possit. IUDITHÆ certe, *Maximiliani* de POLHEIM coniugi, sibi ex falso religionis fervore frequentem *Sacrorum Bibliorum* lectionem suadenti, apte respondit: f) se quidem *Sacram Scripturam*

a) Apud GANS. in *Gyn.* p. 214. SCHOENLEBEN. in *Ephemerid.* aliosque.

b) Edimus illa præter alia Instrumenta, huc pertinentia, citata parte I. huius tom. num. LXXIII. seq.

c) Extat apud DUMONT. Corp. Dipl. l. c. p. 313.

d) Loc. cit. lib. XI. cap. IV. p. 216. Extat eius etiam vita, seorsim edita.

e) Ab *epitomatore rer. gestar.* sub MAXIMIL. II. Imp. seu SCHARDIUM tom. IV. p. 2510. filiam *septimam* perperam vocari, manifestum est nisi forte dicere queas, MAXIMILIANUM, & FERD. ibi una computari.

f) Extat epistola in *collectan. Genealogico-Hist.* ill. Comitis de WURMBRAND. p. 177.

turam ſæpiuſcule evolviſſe, quin etiamnum quotidie partem aliquam perlegere: ad expoſitionem illius ſe quidem aliis, qui ad hoc deſtinati, & vocati ſint, ex *S. Apoſtoli* PAULI mente, relinquere: rogare præterea, ut meminerit illius ab eodem *S. Apoſtolo* pronuntiati: *Mulieres in eccleſiis taceant, non enim permittitur eas loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit.* a) Item: *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione. Docere autem mulieri non permitto.* b) Et reliqua, quorum tamen ſenſum duntaxat exprimit, non ipſa S. Scripturæ verba recitat.

Tab. LXX. — a — b

X. Altera effigies CATHARINAM tanquam Reginam *Poloniæ* repræſentat, ut ex ſubiecto imagini titulo apparet. Auctor illius COCK quidam, vel pictor, vel certe ſculptor, vel uterque ſimul eſt. Similem fere iconem dedit illuſtr. KHEVENHILLERUS. Egregie porro, magnificeque ornata eſt, ac inter cetera biretum, quod in capite geſtat, gemmis, & unionibus nitet. In eius margine orbis quidam in numiſmatis formam ducitur, quem *Index rerum*, a CATHARINA noſtra in *Poloniam* advectarum, hunc in modum illuſtrat: *Biretum unum veluti nigri, habens rubinos ſex, & diamantes duodecim, cum imagine, Italice* MEDAGLIA *nuncupata, diamantis cum magnis perlis intus annexis.* Edimus hunc indicem in Auctar. dipl. num. LXXVIII. quod rei veſtiariæ ſtudioſis uſui eſſe queat. Addimus præterea Inſtrumenta varia, ad geminas CATHARINÆ nuptias pertinentia num. LXXII. LXXVII. ſeq. unde nimirum *dotem*, & *contra-dotem, donationemque propter nuptias*, & ſimilia docemur.

Et Reginæ *Poloniæ*. N. 5.

XI. Agmen in hac tabula claudit ELEONORA, FERDINANDI Imp. filia ſexta, cuius effigiem ex tabula picta, in palatio Archiducali *Bellofontano* quondam viſenda, depromſimus. Biretum, ſeu pileolum, margaritis inſignem, & plumulis criſtatum, in capite gerit. Exterior palla nigra pretioſis lapillis niteſcit, interior fuſca aureis lemniſcis pertexta eſt. Eam SCHARDIUS, rerum ſub FERDINANDO I. Imp. geſtarum epitomator c) ad annum 1561. hunc in modum brevibus adumbrat: *Menſe Maio* ELEONORA, *Imperatoris* FERDINANDI *filia, virgo, forma, & moribus ornatiſſima,* WILHELMO *Duci Mantuæ deſponſata, ad eum honorificentiſſime deducta, Mantuæ nuptias celebrat.* Quæ quidem deſcriptio, etſi cum noſtra hac effigie, quoad formam parum conveniat, fidem tamen eo haud minorem meretur; quando quidem ille de ELEONORA adoleſcentula loquitur, nos contra ætate provectam exhibemus. Sed hæc, ut fluxa eſt, ita multis modis ſuperatur ab omnis generis virtutum ornamentis: charitatis erga proximum præſertim; id quod prolixe, atque ſingulari libro deſcribit biographus eius P. *Antonius* FOLCARIUS S. I. d) qui Principi a ſacris confeſſionibus novem annorum ſpatio erat.

Simulacrum ELEONORÆ, cum eius formæ deſcriptione. N. 6. — c — d

XII.

a) I. *Cor.* XIV. 34.
b) I. ad. Timoth. II. 11. 12.
c) Tom. III. pag. 2177.
d) Add. GANSIUM l. c. p. 241. ſeqq.

Quæ omnium primum Ioanni Frid. Duci *Saxoniæ* adpromissa erat. Tab. lxxi. N. 1. a b

XII. Addimus effigiem ELEONORÆ alteram, ex pinacotheca ill. KHEVENHILLERI exceptam. a) Velata videtur tanquam vidua, qualis anno 1587. die 14. *Augusti* per obitum mariti effecta, annis septem permansit. Antequam vero *Mantuæ* Duci in manus conveniret ELEONORA, per tractatum *Spirensem* b) anno 1544. die undecima *Maii* inter FERDINANDUM I. *Rom.* Reg. & IOANNEM FRIDERICUM, Electorem *Saxoniæ*, initum, huius filio cognomini, primogenito, aut eo decedente, IOANNI WILHELMO secundogenito, ea conditione adpromissa fuit: si interea religionis, quod tum fervebat, dissidium tolleretur; quod cum factum haud sit, omnis ea stipulatio interversa est.

Breviarium vitæ MARGARITHÆ fil. FERD. septimæ, c d

XIII. Cuius hic effigiem damus MARGARITHÆ, FERDINANDI Imp. filiæ septimæ, nummum nancisci haud potuimus; quare ut breviarium eius vitæ, in Nummotheca *Austriaca* prætermissum, hic demus, nostri nos instituti monet ratio. Nata est igitur *Oeniponte* die XVI. *Februarii* anno 1536. hora supra octavam matutinam media. Etsi enim laudatus P. GANSIUS c) *Vindobonæ* natam velit: maior tamen fides *Petro* de ROTA arbitranda videtur; ut qui omnium FERDINANDI liberorum annos, & dies natales data opera statim post mortem ANNÆ, matris eorum, carmine complexus, MARGARITHAM nostram in eadem urbe, in qua soror eius MAGDALÈNA, quam *Oeniponte* natam, iam ante retulerat, in hanc lucem editam fuisse, asserit. d) Accedunt cum MENLII, tum PUTSCHII, quæ in manibus sunt, testimonia, idem prorsus enuntiantia. Hæc DEO virginitatem suam mature, atque integris decem annis ante, quam propositum suum sororibus aperiret, consecrans, diem tamen prius obiit, quam novum, de quo diximus, monasterium *Halæ* absolveretur; defuncta nimirum anno 1567. ut alibi dicemus.

Eiusque icon, cum *virginitatis* symbolo. N. 2. e

XIV. Hoc tamen schemate nihilominus tanquam virgo, in dictarum Nobilium virginum congregatione, DEO sacrata, exhibetur, dextra lilium, tanquam *castimoniæ* symbolum, attingens, sinistra corollam precariam, pro sua in DEUM, & Deiparam Virginem pietate, volvens. Quo vero iure ei prius illud conveniat, vel inde intelligere est; quod corpus eius post sex annorum spatium incorruptum, nullamque emittens graveolentiam, repertum sit; cumque a viro quodam non infimæ dignitatis gena eius attingeretur, rubore haud secus, ac si viveret, suffusa fuerit. e) Exsumpta est imago ex thecis *Heræanis*, reperiturque etiam apud sæpe laudatum illustr. KHEVENHILLERUM loc. cit. p. 112. c.

BARBARÆ, adhuc adolescentulæ effigies, N. 3.

XV. BARBARAM, FERDINANDI Imp. filiam octavam, subindeque

a) Tom. I. p. 112. num. 42.
b) Extat apud sæpe cit. DUMONT. tom. IV. P. II. p. 270. ubi & CAROLI V. Imp. & FERD. fratris eiusdem, tractatus confirmationis leguntur.
c) Loc. cit. lib. XI. c. VII. p. 263.
d) Vid. eius carmen funebre in Reginæ ANNÆ obitum, quod inter laud. orat. & elegias funebres extat tom. I. p. 319. ac præsertim p. 326. adv.
e) Teste GANSIO l. c. p. 268.

que ALPHONSI II. *Estensis*, Ducis *Ferrariæ* coniugem, hic, prout in palatio olim *Bellofontano* cernere erat, adhuc admodum adolescentulam, depictam damus. Veste induta est nigra ex holoserico, aureis segmentata tæniis, nulla tamen, ut ceteræ sorores habent, subtus latiori palla distenta. Biretum eius, multis gemmis distinctum, flosculo item, aut pluma fastigiatur. Porro corollam precatoriam manu tenet; unde iterum admonemur eius disciplinæ, qua matrem filias suas ad omnem pietatem sedulo, ac præcipua cura instituisse, capite superiori animadvertimus. Huc pertinet, quod PIGHIUS *Halam Tyrolis* describens: a) „In hac urbe (ait) prudentissimus Princeps, FERDINANDUS Aug. nostra memoria peramplum a fundamentis exstruxit palatium, cum templo pulcherrimo contiguo, non solum sibi quidem ad secessum, & delicias; sed numerosæ proli suæ (qua fœcundus, & felix admodum fuit) ad virtutem gymnasium: ubi a primis unguiculis in tenera ætate filii, atque inprimis filiæ, quas plures habebat, ab aulica contagione semotæ, possent educari, & Principe dignis artibus institui. Ad aulæ nihilominus regiæ normam, disciplinamque, familiæ, supellectilisque sufficienti copia palatium instructum erat: sed exulare semper debebant vitia, admittebatque neminem, nisi viros, vitæ integritate, litterarum, artium, atque linguarum peritia præstantes; adeo ut illi nulla non invideret academia. Aderat pater optimus, ipse secessum aliquando petens, ut charissimæ sobolis incrementa, mores, studia, atque exercitia recognosceret. --- In hoc itaque gymnasio feliciter duo Cæsares, ac Reges ævo nostro, multi Archiduces pueritiæ rudimenta in virtutum exercitiis posuere: & ex eiusdem parthenone Christiani orbis summi quique Reges, maximique Duces, ac Principes, sibi, filiisque suis nuptias petere solent.„

TAB. LXXI. — a

XVI. Multo comptior, ornatiorque eadem BARBARA, tanquam Ducissa *Ferrariæ*, comparet in schemate sequenti. Caput eius, collum, & pectus multis, variisque gemmis, ac unionibus superbit: humeris pellis animalculi integra incumbit, ac dextra denique chirothecas, sinistra ventilabrum tenet, maximam partem ex plumis confectum, atque gemmis, & unionibus consitum.

Ac tanquam Ducissæ *Ferrariæ*. N. 4.

XVII. Adiungitur HELENA, FERDINANDI Imp. filia decima (URSULÆ enim, ante annum ætatis tertium emortuæ, aut nummum, aut effigiem frustra quæras) in hanc lucem *Vindobonæ* an. 1543. die VII. *Ianuarii* emissa. GANSIUS & horam addit b) octavam scilicet pomeridianam: at nobis fides iterum potior videtur *Petri* de ROTA c) id *ante diem medium paullo plus quatuor horis* accidisse, perscribentis. Cum GANSIO tamen consentit MENLIUS. Quidquid sit, HELENA cum ceteris sororibus institutum Virginum *Halens.* quarum hic habitu sistitur, suscipiens, illudque ad amussim observans, primaque omnium ex ea domo naturæ debitum exsolvens, ad virginum sponsum emigravit anno MDLXXIV. quinto *Martii.*

HELENÆ effigies, deque vera eius nativitatis hora. N. 5. — b c

XVIII.

a) In HERCULE Prodic. p. m. 153.
b) Loc. cit. p. 271.
c) Loc. cit. p. 327. aversa.

Simulacrum Ioannæ, cum littera F. in capite: Tab. lxxi. N. 6.

XVIII. Familiam tandem claudit Ioanna, Ferdinandi filia ultima, ac Francisci *Medices*, Ducis *Etruriæ* uxor. Huius effigiem, penicillo ad vivum efformatam, reperimus in palatio *Bellofontano*. Veſtis exterior rubea argento intertexta: tunica vero & manicæ ex panno argenteo conſtant: collare rugoſum, patagiumque unionibus ornantur. In mundo capitis ſingularis eſt littera F. prima ſcilicet nominis Francisci, ſponſi, ſubindeque mariti eius, quem illi haud dubie in acceptis retulit. Vidimus ſimile fere exemplum in Elisabetha, ſponſa Sigismundi, *Poloniæ* Regis, ſupra tab. lxix. n. 3.

Cumque *Magni Ducis Etruriæ* titulo, marito dato: N. 7. a

XIX. Non minori cura, diligentiaque compta, atque ornata comparet Ioanna in ſchemate ſequenti, ubi capitis tegumentum præcipue ſuſpiciendum venit: in ſubiecta autem inſcriptione Magni Ducis Etruriæ vxor, quem quidem titulum Cosmus I. pater Francisci a S. Pontifice Pio V. cuius Bulla extat, a) an. 1569. obtinuit, a Cæſare deinde Maximiliano II. in gratiam Ioannæ, eiusque mariti, confirmatum. Exprompta eſt imago ex thecis Sereniſſimi Principis Eugenii de *Sabaudia* tom. XIV. adſcripto inferne titulo: *Adrian.* Halvech *ſculpſit.*

Adiecto elogio.

XX. Elogium huius Principis Menlius loco, quo ſupra, hunc in modum texit: „Nata eſt *Pragæ* anno 1547. XXIV. *Ianuarii* „ die *Lunæ* circa octavam horam veſpertinam. Nupſit Francisco, *Magno Etruriæ Duci*, Cosmi *Medicis* filio, an. 1565. menſe „ *Novembri.* Fuit hæc Princeps cum forma præſtantiſſima, tum „ pudicitiæ modeſtia, varioque aliarum virtutum genere maxime „ commendabilis: & aliquot ex coniuge ſuo, quem impenſe amabat, „ & officioſe colebat, utriusque ſexus edidit liberos. Sed mors in„ vida tantum boni concedere optimæ Principi noluit, ut filium „ aliquem ſuum poſt mortem coniugis ſui regnantem in *Hetruria* „ videret. Quin & alias multas devorare moleſtias taciturna de„ buit, quas ignobiles interdum mulieres perferre nollent: ſed hæc „ ſunt rerum humanarum aliquando conditiones, ut civium, & mi„ norum gentium uxores lætiorem tranſigant vitam, quam Reginæ, „ aut matronæ Principes. „ Hucusque Menlius, quocum quoad diem *Lunæ*, & annum nativitatis ſupra laudatus *Petrus* de Rota, & R. P. Gansius, nec non & veteris calendarii ratio conſpirant.

CAPUT III.

MAXIMILIANUS II. IMPERATOR, EIUSQUE UXOR, ET FILIÆ.

§. I.

Protome Maxim. & eius uxoris, cum corona radiata, ac detonſo capite.

Maximilianus II. Imperator, Ferdinandi I. filius, primo loco natus, unacum uxore ſua, Caroli V. Imp.

a) Apud *Ioan.* Seldenum de *titulis bonor.* P. II. p. 94. ubi & inaugurationis ceremonia exhibetur, & apud Lunig. P. ſpec. Cont. II. Fort. III. p. 690.

Imp. filia, hic adverſis vultibus, ac quoad reliquum habitum eodem fere modo ſiſtuntur, quo illos tomo præcedenti in aliquot nummis iugatos vidimus. Utrobique cum corona radiata in capite apparent, quod quidem ad imitationem veterum fit; quemadmodum & aſſumptus in nummis *Divi* titulus, cum hoc tamen diſcrimine: quod illi eiusmodi & coronam, & titulum non niſi defunctis, apotheoſi honoratis, tribuerent: ſecus vero contigerit cum noſtris Imperatoribus, FRIDERICO *Placido*, MAXIMILIANO, CAROLO, aliisque; ut quibus etiamnum inter mortales agentibus, *Divi* prædicatum ſæpiuscule tributum fuiſſe, cum alibi obſervavimus, tum multis modis oſtendi poſſet. De cetero cataphractus eſt Rex, ac faſcia militari, nec non & inſigni *aurei velleris* (quod & in reliquis eius imaginibus obſervare eſt) ornatus; caput autem detonſum habet, patrui, aliorumque ex Auguſta, *Hiſpano-Auſtriaca* præſertim gente, de quo alibi diximus, exemplo. Scilicet in *Hiſpania* educatus, facile illius gentis imitatus eſt morem. Regina uxor capite vittato, ac oblonga tænia, a qua monile demittitur, inſtructa: brachia ad hodiernum nobilium in *Hungaria* fœminarum morem ligamentis ſtricta gerit. Titulum denique, inter utramque imaginem medium, mendoſum eſſe, forte non eſt, cur moneamus; nemine non vidente, legendum ROMANOR. ET BOHEMIÆ REX, poſtque verba: MARIA AVSTR. BOEM. addendum eſſe: REGINA. Educta ſunt ſchemata ex thecis HERÆI.

TAB. LXXII. N. I. 2.

Regina MAXIMILIANO, quando, & quo pacto iuncta?

II. Equidem ſupra iam innuimus: MARIAM CAROLO primum Duci *Aurelianenſi*, per pacis *Creſpiacenſis* conventa (adiecta tamen conditione: niſi CAROLUS Imperator ANNAM filiam FERDINANDI fratris eidem elocandam decernat) adpromiſſam fuiſſe: at eo conſilio brevi interverſo, MAXIMILIANO noſtro ceſſit; pactis matrimonialibus in *Comitiis Auguſtanis* anno 1548. die 24. *Aprilis* obſignatis. Dotem MARIÆ *ducenta millia ducatorum* (pro parte paterna) *& ex parte matris, felicis memoriæ ſereniſſimæ quondam Imperatricis, & loco portionis, ſibi ex hæreditate materna competentis, vel quæ competere poſſet*, 100. *millia coronatorum, vel ſcutatorum* conſtituebant. Cum contra FERDINANDUS Rex, *quo --- ſereniſſimus* MAXIMILIANUS *Archidux, eius filius, commode ſtatum ſuum ſuſtinere, onera matrimonii, ſumptusque ferre, ſeque, ac ſuam curiam convenienter intertenere poſſit --- eidem ſereniſſimo Archiduci* MAXIMILIANO *filio aſſignat ſummam certam annuam florenorum Rhenenſium ſexaginta millium, ſexaginta cruciferos pro ſingulo quoque floreno computando.* Addidit idem iocalia, quæ vocant, atque *doarium*, ſeu dotalitium, quorum illa *ad quadraginta millia florenorum:* hoc vero *ad viginti millia coronatorum* annui proventus æſtimabantur. Quæ ſingula ex dicto *contractu matrimoniali*, unacum ceteris intelligimus, a nobis propterea loco cit. num. LXXVI. typis mandato. Huc pertinet tetraſtichon, quo Poeta quidam de eodem matrimonio hunc in modum vaticinatus eſt: a)

a) Apud. PIGHIUM, HERCUL. *Prodic.* p. 67.

Tab. LXXII.

Reginam Mariam dicas, hæc omnia dices:
Stirpis honor, pietas, gratia, forma, fides.
Cæsaris est eadem proneptis, nata, nurusque,
Hinc erit et coniux Cæsaris, atque parens.

Hæc namque, atque amplius, ad amuſſim eveniſſe, videre erit paullo inferius §. X.

Maximiliani protome duæ, N. 3. 4.

III. Lincio accepimus ab illuſtr. D. Comite a Weissenwolff protomen ſequentem, ubi Cæſar ætate provectior, barbatus, adverſa fronte, veſte, *Hungarorum* more, munitus pellicea, cum collari rugato, atque alto, & rotundo pileo comparet. Alterum ſchema, ubi Cæſar & tunicam pellitam, & *biretum*, quod vocant, pro more eius ætatis, in capite gerit, *Thomam* Treterum auctorem habet; ad cuius typum *Dominicus* Custos, aliique chalcographi ſua quoque efformarunt ſimulacra.

Itemque & tertia cum eius genio, N. 5.

IV. Protome extrema *Paulo* Furstenio *Norimbergenſi*, eam inter effigies Cæſarum *Auſtriacorum* num. 9. referenti, debetur. Huius Imperatoris adhuc iuvenis ingenium Isthuanffius, a) Scriptor illuſtris *Pannonius*, his verbis adumbrat: „ Ferdinando Cæſare „ vita functo -- Maximilianus, *Ungarici*, & *Bohemici* regni ad„ miniſtrationem, quam vivente etiam patre exercuerat, protinus „ ſuſcepit. Siquidem ſingulari iuventæ decore, ac ingenua, blan„ daque ſermonis comitate, facili aditu, alloquioque, & aliis arti„ bus, maximam apud omnes *Germaniæ*, ac *Pannoniæ* proceres, po„ pulosque gratiam, & benevolentiam ſibi comparaverat, & ne ma„ gnitudine animi, induſtria, auſuque, & armis patre inferior eſſe vi„ deretur, omnibus viribus contendere nitebatur. „ Et alibi ad annum 1549. b) „ Nec multo poſt Maximilianus, Ferdinandi „ filius, viginti duos annos natus, *florens ætate*, *formaque*, *a Bohe„ mis* in Regem electus eſt, ſingulari patris, omnium mortalium „ lætitia; quum eſſet blando, comique ingenio, omnibus iuxta gra„ tiſſimus. „ Hæc ille:

Ac vivendi conſuetudine.

V. Quod ſi quis Maximiliani vivendi morem reliquum deſideret, eum *Baro* de Polheim c) breviter ſic ſubminiſtrat: „ Nunc de interiore etiam Imperatoris noſtri vita, & conſuetudine domeſtica dicam, quæ optimi ordinis, & plurimarum virtutum plena fuit. Diſtincte, & ratione certa domi diſtributa habebat tempora omnium actionum, precum, deliberationum, ſubſcriptionum, prandii, cœnæ, ſomnii, venationum. In conſiliis ſumma iuſtitiæ, & ſalutis publicæ cura, & in audiendis aliorum ſententiis moderatio, & lenitas erat. In prandio, quod vſitata, & certa hora ſumebat, hilares, & lepidi ſermones cum aſtantibus: ſingularis in victu temperantia, & ſobrietas: ſumma civilitas, & elegantia morum conſpiciebatur. A prandio patebat ad ipſum, menſæ adſtantem, vel prope aſſidentem, aditus omnibus omnium ordinum, etiam humilli-

a) Hiſtor. regni *Hungar.* lib. XXII. p. m. 270. ad annum. 1564.

b) Pag. 179.

c) Apud Struv. *Corp. Hiſt. Germ.* p. 1094. nota 8. tom. II.

millimæ, & abiectiſſimæ conditionis hominibus, qui eum alloqui volebant, aut ſupplices libellos porrigebant. His ſingulis comiter, & placide, eadem lingua, qua proponebantur negotia, reſpondebat. --- Poſtea aliquantulum temporis quieti, aut hortorum inſpectioni tribuit. Ante cœnam rurſus vel deliberationibus vacabat, vel recitantes litteras, de reſponſis, antea decretis, formatas, audiebat, & ſubſcriptione ſua confirmabat.„

Tab. LXXII.

VI. Tres in hac tabula comparent MAXIMILIANI ſtatuæ. Primam, a *Franciſco* TERTIO *Bergomate* delineatam, *Caſparus* PATAVINUS æri incidit *Oeniponte* 1569. unde de eius integritate eo minus dubitandum; quod vivente etiamnum Imperatore a peritiſſima manu prodierit, eique partem operis ſui primam dedicaverit; in qua quidem dedicatione conceptis verbis fatetur: quod cum eſſet *Oeniponti*, admirandas illas æneas ſtatuas, quas Divi MAXIMILIANUS proavus, & FERDINANDUS, pater MAXIMILIANI, optime faciendas curaverunt, a ſe viſas ad vivum referre ſtatuerit. Nec minorem auctoritatem habet altera, ex *Iacobi* SCHRENCKII *Armamentario Ambraſiano* deſumpta; quippe quod illæ imagines ipſius FERDINANDI Archiducis, MAXIMILIANI noſtri fratris germani, cura, & induſtria collectæ fuerint: quanquam a SCHRENCKIO anno primum MDCI. ſexto nimirum poſt eius fata anno, publici iuris factæ. Tertia autem *Theodorum* a THULDEN auctorem habet, edente ſæpius laudato *Caſperio* GEVARTIO *Antverpiæ* anno 1641. Ubique autem armatus, trabea, corona, ac reliquis ornamentis Cæſareis ornatus, repræſentatur.

Eiusdem ſtatuæ tres. Tab. LXXIII.

VII. NEOSTADII *Auſtriæ* in ſacello *Palatino* Auguſtæ tabula ſpectatur altaris lignea, egregie picta, ac duabus valvis inſtructa. Pars interior choros Sanctorum exhibet, ſupra nubes verſantium: inferior autem viventium turbam, in genua provolutam, oſtendit, familiam ducente ſummo Pontifice, ſubſequentibus Cardinalibus, & Epiſcopis, cui ex adverſo Imperator cum *Romanorum* Rege, ac quatuor aliis ex Auguſta Gente *Auſtriaca* Principibus, pariter in genua procumbentibus, manusque precantium in modum complicantibus, opponuntur. Omnes hi detonſa cæſarie, armati, atque ſuis inſignibus diſtincti, comparent, nec dubium eſt, quin priori ſchemate MAXIMILIANUM II. Imperatorem, altero RUDOLPHUM, patris in regnis, & Imperio ſucceſſorem, cuius aquila ſimplex, manicæ ſiniſtræ intexta, non obſcurum præbet indicium: tertio ERNESTUM, Gubernatorem *Belgii*: quarto MATHIAM, a morte RUDOLPHI *Romanorum* Imperatorem: ac quinto denique, ſextoque ALBERTUM, *Belgii* deinde Dominum, & WENCESLAUM exhiberi. Nam etſi hic ultimus an. 1582. quo monumentum, ut ſtatim videbimus, conſtitutum fuerat, inter vivos, validosque eſſe iam iam deſiiſſet; eadem tamen ſors tum non minus & patri eius MAXIMILIANO obtigerat, quem nihilo ſecius primo loco repræſentari, nemini facile du-

Pictura aræ *Neoſtadienſis.* Tab. LXXIV.

Tab. LXXIV. bium esse poterit. MAXIMILIANUM autem III. alibi quærendum esse, mox dicemus.

Eiusque operculum describitur.

VIII. Est is igitur in operculo aræ solus, & unicus, cataphracta munitus, ac gladio bellatorio, non secus, ac reliqui fratres, præcinctus, coram B. Virgine MARIA, superne radiis circumfusa, ac lunæ insistente, ut in schemate illo minori videre est, in genua procumbens. Pone illum S. GEORGIUS *Martyr* stat armatus, dextra Archiducem velut protegens, sinistra vero vexillum sustinens, & draconem conculcans. Ante illum humi iacent chirothecæ ferreæ, pennisque cristata cassis, tanquam reliquæ armaturæ complementa. In ima parte trunci arboris, ex opposito conspicui, nota anni, quo eam picturam fieri curavit Archidux, adscribitur: ANNO DOMINI 1582. *die* XVII. *Mart. æt.* 23. *an.* 5. *mens.* 5. *dies.* Eidem trunco affixus est clypeus, insignia Domus *Austriacæ*, a nobis alibi explicata, præferens, circumducta epigraphe: MAXIMILIANVS D. G. ARCH. AVST. DVX BVRGVNDIÆ COM. TIROLIS ET HABSPVRG. ANNO ÆTATIS XXIII. MENS. V. D. V. Quæ singula cum die, & anno eius natali apprime congruunt. MAXIMILIANUM III. huius aræ conditorem esse, ac patris, fratrumque monumenta ibi extare voluisse, sat quidem perspicuum est: num vero ad *Ordinem* S. GEORGII, ab eius atavo, FRIDERICO *Placido* institutum, pertineat, coniici quidem potest, decidi non potest.

Mariæ, uxoris eius, imago cum numismate. Tab. LXXV. N. 1.

IX. Recurrit hic MARIÆ, MAXIMILIANI nostri uxoris, simulacrum, ex opere *Francisci* TERTII eductum, sed a chalcographo, ad lucrandum spatium, inferne truncatum. Præter tunicam, vestem oblongam, humi serpentem, cum latis, ac apertis manicis, in medio religatis, gestat: caput præterea corona cinctum est, ac dextra numisma tenet, cui littera M. repetita, ac tænia velut colligata, inscribitur; sui nimirum, maritique nominum initialem: sinistra vero chirothecas continet. Est hæc ipsa imago, cui *Franciscus* TERTIUS litteras suas, quibus Imperatricis honoribus partem suæ Pinacothecæ quintam consecrat, subiecit. Laudat illam cum a natalium splendore, tum vero maxime, ac præcipue a pietate in DEUM, charitate adversus proximum, studioque Catholicæ religionis.

Itemque altera cum elogio eius. N. 2. a

X. Alterum schema ex thecis HERÆI depromptum, apud illustr. quoque KHEVENHILLERUM reperitur. Huius Principis insigne prorsus elogium est, quod ab aliis acceptum, ei CZERWENKA tribuit a) sequentibus verbis: „Titulo *Augustæ*, & *Imperatricis* ex „sanguine RUDOLPHI I. Cæsaris prima insignita est MARIA, filia „CAROLI V. Cæsaris, conjux MAXIMILIANI Cæsaris, qua vix orbis majorem tulit. Abneptis, proneptis, filia, nurus, uxor, & ma„ter duorum ordine Imperatorum, RUDOLPHI, & MATTHIÆ. „PIUS V. Pontifex quanti eam fecerit, patet ex ejus verbis, quæ „*Franciscus Christophorus* KEHENWILLER (KHEVENHILLER) in

Anna-

a) Piet. *Austr.* lib. I. cap. XVII. §. IX. p. 162.

„Annalibus *Ferdinandeis*, idiomate *Germanico* conſcriptis, in hunc „fere ſenſum reliquit: ſi mos in Eccleſia obtinuiſſet, animas virtu„tibus, & ſanctitate conſpicuas, orbi, ut Sanctas proponere, ac ver„bis declarare, nihil deeſſe, quo minus hæc MARIA ut Sancta Or„bi colenda proponeretur. PII autem ſucceſſor GREGORIUS XIII. „*Firmam Catholicæ religionis columnam*, eodem Scriptore teſte, „dixit.„

TAB. LXXV.

XI. Ex laudata *Franciſci* TERTII Pinacotheca hanc ANNÆ, MAXIMILIANI II. filiæ, atque PHILIPII II. Regis *Hiſpaniæ* uxoris, imaginem deſumpſimus, quæ aliquantum ſuppleat, quod ſupra a) deſiderabamus. Alteram, quæ titulum præſeferebat: ANNA MARIA AUSTRIACA, HISPANIARUM, ET INDIARUM REGINA, *Wenceslaus Hollar fecit* 1652. *Corn.* GALLE *excudit*, longius ſcilicet poſt illius obitum. Huius elogium, ut & ceteras eius imagines, dedimus loc. cit. tab. LV. num. 6. & 7. cui addi merentur, quæ SCHARDIUS b) ad an. 1570. refert: „Calendis *Auguſti* Imperator, „dum Status *Imperii* de propoſitis articulis deliberant, & liberta„tem militiæ retinere conantur, rebus ad profectionem filiæ MARIÆ „(ANNÆ) Principis, *genere, uirtute, moribus, ac forma uere regiæ*, „PHILIPPO *Hiſpaniarum Regi*, Patrueli, & affini --- deſponſatæ, „neceſſariis paratis, atque inſtructis, eam per *Rhenum* in *Belgicum* „cum duobus fratribus, ALBERTO, & VUENCESLAO, dimittit; in„de in *Hiſpanias* ad ſponſum Regem deducendam.„ Ceterum pacta matrimonialia PHILIPPUM II. inter, regem *Hiſpaniæ*, atque hanc ANNAM noſtram, qui deſiderat, DUMONTIUS ſuppeditabit. c)

ANNÆ ſimulacra, cum eius encomio: N. 3. 4.

XII. MAXIMILIANI filia altera, ELISABETHA nomine, anno 1570. CAROLO IX. Regi *Franciæ* coniuncta, d) hic eodem fere habitu ſiſtitur, quo mater eius, numero in hac tabula primo: niſi quod huius veſtimenta pluribus, iisque ut videtur, maioris pretii lapidibus conſita ſint. Educta eſt imago ex thecis Sereniſſimi Principis EUGENII a *Sabaudia* tom. III. de Regibus *Hiſpaniæ*. Alias duas non minoris momenti dedit Cl. MONTEFALCONIUS. e) Quantis hæc Regina extollatur laudibus, paucis dici vix poteſt. Inter plura exſcribere iuvat MENLIUM, Scriptorem utique coævum, & manu duntaxat exaratum. „Nata eſt (ait) celeri, & inopinato partu ELISABETHA, quinta MAXIMILIANI proles, *Viennæ Auſtriæ* 1554. die 5. menſis *Iunii*, die Martis nocturno tempore intra 10. & 11. horam, in ſigno *Leonis*. --- Hæc Regina tanta enitet non tantum corporis ſpecie, quæ pulcherrima eſt, verum etiam vitæ caſtimonia, innocentia, & ſanctitate, qua omnes matronas ſuperat, ut omnium rerum humanarum luxum aſpernata, dum reiterandi cum Regibus, & magnis Principibus matrimonii occaſiones non paucæ

Nec non & ELISABETHÆ. N. 5.

a) Lib. II. cap. IV. §. VII. p. 213.
b) Rer. *Germ.* tom. IV. p. 2452.
c) Corps Dipl. tom. V. P. I. p. 175.
d) Extant pacta matrimonialia ibid. p. 178.
e) *Monarch. Fr.* tom. V. tab. XXIV. p. 216.

Tab. lxxe. cæ offerrentur, nullam acceptare voluerit; sed se totam divinis contemplationibus dediderit. *Gallica* sane gente affirmante, se in regno suo honestioribus moribus Reginam nunquam vidisse, nihilque magis optare, quam ut ipsam adhuc in *Gallia* regnantem videre, aut aliam eius similem habere posset. *Pragæ* templum ædificavit, *Viennæ* non templum modo, verum etiam cœnobium sacrarum Virginum, ex instituto D. CLARÆ viventium, fundavit, cui suum habet palatium iunctum, ubi piam, & innocuam transegit vitam. „Similia ac multo plura affert GANSIUS, a) vitæ eius actiones diligenter, & ex fide personarum, res eius intime noscentium, prosecutus. Nec minori studio acta eius descripsit CZERWENKA. b) subnectens singulari sectione signa sanctitatis, per eam a DEO ostensa, atque ab illo ex monumentis fide dignis collecta.

In habitu viduitatis. N. 6. XIII. Altera imago Principem hanc nostram in vestimento lugubri, seu viduitatis repræsentat. Simplex est omnino, atque Reginæ, Christianæ humilitati adeo deditæ, apprime congruens, nullaque magis re insignis, quam imagine CHRISTI Servatoris, a collo pendentis, qualis & in mensa cum solo, & unico libello, aut *Biblico* haud dubie, aut precatorio conspicitur. Hoc vero in habitu Reginam cum suis Sanctimonialibus versari consuevisse, indubium est; quippe quod & eodem prorsus habitu, aut saltem cum simili *Crucifixi* imagine, a collo pendente, ut tomo sequenti dicemus, terræ mandata fuerit.

Margarithæ Sanctimonialis effigies. N. 7. XIV. MARGARITHAM, Sanctimonialem S. CLARÆ *Madriti*, thecæ HERÆI suppeditarunt. Maior apud biographos huius piissimæ & non sine maxima sanctitatis opinione viventis Virginis laus est, quam ut paucis exponi possit. Qui hæc desiderat, vitam eius, a *Ioanne* de PALMA conscriptam, quæ *Hispanice*, & *Germanice* extat, itemque GANSIUM, ac CZERWENKAM laudatos adire poterit. Inter cetera illius erga B. Virginem MARIAM, *sine labe conceptam*, devotio, studiumque efficiendi memoratur, ut a summa Sede eadem de *Immaculata Conceptione* doctrina tanquam dogma fidei definiretur; quem in finem revera ad GREGORIUM XV. summum Pontificem, litteras dedisse, certum fit ex huius responsoriis, anno 1622. die IV. *Iunii* obsignatis, quas ad illustrandam hanc rem suo loco vulgamus, quemadmodum & alias, a successore illius URBANO VIII. anno 1626. die XXX. *Ianuarii*, una cum sacro quodam munusculo missas, quibus MARGARITHAM in bono confirmat, eique concordiam Principum Christianorum, ut precibus apud DEUM impetret, commendat.

INSCRIPTIONES.

Maxim. & Mariæ coniugis memoria *Bruxellis.* XV. BRUXELLIS in *Brabantia*, in sæpe dicto sacello SS. SACRAMENTI Ecclesiæ Collegialis, & Parochialis SS. MICHAELIS *Archangeli*, & GUDULÆ, inter ceteras Principum *Austriacorum* effigies, etiam

a) Cit. lib. XII. cap. II. p. 284.

b) Piet. *Aust.* lib. III. cap. VIII. p. 427. seqq.

etiam MAXIMILIANI habetur, quin &, si inscriptionem recte perpendimus, MARIÆ quoque, coniugis eius. Est autem huiusmodi: a)

MAXIMILIANUS, DEI GRATIA REX BOHEMIÆ, ARCHIDUX AUSTRIÆ, FERDINANDI CÆSARIS SEMPER AUGUSTI FILIUS, ET MARIA AUSTRIACA, CAROLI V. IMPERATORIS FILIA, EIUS UXOR 1549.

XVI. Cum anno 1568. MAXIMILIANUS Imp. *Andreæ*, eius nominis tertio, ac *Sigismundo Ludovico*, eius filio, Dominis de POLHAIM, gratiam faceret, in arce sua, quæ *Welsii* est, portam, supra fossas urbis ducentem, construendi: eam sequenti inscriptione, ibidem legenda, posteris notam esse voluerunt: b)

MAXIMILIANUS DD. de POLHAIM portam construere permittit.

MILLE ET QUINGENTI DE PARTU VIRGINIS ANNI
SEXAGINTA OCTO, SI NUMERABIS, ERUNT.
MAXIMUS HANC PORTAM CONCESSIT ÆMILIANUS,
HUIUS QUI CÆSAR NOMINIS ALTER ERAT.
HINC PRINCEPS SAPIENS MEMOR EST VIRTUTIS AVITÆ,
UT REDDAT MERITIS PRÆMIA DIGNA SUIS.
HINC DOMUS A POLHAIM VIRTUTIS PRÆMIA SUMIT,
GRATAQUE PRO TALI MUNERE SEMPER ERIT.
QUISQUIS ES, HANC PORTAM QUI TRANSIS, ET HOSPES,
SISTE GRADUM, ET FELIX IQUE, REDIQUE DOMUM.

Explicantur ibidem rhythmis *Germanicis*, quos omittendos duximus.

XVII. *Norimbergenses* MAXIMILIANUM Imp. anno 1570. arcu triumphali honorasse, testantur inscriptiones eius apud R. P. AICHERUM legendæ. c) Quod num eodem ad Comitia proficiscente, aut inde per urbem illorum redeunte, factum sit, nobis quidem incompertum est. Sic autem habent:

A *Norimbergensibus* arcu honoratur.

Versus forum.

IMPERATORI CÆSARI AUGUSTO MAXIMILIANO II.
GERMA. HUNGAR. BOHEM. SCLAV. REGI, ARCHIDUCI AUSTRIÆ, CLEMENTISSIMO, AC FELICISSIMO
PRINCIPI S. P. Q. N. HONORIS, AC REVERENTIÆ ERGO
POSUIT

Versus arcem.

EN, REGINA AVIUM PENNIS NIGRANTIBUS ALAS
EXPLICAT, ET GEMINUM TOLLIT AD ASTRA CAPUT.
SIC TUA MAIESTAS, TUA GLORIA, CÆSAR, OLYMPUM
COMPLEAT, ET SOLIS PULSET UTRAMQUE DOMUM.

Supra imaginem IUSTITIÆ,
versus forum.

SIC COMMUNE BONUM, CÆSAR, SIC IURA TUERIS
PRO MERITO UT QUIVIS, TE TRIBUENTE, FERAT.
IUSTUS ES, AUSTRIACO DIGNA EST HÆC SANGUINE VIRTUS!
HOC PATER, HOC PATRUUS NOMINE MAGNUS ERAT.

Supra

a) Dans le *Grand Theatre sacré de Brabant* tom. I. lib. VI. p. 195. col. 1.
b) PREVENHUBER Annal. *Styr.* p. 489.
c) AICHER loc. cit. p. 227.

Supra imaginem PRUDENTIÆ,
verſus forum.

IUDICIUM, RATIO STABILIS, SOLERTIA MENTEM
EXACUIT, GRAVITAS INTIMA SENSA MOVET.
HINC NIHIL INDIGNUM SCEPTRO, NEC INUTILE VOLVIS,
NIL INCONSULTO PECTORE, CÆSAR AGIS.

Supra imaginem FORTITUDINIS,
verſus arcem.

TURCA FEROX SÆVIT, GELIDO PROFECTUS AB ISTRO,
VASTAT, ET IMMANI CÆDE CRUENTAT AGROS.
FORTITER HUNC CÆSAR COHIBE, DEFENDE PENATES,
PELLE PHARETRATOS, VINDICE MARTE, GETAS.

Supra imaginem TEMPERANTIÆ,
verſus arcem.

SIC GERIS IMPERII FASCES, UT MITIOR ALTER
TE NON SIT, VIRES ET MODERARE TUAS,
HOC AGIS, UT LEGES POPULI, PACEMQUE SEQUANTUR,
ET QUI TE METUANT, TE QUOQUE, CÆSAR, AMENT.

Ac *Dresdæ* cum HERCULE comparatur. a b

XVIII. Maioris, quoad temporis rationem, incertitudinis eſt inſcriptio, quam *Dresdæ* ſub ſtatua HERCULIS conſpicuam eſſe affirmant ſæpe laudati SWEERTIUS, a) & AICHERUS. b) Neque enim MAXIMILIANUM aliquando in eam urbem adventaſſe, legiſſe meminimus. Sed apponimus inſcripturam:

DIVO MAXIMILIANO II. IMPERATORI MAXI. CÆS. AUGUSTO, OB DESIDERATISS. ILLIUS ADVENTUM, AUGUSTUS DUX SAXONIÆ, ELECTOR, GRATULATIONIS, ET OBSERVANTIÆ ERGO FIERI CURAVIT, UT HEROS INCLYTUS SECTAM CALVINISTICAM, IN HAS TERRAS IRREPTAM, ET DISSIMULANTER NUTRITAM, DEO IUVANTE SUO, ET OPPRIMERET, ET VINCERET: SICUTI LERNAM HERCULES, NUMEROSUM LICET MONSTRUM, IGNE TANDEM VICIT, ET MORI DOCUIT.

MARIA per *Vincentiam*, c d

XIX. Cum MARIA, MAXIMILIANI noſtri vidua, poſt mortem mariti iter unacum MAXIMILIANO filio, & MARGARITHA filia anno 1580. in *Hiſpaniam* ad patrios lares faceret, *Vincentiæ* apud LEONARDUM, *Valmaranum* Comitem, hoſpitari voluit; unde ante eius ædes, teſtibus SWEERTIO c) & SCHRADERO, d) hæc leguntur:

MARIA AUSTRIA AUGUSTA, CAROLI V. MAXIMIL. II. RODOLPHI II. IMPP. FILIA, UXOR, MATER, A PHILIPPO FRATRE, HISPP. REGE POTENTISS. AD REGENDUM LUSITANORUM QUONDAM REGUM IMPERIUM, NUPER PARTUM, E GERMANIA ADSCITA, PER ITALIAM ITER FACIENS, IN ÆDIBUS, QUOD IPSA OB VETEREM AUSTRIACORUM PRINCIPUM ERGA HANC DOMUM CLIENTELAM MAXIME VOLUIT, CUM MARGARITHA, MAXIMILIANOQUE FILIIS ARCHIDUCIBUS, A LEONARDO, VALMARANO COMITE, EIUSDEM PHILIPPI REGIS PENSIONARIO, SPLENDIDISSIMO APPARATU ACCEPTA FUIT. ANNO M. D. LXXXI. XV. KAL. OCTOB.

Animad-

a) Loc. cit. p. m. 352.
b) Loc. cit. p. 209.
c) Loc. cit. p. 241.
d) Monum. *Ital.* p. 327. av.

Animadvertendum tamen, notam chronologicam in mendo cubare; certum cum ſit, iter illud non anno 1581. ſed præcedenti fuiſſe ſuſceptum. SCHRADERUS etiam Cal. *Octob.* ponit, cum SWEERTIUS XV. Kal. habeat. Denique ad regnum *Neapolitanum* regendum adſcitam fuiſſe dicit, quod tamen vix ita eſt; certe aliquando rexiſſe, haud legimus, a) ſed talis tamen facile tum potuit manare rumor.

Et PATAVIUM in *Hiſpaniam* proficiſcitur.

XX. PATAVIUM adveniens, magnifice quoque excepta, atque arcubus, iuſſu Senatus *Veneti*, honorata fuit, b) vota civium his inſcriptionibus declarantibus:

In ingreſſu arcus:

MARIÆ AUSTRIÆ ROM: IMPERAT: PIÆ AUG: DIVV: IMPP. CAROLI V. FILIÆ, FERDINANDI I. NURUI, MAXIMIL. II. CONIUGI, SEN: VEN: MAIESTATIS ERGO.

In exitu:

MARIÆ ROM: IMP: PIÆ AUG: RUDOLPHI II. IMP: MATRI, PHILIPPI II. HISPAN: OMN: SICILIARUM, ALGAR: INDIAR: MAX: REGIS SORORI, SEN: VEN: HONORIS, AC DILECTIONIS ERGO.

In prima facie ſecundi arcus:

SUBLIMI REGUM ET IMPERATORUM NATÆ, SORORI, NURUI, CONIUGI, ET PARENTI, PRÆSIDENTES DIVI ANTONII EXIGUIS VIRIBUS HÆC HUMILIA EREXERE TROPHÆA.

In ſecunda facie:

EXULTAT DIVUS ANTONIUS ADVENTU SERENISSIMI LUMINIS IN URBEM HANC, MOX HISPANIAM SUAM PATRIAM ILLUSTRATURI, ET SUI GAUDII HÆC ÆTERNA DEDIT SIGNA.

In prima fronte tertii arcus:

MARIÆ AUSTRIÆ, REGINÆ PIÆ, CATHOLICÆ, IMPERATRICI SEMPER AUGUSTÆ, RESPUB: VEN: PROBITATIS, AC AMPLITUDINIS CAUSSA.

In poſteriore parte:

REGINÆ CHRISTIANISSIMÆ IMP: REGUM, IMPERATOR: LONGO, ET PERPETUO ORDINE FILIÆ, NEPTI, NURUI CONIUGI, MATRI, SORORI, RESP: VEN: RELIGIONIS, AC DIGNITATIS CAUSSA.

Ea-

a) Conf. laudatos CZERWENKAM, & GANSIUM.

b) Apud cit. SCHRADERUM p. 45. adv.

Eadem occaſione natio *Germanica* carmen gratulatorium obtulit, auctore *Andrea* GAILIO, illius tractatui *Obſervationum Cameralium* ſubnexum. a)

a

Elisabetha monaſterium *Vindobonæ* fundat.

XXI. Denique ſupra portam monaſterii Regii ad S. CLARAM *Vindobonæ* ſequens chronologica obſervatur ſcriptura:

REGINA ELISABETHA FVNDABAT
ET
SAPIENTISSIMÆ POLI REGINÆ
1582.

Litteræ maiores, ſeu numerales, annum ſeculi ſeptimi decimi duodecimum, quo hanc portam reſtauratam fuiſſe oportet, deſignantes, rubri coloris ſunt, reliquæ nigri. Numeri porro *Arabici* annum fundationis, ac primi præſertim poſiti lapidis recte deſignant; nam id anno 1582. die vero quinta *Martii* accidiſſe, præter nummum, tomo ſequenti proferendum, litteræ docent, ea occaſione obſignatæ, atque a nobis ſuo loco num. LXXIX. exhibitæ. Unde praeterea certiores reddimur: cœnobium iſtud non honoribus Beatiſſimæ Virginis MARIÆ ſolum, ut hæc inſcriptio, invita prorſus Minerva effuſa docet, ſed & *omnium Angelorum* ſacratum, atque nuncupatum fuiſſe a ſua fundatrice.

CAPUT IV.

RUDOLPHUS V. INTER ROMAN. IMPERATORES II.

§. I.

Rudolphi II. protome duæ. Tab. LXXVI. N. 1. 2.

Inter RUDOLPHI II. Imp. MAXIMILIANI II. filii, imagines familiam ducit protome, nobis *Lincio* ex collectione illuſtr. D. Comitis a WEISSENWOLFF ſubmiſſa. Exterior veſtis pellita eſt, interior globulis conſtringitur: denique pileum plumatum in capite gerit, ad morem *Hiſpanicum* accedentem: omnia denique præter pelles, & rugatum colli tegmen, cærulei coloris ſunt. Altera a *Dominico* CUSTODE *Auguſtæ Vindel.* anno 1600. excuſa, atque in *atrio heroum* ſuo edita, exiguo diſtat diſcrimine. Pallium tamen geſtat, ad morem *Hiſpanorum*, quo, cum PHILIPPUS II. CAROLO filio e medio ſublato, non niſi unico herede, eoque valetudine parum firma utente gauderet, una cum ERNESTO fratre miſſus eſt; quatenus, prout res caderet, alter eorum in ſpem regni educaretur. Imagini ſubiicitur ſequens hexaſtichon:

NON SINE MENTE GERIS, CÆSAR, SINE NUMINE NOMEN,
QUOD DE GENTE TUA CÆSAR HABEBAT IDEM.
HIC, UT PACE FRUI POSSET, NAM BELLA GEREBAT,
NON ALIUM SPECTANT ET TUA BELLA SCOPUM.
HUIC LEX SUMMA, SALUS POPULI, FUIT UNA SALUTI
ADSIS UT PUBLICÆ, TE QUOQUE CURA COQUIT.

Statua equeſtris. N. 3.

II. Non inelegans eſt ſtatua hæc equeſtris, RUDOLPHUM armatum, atque laureatum, parazonio, gladioque bellatorio inſtructum exhi-

a) Affert quoque SCHRADERUS p. 44. av.

exhibens. Altitudo eius unacum basi non multum ultra pedem progreditur. Vidimus eam aliquando apud D. *Ioannem Paulum* L. B. de BUOL, sique recte coniicimus, exemplum erat, maiori, illustriorique ducendo operi destinatum; quod tamen consilium subinde sufflaminatum fuisse, oportet. Primis enimvero, quam extremis *Imperii* annis multo maiorem sibi laudem, & gloriam conciliasse RUDOLPHUM, in confesso est; unde & consilia, pro eius honore suscepta, cum tempore facile etiam intermissa fuerint.

TAB. LXXVI.

III. Quidquid autem sit, Imperatorem nostrum, multorum testimoniis subnixus STRUVIUS, a) his adumbrat coloribus: „*Princeps* (ait) *erat mitis, adspectu satis decorus, fronte augusta, & ore non invenusto, oculis lucidis, statura mediocri, magis depressa, quam elata.* Vividum illi ingenium, erectumque, ingens rerum omnium peritia, iudicium elimatum, præstantissima deliberatio famam dabant: amorem quoque religionis cultus, morum integritas, conciliabant, eaque principia eius Imperii speciosiora, & mira, cum Orbis terrarum adplausu fuere. Inclinata vero ætate, naturalium investigatione rerum, & ornamentis picturæ ita delectatus est, ut iisdem totum se mancipans, *Imperii* quoque curas, & negotia negligeret. Nam & chymicarum rerum experimenta ipse tentavit, horologiis componendis, & pingentibus integros dies, & continuos adsidebat. Hinc amare solitudinem cœpit. Et dum magis vergeret in senectam, a *Tychone* de BRAHE, celebri illo Mathematico, persuasus, ut insidias propinquiorum caveret, indies magis morosus factus, omnibus diffidens, in penetralibus secessibus se se continebat, & neque in templum, neque foras quoquam prodibat, nisi quod deambulare solebat in porticibus interioribus, quas multimodas intra arcem *Pragensem* fabricari fecerat, cum fenestris angustis, & obliquis, vt prospiciens videri, vel iaculo, quod semper timebat, peti non posset.„ Hæc ille ex SCHOENLEBENIO, PIASECIO, ac *Danielis* præsertim EREMITÆ Itinerario *Germanico.*

Ac animi, corporisque habitus ex STRUVIO, a

IV. Mitius omnino iudicat *Nicolaus* HENELIUS ab *Hennenfeld* b) qui Scriptor non modo coævus, sed & tanquam reipublicæ *Wratislaviensis* Syndicus, publicarum rerum, siquis alius, apprime peritus erat. Is ergo *Annales Silesiacos* suos ad hunc RUDOLPHUM nostrum usque perducens, illum breviter his verbis laudavit: „RUDOLPHUS II. cum annos LV. & menses VI. vixisset, & XXXVI. imperasset, viribus corporis iam inclinantibus, & ipse animose decurrit. Et ut fuerat in vita modestus, & placidus, sic in morte sua non dissimilis, summa tranquillitate decessit, exitum prorsus placidum sortitus, qualem olim AUGUSTUS Cæsar optavit, & habuit. Princeps rebus Pace, & Bello, etsi per Legatos duntaxat administrato,

Et HENELIO, ac *Petro* de REVA. b

a) Corp. Hist. *Germ.* period. X. sect. VII. p. 2010.

b) Inter *Silesiacarum rer. Scriptor. Frider. Wilh.* de SOMMERSBERG tom. II. p. 484.

Tab. LXXVI.

to, Inclytiſſimus, idemque feliciſſimus, niſi ad ultimum otia eius fraterna turbaſſent odia: quæ & mortem illi acceleraſſe, credita fuerunt.„ Hæc ille, errante tamen haud dubie typotheta, annos Imperatori ætatis LV. duntaxat aſſignante; cum ſatis conſtet, illum anno 1552. die XII. *Iulii* natum, atque anno 1612. die X. *Ianuarii* denatum fuiſſe. Quin & illuſtriſſ. *Petrus* de REVA a) Scriptor *Pannonicus*, Regem ſuum ſatis prolixe laudat, quando ait: „guberna„tio RUDOLPHI, ut ut magnitudine rerum geſtarum, & felicitate „belli, ac victoriarum contra *Turcas* pulchritudine, ita pacis diu„turnitate famam, & lucem aviti, & paterni nominis in regno *Hun„gariæ* non ſolum (non) obſcuravit, ſed & gloria Domus *Auſtria„cæ*, in ſummo *monarchiæ* S. coronæ ſpendore, & decore auxit. „Et quoniam dignitatis magnæ non magna eſt æſtimatio, niſi & „auctoritatem quis habeat, ſeu quandam eminentiam, qua ceteris „prævaleat, & veluti in admiratione ſit: RUDOLPHUS ius maieſta„tis ſacræ coronæ multiplici ratione tueri conatus eſt, pacis, & legum, „& militiæ laboribus, armis, & litteris inſtructus, tum domi con„ſilio inſignis, tum foris exercitium bellicæ fortitudinis præclarum „oſtendit.„

Protome RUDOLPHI cum ſymbolo ADSIT. Tab. LXXVII. N. I.

V. Sequitur protome RUDOLPHI cataphracti, focali cæſitio, & denticulato induti, cum corona laurea in capite. Sculptor eſt *Iacobus* ab HEYDEN. *Ioann. Georgius* DORSCHEUS *Argentinenſis* ſequens carmen appoſuit:

SI FORET IMPERIO IMPERIUM PRÆCELSIUS HOCCE,
HUIC TU SUFFICIENS DIVE RUDOLPHE FORES.
MAGNE RUDOLPHINO DE SEMINE, MAXIME NUTU
DIVINO: INTERNO LUMINE MAIOR HOMO.
UT FORET IMPERIUM CELSIS CONATIBUS ÆQUUM,
INTULIT IMPERIO TE DEUS IPSE POLI.
SI MICROCOSMUS HOMO EST, QUI SINGULA CONTINET ORBIS,
MAIOR ES IMPERIO TU: IMPERII ORBIS ENIM ES.

Addidit ſculptor ſuperne aquilam, dextro ungue ſpiculum tenentem, ſiniſtra ſchedam, cui ſiglæ inſcriptæ: A. D. S. I. T. quas ille ita exponit: AUSTRIA DOMUS SECURA IOVIS TELORUM. Aliam interpretationem dedimus in Nummothecæ *Auſtriacæ* Vol. II. p. 88. tab. XII. ad num. XVI. XVII. & XVIII.

Statua *Clauſtro-Neoburgenſis* dubia. N. 2.

VI. In fronte templi *Clauſtro-Neoburgenſis* duæ extant ſtatuæ lapideæ, totidem repræſentantes Archiduces. RUDOLPHUM, atque MATHIAM eſſe, plerique perſuaſum tenent. Et ſane inter multo vetuſtiores ut ne referantur, inſigne *aurei velleris* prohibet: nec ex ceteris Archiducibus recentioribus ſuppetunt, quibus eiusmodi ſchemata commode adſcribere queas. Filios igitur MAXIMILIANI II. exhiberi, neceſſe eſt. At, ſi inter eos RUDOLPHUM adnumeres, ſtatuam ante XXV. *Septembris* anni 1572. quo *Poſonii* in Regem *Hungariæ* coronatus fuit, poſitam fuiſſe oportet; ſecus enim qui fieret, ut omni prorſus regiæ maieſtatis inſigni deſtituta compareret?

a) De monarchia & S. corona regni *Hung.* l. c. p. 753.

Tab. LXXVII.

ret? Quod ſi igitur tanquam Archiduci poſitam dicas: inſignis certe barba nimium quantum obſtat; cum ſatis conſtet, RUDOLPHUM eo tempore vixdum annum ætatis viceſimum ſupergreſſum fuiſſe. Nos igitur, re maturius conſiderata, eam MAXIMILIANO III. RUDOLPHI fratri, adiudicandam cenſeremus; non modo quod illi aptius congruat, ſed & quod erga celeberrimum illud monaſterium magnificentiam ſuam haud vulgariter oſtenderit, ſtatuam nempe S. LEOPOLDI argenteam ei donando. Cuius rei fidem inter cetera diploma facit, an. 1616. die XXVII. *Nov.* ſubſcriptum, & a nobis ſuo loco editum. a) Similis ſtatua recurret in MATTHIA Imperatore.

Eius ſimulacrum *Eberſtorffii.* N. 3.

VII. Maiori haud dubie fide, ac ſinceritate pollet tabula, ad nativam oris ſpeciem adumbrata, & in arce *Eberſtorffiana* prope *Vindobonam* olim aſſervata. Habitus *Hiſpanicus* ex tela nigra conſtat, exceptis tantum manicis, & colli tegumento, albeſcentibus. Porro manu dextra vertago blanditur, ſiniſtra chirothecas tenet. Labia denique, pro noto Auguſtæ Gentis oris habitu, haud parum, uti non minus in ceteris hisce iconibus obſervandum occurrit, intumeſcunt: capilli illi ſubflavi, naſus iuſtæ magnitudinis, oculi cæſii, ac reliqua corporis habitudo docet, verum eſſe, quod dicitur: RUDOLPHUM noſtrum mediocris, quin depreſſæ magis, quam elatæ ſtaturæ fuiſſe.

Breviarium vitæ ELISABETHÆ, RUD. II. filiæ nothæ.

VIII. ELISABETHA, CONSTANTIA, ANNA, DOROTHEA, filia RUDOLPHI, ex conſortio ſuſcepta, hanc lucem primum circa annum 1580. aſpexit. Annum ætatis undecimum, CHRISTI vero 1591. agens, monaſterium regium, de quo ſupra egimus, Ordinis S. CLARÆ ingreſſa, ac anno demum 1598. die VIII. *Aprilis*, poſt trium annorum tirocinium, ad ſolemnem votorum nuncupationem admiſſa, anno demum 1624. ætatis quadrageſimo quarto extremum vitæ diem morte confecit, variolis, quas vocant, ſeu exanthematis extincta, cum in ſacro Ordine tribus, & triginta annos perſeveraſſet. Huius Principis in arrepto, DEO ſe totam conſecrandi, propoſito, eximia conſtantia, atque animi fortitudo inde maxime enituit; quod a Principe quodam in matrimonium expetita, atque ad deſerendum eum in finem monaſterium, a patre ipſo, ac ſubmiſſis a patre, qui id ſuaderent, varie, ac ſæpiuſcule tentata, vinci nequierit, ſed ut ut adoleſcentula, fortiter ac feliciter triumphaverit. Atque id quidem in cauſſa fuit, ut licet tirocinium ſuum iam anno 1595. cum ætatis ſextum decimum ageret, die feſto S. ELISABETHÆ incepiſſet, ſolemnis tamen votorum ſponſio tamdiu impedita fuerit. Quæ quidem ſingula ex ephemeridibus dicti monaſterii, nobiscum liberaliter communicatis, hauſta ſunt.

Eiusque effigies, N. 4.

IX. Effigies eius non in dicto monaſterio regio, ſed in cœnobio Virginum *Carmelitarum diſcalceatarum* ad S. IOSEPHUM, *Vindobonæ*, vulgo ad *ſeptem libros* appellato, ſe ſe nobis obtulit, in xyſto

 earum

a) Tom. I. horum Monument. p. 159.

TAB. LXXVII. earum ſuſpenſa. Titulus tabulæ, ſuperne poſitus, ſic ſe habet: SOROR ANNA DOROTHEA, AUSTRIÆ MARCHIONA. RUDOLPHI IMPER. FILIA. ÆTATIS SUÆ 12. ANNO 1624. quæ ultima epocha mortis eius eſt.

Quæ illuſtratur. X. Animadvertendum præterea, quod etſi Princeps probationis curriculum anno primum 1595. ut diximus, inchoaverit, habitum tamen ſacrum ante viceſimum ſecundum *Ianuarii* anni 1592. aut, quod veriſimilius eſt, ſtatim anno 1591. poſt ingreſſum ſuſcepiſſe. Ut enim dictæ ephemerides fidem faciunt: *Sanctimonialis* noſtra ab ipſa, quæ monaſterium condidit, ELISABETHA, Regina *Franciæ*, ac RUDOLPHI II. ſorore, educata, atque anno 1591. die XVII. *Iulii* in idem monaſterium introducta, eadem præſente, ac manum admovente, ſacrum habitum ſuſcepit. Sic namque ephemerides: „Pater PETRUS *Commiſſarius*, e clauſura cellæ *Divæ Vir*„*ginis* ſacrum officium cantavit, reſpondentibus, quæ ante *Novi*„*tiatum* ſtabant, monialibus: quicquid rituum celebrari ſolet, cum „ea factitatum æque, atque cum alia quavis virgine, vitæ religioſæ „tirocinium ponente. *Regina illi primum cirrum capillorum de*„*tondit, alterum Antiſtita.* „ Illa ergo cum, ut diximus, dicto viceſimo ſecundo *Ianuarii* 1592. vitam finierit: ſatis perſpicuum eſt, ceremonias illas ante id temporis fuiſſe ſuſceptas. Ceterum *Sororis* titulus illi hoc tempore eodem modo competere potuit, quo reliqui ſacri Ordines tirones ſuos, etſi fratrum albo nondum adſcriptos, *fratres novitios* appellare ſolent. Denique nomen hic illi ANNA DOROTHEA tribuitur, etſi in laudatis ephemeridibus regii monaſterii prius ELISABETHA appellaretur, deinde vero ob conſtans vitæ ſanctæ deſiderium eidem nomen CONSTANTIÆ inditum fuerit.

INSCRIPTIONES.

RUDOLPHO *Sileſiaci* homagium præſtant. a XI. Cum RUDOLPHUS Cæſar anno 1577. circa feſtum *Pentecoſtes*, comitantibus MATHIA, & MAXIMILIANO fratribus, *Wratislaviam*, iuramentum ſubiectionis ab Ordinibus *Sileſiæ* exacturus, tenderet, per portam S. NICOLAI ingreſſus eſt, cui, teſte Cl. SOMMERSBERGIO a) huiusmodi diſtichon inſcriptum erat:

LÆTA DIES TANDEM LÆTO SE PROTULIT ORTU,
QUO CAPUT IMPERII MOENIA NOSTRA SUBIT.

Hoſpitium quoque, a ſenatu *Wratislavienſi* inſtructum, ſua non caruit inſcriptione, ſequens diſtichon præferens:

QUID CAPITE IMPERII, QUID MUNDI PRÆSIDE MAIUS!
TE TAMEN ISTA DOMUS, DIVE RUDOLPHE CAPIT.

In porta denique honoraria, ut pergit laudatus SOMMERSBERGIUS: videre inter alia erat aquilam bicipitem, expanſis alis ſe librantem, quæ licet ſatis ponderoſa eſſet, tam artificioſe tamen concinnata erat, ut

a) *Sileſiacar.* rerum tom. II. p. 437.

ut celeri motu, quotiescunque, & quocunque liberet, in gyrum circumageretur, ſe ſe inclinaret, alas concuteret, reverentiæ ſignum daret, & coronam, quam ſuſtinebat, veluti repræſentaret, quod poſtea in Imperatoris ingreſſu, & antequam portam attingeret, & poſtquam tranſiiſſet, tanta agilitate, & dexteritate iterato ab utroque portæ latere præſtitit, ut videretur, Cæſaream maieſtatem velut exultando, & gratulando excipere, compellare, ſalutare, & cum ipſa corona fidelitatem, & obſequium deferre velle, non ſine ſpectantium delectatione, atque admiratione. Inſcripta eidem portæ aureis litteris, quæ ſequuntur, epigrammata:„

I.

Roma triumphales statuit victoribus arces,
Palma quibus fuso sanguine parta stetit:
At sibi perpetuum sine sanguine BRESLA triumphum
Spondet ab auxilio, DIVE RUDOLPHE, tuo:
Pax opus hoc flectit, pax hos collegit honores:
Ipse locum in sola pace triumphus habet.

II.

AUSTRIA gavisa est, primo diadema RUDOLPHO
Cæsareum, et forti sceptra tenente manu:
AUSTRIADUM decimus, magnoque secundus ab illo
Nomine, nunc eadem sceptra RUDOLPHE tenes:
O dulci veniant cum nomine dulcia fata!
Consilio populos qui regit, ille iuvat.

Auctorem horum epigrammatum *Nicolaum* Steinbergium eſſe, laudatus vir Clar. teſtatur, qui & ipſam portam eleganti carmine deſcripſit, in præmium laboris non modo coronam lauream, ſed & poculum inauratum, aureis *Hungaricis* repletum, reportans.

Eius in Dietrichsteinios munificentia.

XII. Ad inſcriptionem, iuſſu Maximiliani I. Aug *Sigismundo* a Dietrichstein poſitam, & a nobis ſupra a) prolatam, ſequens quoque pertinet, *Pragæ* legenda. b)

RUDOLPHUS II.
ROMANORUM
IMPERATOR
EXEMPLO
MAXIMILIANI I.
IMPERATORIS
QUI
SIGISMUNDUM DIETRICHSTAIN QUINQUE PROVINCIARUM
AUSTRIÆ LOCUM TENENTEM OB RES AUSTRIACAS BENE GESTAS IUXTA
MONUMENTUM SUUM EX TESTAMENTO HABERE
VOLUIT.
ADAMUM FILIUM
NOMINIS AC DIGNITATIS PATERNÆ ÆMULUM HIC PONI
MANDAVIT.
ANNO M. D. LXXXX.

XIII.

a) Lib. I. cap. XVII. §. LVIII. p. 170.
b) Apud illuſtr. Khevenhiller. imaginum ad annal. *Ferdinand.* tom. I. p. 359.

Idem *Strigonium* capit.

a

XIII. NESSELIUS V. Cl. in catalogo *Bibliothecæ Cæsareæ Vinbonenſis* a) *Alcoranum Arabicum* recenſens, hanc inſcriptionem reperit:

STRIGONIO
A CHRISTIANIS CAPTO
SUB AUSPICIIS RUDOLPHI II.
IMP. CÆS. AUG.
AN. M. D. XC. V.
LIBER HIC TURCICUS
IOB-HARTMANNO BARONI
ENENKELIO DONATUS
AN. SEQUENTE
A
DN. WOLFACACIO BARONE
DE ALTHAN, EQUIT.
CCC. GERM. DUCTORE,
COGNATO SUO.

In rei litterariæ commodum.

b

XIV. Huc pertinent binæ inſcriptiones librorum, manu exaratorum, quarum primam laudatus NESSELIUS, Anonymi librum, quo variæ orationes, ſeu precationes *Arabicæ*, *Turcice* expreſſæ, continentur, deſcribens, detexit, b) ita loquentem:

DEO CONSERVATORI, CUIUS FAVORE
AUXILIOQUE DN. RUDOLPHUS AUSTR.
IMP. SEMPER AUGUSTUS, ITALICUS.
HISPANICUS, PANNONICUS, TURCICUS,
DACICUS, ANNO IHV. CIϽIϽXCV. ARCES
STRIGONIAS RECEPIT,
HEIC FELICITER EXPUGNATIS CAPTISQUE
HOSTIUM CASTRIS,
IOBUS HARTMANNUS ENENKEL
LIBER BARO AUSTR.
HUNC LIBRUM
BIBLIOTHECÆ SUÆ A MILITARI
VIOLENTIA VINDICAVIT.

Italicum, atque *Hiſpanicum* haud ſatis e re hic vocari, nemini dubium eſſe poteſt, qui non neſciat, veteres eiusmodi agnomina ſibi duntaxat a devictis gentibus adſciviſſe.

c

Altera in dictionario parvo, *Arabico-Turcico-Latino* ſequenti formula inſcripta eſt: c)

PER DOMINUM NOSTRUM
RUDOLPHUM IMP.
RECEPTO STRIGONIO
CIϽIϽXCVI.
IOBUS HARTMANNUS
ENENKEL, LIBER BARO,
HUNC LIBRUM AB INTERITU
VINDICAVIT.

De recuperanda *Conſtantinopoli* omen.

XV. In gazis aulæ *Vindobonenſis* ciſta I. num. 56. caput CONSTANTINI in lapide, a colore praſino *praſius*, ſeu *praſma* dicto, auro incluſum aſſervatur, in cuius thecæ averſa inſcriptum legitur:

IMP.

a) P. VII. de cod. Mſc. linguar. *Oriental.* p. 155.

b) Ibid. p. 158. n. 191.

c) Ibid. p. 155. n. 123.

IMP. CAES.
FL. CONSTANTINO. MAX. PIO. FELICI. VICTORI. SEMPER. AUG.

Adiicitur monogramma CHRISTI, cruci ſuperimpoſitum, ac ſuperne ſchedula, noto hoc lemmate inſcripta :

HOC SIGNO VICTOR ERIS.

In thecæ vero averſa parte:

AT.TV. RVDOLPHE. CAESAR. DIVVLSVM. AB. HOC. IMPERIVM.
SVAE. SEDI. ET. INTEGRITATI. RESTITVES.

CAPUT V.

ERNESTUS, & WENCESLAUS, MAXIMILIANI II. IMP. FILII.

§. I.

Primam ERNESTI in hac tabula effigiem *Lincio* accepimus, ex Pinacotheca illuſtr. Comitis a WEISSENWOLFF. Interior veſtis ad colorem cæruleum vergit, exterior pelle munita eſt. Ornatur præterea torque aurei velleris, quod & in ceteris eius imaginibus frequens eſt. Tegmen inſuper colli rugoſum geſtat, ac pro eorum temporum uſu caput eius detonſum eſt, reducto a fronte capillo, ac quaſi in ſuggeſtum efformato, quem, ut alibi diximus, ab auctore eius IOANNE *ab Auſtria*, eius nominis primo, *Auſtriam* vocare ſolebant. Denique inſignem myſtacem geſtat, aliorum eius tempeſtatis exempla ſecutus. Alteram protomen *Otthe* VÆNIUS *pinxit*. In ſubiecta inſcriptione *Belgicarum provinciarum gubernator* vocatur; unde imaginis ætatem eruas; atque adeo Principem, qui eo munere non multum ultra anni ſpatium functus eſt, circa annum vitæ ſuæ ultimum, qui a reparata ſalute 1595. erat, repræſentari, concludas.

ERNESTI protome duæ, TAB. LXXVIII. N. 1. 2.

II. Non multo poſt eius obitum tempore, anno ſcilicet 1600. *Dominicus* CUSTOS hanc ERNESTI protomen armatam edidit, ſubiectis ſequentibus hexametris:

Itemque tertia, N. 3.

IN COELOS ABIIT, TRITAVI, CUM NOMINE, MORES
IAM REPETENS: PRETIVM EST COELUM NON VILE LABORUM.

Ad quod hemiſtichium, litteris hic maioribus expreſſum, mox ita adludit editor :

IAM TRITAVI REFERENS DIVI, CUM NOMINE, MORES
ERNESTUS, COELUM IUSSUS ADIRE FUIT;
ET MERITIS COELUM EST PRETIUM NON VILE LABORUM
ET QUIS EO PRETIUM MAIUS HABERE QUEAT?
QUI CITIUS SUPERAS ALIIS EVADAT AD AURAS,
ILLE ALIIS CITIUS PRÆMIA TANTA CAPIT.

III.

Cum animi, Tab. LXXVIII. a b

III. Huius Principis elogium, præclarum ſane, multi dederunt. Inter reliquos MINIANA a) ait: „ERNESTUS febre correptus, & „arthritide excruciatus, interiit X. *Kalend. Martii Bruxellis*, exacto „quadrageſimo (quin uno, & quadrageſimo ſupra dimidium b) æ„tatis ſuæ anno. Princeps pietate clarus, moribus ſanctiſſimis, „ſed pacis artibus, quam bello aptior.„ Sed multo uberior, ac luculentior eſt laudator eius funebris *Ioan.* BOCHIUS, c) ubi eum inter alia multa ab incorrupta animi integritate, vitæque temperantis, & innocuæ tenore perpetuo, & conſtanti commendat: „Huc eius accedebat (ut pergit) humanitas, & clementia. --- Nemini ad hunc Principem præcludebatur aditus, nunquam populi querimoniis, civitatum legationibus, omniumque poſtulatis, Gubernatoris aures benignius patuerunt, nunquam Oratores attentius ſunt excepti, neque perorantes patientius exauditi, quos omnes vel *Latine*, vel *Germanice*, vel *Hiſpanice*, vel *Italice* dicentes (quam linguarum peritiam in Rege MITHRIDATE mirata eſt antiquitas) perfecte intelligebat, & iisdem expedite, ſine interprete, reſpondebat. Multis igitur malis remedia adhibuiſſet, quæ ſuperiorum temporum iniquitas importaverat. Siquidem manſuetudini coniuncta ſerenitas, ab eximio quodam ſtudio iuſtitiæ profecta, aſſidue eius animum habebat occupatum, ut nihil cogitaret, niſi ut reſpirante a diuturni belli cladibus Rep. provinciam reſtitueret, mores emendaret, & ad veterem formam & præſcriptum exigeret.„ Hæc ille, cui addere iuvat METERANUM, d) fide in hac parte tanto digniorem, quanto a ſtudio erga *Auſtriacos* remotiorem. Is vero ERNESTUM noſtrum Principem quidem melancholicum, atque ſeverum (ut qui raro riſiſſe viſus ſit) ſed tamen non minus benignum, manſuetum, pacificum, humanum, atque religioni Catholicæ deditum appellat. Addit, quod & rerum tenacior fuerit, ſæpiusque, ut ut a faſtu alienus, domeſticorum mercedem retinuerit: qua de re alii viderint.

Corporisque ſpecie.

IV. De corporis ſpecie nihil admodum conſignarunt auctores: nobis, imagine, integram eius ſtaturam referente, deſtitutis, aliud obſervare non licuit, quam vultum ei fuiſſe gravem, oculos grandiusſculos, frontem porrectam, ſubflavos capillos, ac labium denique inferius pro more Gentis extantius, ac quaſi intumeſcens. Quod ſi porro ſimulacrum eius, in monumento ſepulcrali exciſum, intueamur, ſtaturam illi iuſtam fuiſſe, facile iudicabimus.

WENCESLAI Archiducis Equitis *Melitenſis* N. 4.

V. ERNESTO adiungere lubet WENCESLAUM, qui etſi, ob naſcendi ordinem poſt MATHIAM, & MAXIMILIANUM III. quin & ALBERTUM, *Belgii* Principem, fratres eius, collocandus fuiſſet; quia tamen

a) De *reb. Hiſp.* continuat. lib. X. p. 387.

b) Natus utpote 1553. XV. *Iunii.* Vid. ſi lubet, *Nummothecæ Auſtr.* Vol. II. p. 105. & 107. n. V.

c) Quæ extat in eius deſcriptione publ. gratulationis in adventu ERNESTI Archid. *Antverp.* ex officina *Plantiniana* 1595. p. 171.

d) Hiſtor. *Belg.* tom. I. lib. XVII. p. m. 737. edit. *Germ.*

Tab. LXXVIII.

tamen non niſi ſeptimum ſupra decem annos agens, vitam ponens, pauca poſt ſe reliquit monumenta, aut differendi materiem: eius duas admodum icones hoc loco recenſere eſt viſum. Prima earum, ex laudata *Weiſſenwolffiana* collectione educta, Principem pileo rotundo, non nihil turbinato, ac cum reliqua veſte nigro, obtectum, nec non cruce *Melitenſi*, cui equeſtri ordini nomen dederat, inſignitus repræſentat. Natus eſt, ut ait Menlius, *Neoſtadii* anno 1561. menſis *Martii* die IX. & *Dominico*, nocturno tempore, uno quadrante horæ poſt decimam, in ſigno *Capricorni*. Baptizatus eſt in magno arcis atrio die *Lunæ* ſequenti a Reverendiſſimo Epiſcopo eiusdem civitatis, nomine Doctore Logo, qui fuit Archiducis Caroli præceptor. Compatres fuerunt Regis *Galliarum* Orator, cuius nomen ignotum: Dominus *Chriſtophorus* ab Eytzing, Regis *Bohemiæ* ſupremus aulæ præfectus, & *Polyxena* Lassa.

Ac Prioris *Caſtiliæ* imagines. N. 5.

VI. Ætate non nihil provectior videtur in hoc ſchemate altero, ex thecis Heræi exprompto: reperitur quoque apud illuſtr. Khevenhillerum. Simile ſchema vidimus in Bibliotheca quadam, adiecto ei titulo: Don Iean ab Austria: ſed perperam, ut multa perſuadent. Biretum eius ſtriatum, atque plumis faſtigiatum eſt. Crucem *Melitenſem* iterum præ ſe fert. Teſte enim laudato Khevenhillero anno 1570. cum ſorore ſua Regina Anna, in *Hiſpaniam* delatus, a Philippo II. Rege eiusdem ordinis *prioratum Caſtiliæ*, unde ſibi quotannis quinquaginta millia coronatorum proveniebant, obtinuit: ubi & quidquid mortale habuit, mature depoſuit, annos duntaxat natus ſeptendecim, menſes ſeptem cum fere dimidio: non quindecim, ut perperam impreſſum legitur apud Minianam. a) Sed ea de re plenius tomo IV. Ceterum locus nunc eſſet, proferendi, ſi quæ forent, honoribus horum Principum dicatas inſcriptiones: verum cum illæ, quas Ernesto anno 1594. *Antverpiam* ingredienti arcus triumphales, portæque honorariæ, quin & currus præ ſe tulerunt, abs *Ioanne* Bochio iam iam velut in faſciculum collectæ extent, b) nihilque niſi vota, atque de futura ſub tanti Principis regimine publica felicitate omina, & auguria contineant, eas ſilentio transmittere ſatius duximus, quam B. L. inanibus ut plurimum verbis, & ominibus morari.

INSCRIPTIONES.

Inſcriptio, honoribus Ernesti data.

VII. Sequens tamen epigramma, ubi quis minime quæreret, reperiundum, c) haud duximus omittendum. Nimirum Carolus, Guilielmi Ducis *Iuliæ*, & *Cliviæ* filius, ac Maximiliani II. ex ſorore nepos, *theſaurum virtutum*, ex antiquis, & optimis auctoribus enchyridii forma collectum libellum, a ſe (cum *Vindobonæ* degeret) ex *Gallica* lingua in *Latinam* traductum, Ernesto Archiduci petenti his verbis inſcripſit:

Augustis

a) Loc. mox cit. lib. VIII. p. 313.

b) In cit. deſcriptione publicæ gratulat. p. 61. ſeqq.

c) Nimirum in *Stephani Vinandi* Pighii Hercule *Prodicio* p. m. 113. edit. *Colon.* anni 1609.

AUGUSTIS ERNESTE ATAVIS SPES EDITA, MAGNI
SECUNDI CURA CÆSARIS!
SUNT, QUOS PYGMALEONIS OPES, CAUSASQUE MALORUM,
EFFOSSA TERRÆ VISCERA
COLLEGISSE IUVAT: PROHIBENT QUÆ TOLLERE IN ALTUM
COR APPETENS PECUNIÆ.
AT NOS MAGNA DECENT, MENTEM QUOQUE VERTERE, QUORSUM
IAM VITUS ALMA PROVOCAT,
THESAUROSQUE SUOS MONSTRAT, SIMILES QUIBUS IPSI
AVISQUE DIVIS REDDIMUR,
HOS NEQUE ENIM TINEÆ RODENT, ÆRUGINIS ATRÆ
NON MANDET ATRA INGLUVIES,
HOS FURUM PROCUL E MANIBUS NOS CONDERE IUSSIT
SUIS IN ARCULIS DEUS.

Alia, ab ipso ERNESTO confecta. a

VIII. Tam pio Principe omnino quoque digna eſt inſcriptura, quam propria manu pictam anno 1591. Non. *Maii* ANNÆ, patrui ſui filiæ obtulit, ſequentia continentem pia, & Catholica exhortamenta: a)

ILLI, QUI PRO TE MORIENS, INTER MORTUOS LIBER EST, UT NOS OFFERRET DEO, MORTIFICATOS QUIDEM CARNE, UIUIFICATOS AUTEM SPIRITU, SIS UERUS AMICUS. MAIOREM HAC DILECTIONEM NEMO HABET. ITA ERGO NUNC UIUE, UT IN FUTURO CUM IPSO UIUAS, ET LIBENTER EIUS MORIARIS AMORE: ET IUGITER AB AMICO FIDELI CONFIDENTER PETE DICENS: DILIGAM TE DOMINE FORTITUDO MEA. HÆC MANU SUA SCRIPSIT ERNESTUS CHARISSIMÆ SORORI SUÆ ANNÆ, PERPETUÆ MEMORIÆ ERGO.

CAPUT VI.

MATHIAS IMP. CUM ANNA, UXORE SUA.

§. I.

Protome MATHIÆ cum ſingulari *aurei velleris* torque. TAB. LXXIX. N. 1.

Alter, qui ex MAXIMILIANI II. filiis ad *Imperii* faſtigium pervenit, MATHIAS erat, *Hungariæ*, & *Bohemiæ* Rex, ac ſubinde *Romanorum* Imperator. Comparet tamen ſub hoc ſchemate, ex Pinacotheca illuſtr. Comitis de WEISSENWOLFF, quæ *Lincii* eſt, extracto, adhucdum tanquam Archidux, toga indutus cærulea, diſcooperto, ac pro more eius, de quo diximus tempore, detonſo capite, niſi quod a fronte ſuggeſtus ille, *Auſtria* olim dictus, ac noſtra ætate ad uſum revocatus, ſe ſe ſpectandum præbeat. Singulare eſt, quod *aurei velleris* torques, diagonaliter ab humero dextro infra brachium ſiniſtrum demiſſa ſit, nec more conſueto ab humeris æqualiter procedat.

Altera cum menti *Auſtriacorum* deſcriptione, N. 2.

II. Maioris ætatis homo ſiſtitur in ſchemate ſequenti, ex caſtro *Wildegg* prope celeberr. Abbatiam *Ciſtercienſium San-Crucenſem* in *Auſtria* Inferiori educto. Veſtis interior inciſuris hiulcat, exterior, ſeu pallium ſuffulta pellibus eſt: pileum porro plumatum, & aliquantulum turbinatum in capite gerit. Porro tam hunc, quam præcedentes non nullos *Archiduces*, mento præditos eſſe non nihil longiori,

a) Apud *Fabianum* QUADRANTINUM S. I. in vita ANNÆ, Reginæ *Poloniæ*.

giori, obſervare hucusque licuit. Quam rem pridem animadvertit *Stephanus Vinandus* PIGHIUS, qui cum *Vindobonæ*, tanquam CAROLI *Clivenſis* ephorus degeret, hos ipſos, de quibus in præſentia agimus, Archiduces, MAXIMILIANI II. Imp. filios, filiasque, coram intuendi, contemplandique, multiiugem occaſionem habebat. „Notabile (ait) ac rarum in hac *Auſtriæ* familia eſt, nec non genuinum, ac proprium a proavis, atavisque: quod maſculi fere omnes, & fœminæ etiam plurimæ mento naſcuntur oblongiore, prominentioreque, non tamen indecenti, ſed cuius forma vultum Principis gravi quadam maieſtate decoret, intuentibusque reverentiam conciliet. Mentum autem cum prolixius homini eſt, volunt ARISTOTELES, PELÆMON *declamator*, & LAXUS *medicus*, qui etiam de phyſiognomia ſcripſerunt, animum oſtendere pium, placidum, conſtantem, & minime perturbatum. a) „ a

III. Sequuntur protome duæ, quarum prima ex thecis HERÆI deſumpta, anno 1504. excuſa, atque adeo *Archiducem* noſtrum; utpote anno 1557. natum, annos ætatis præter propter 37. numerantem, repræſentat. Secunda a *Dominico* CUSTODE *Auguſtæ Vindel.* anno 1600. edita, eundem armatum, ac paludatum, atque adeo etiam tanquam virum annorum trium, & quadraginta ſiſtit, adiecto hoc diſticho:

Itemque tertia, & quarta. N. 3. 4.

Quum ſis pace bonus : te mœnia capta STRIGONI,

MATHIA, *te Marte bonum docet Hungara tellus.*

Subiectoque ſequenti hexaſticho, quo ad eius ſymbolum, de quo nos in *Nummotheca Auſtriaca* egimus, adluditur:

MAGNORUM QUOD SIS HAUD UNQUAM INDIGNUS AVORUM,
MATHIA, O ATAVIS EDITE CÆSARIBUS:
NOS LOQUIMUR, FORTI CUM PANNONEQUE AUSTRIA SENSIT,
PROFERET ET ÆTAS POSTERA GRATA TIBI.
POSTERITAS ETENIM, QUOD AMAT VICTORIA CURAM,
EXEMPLO POTERIT SAT DIDICISSE TUO.

IV. Coæva itidem eſt ſtatua, ex armamentario *Ambraſiano Iacobi* SCHRENCKII, a *Nozingen* anno 1601. edito, excepta, MATHIAM adhucdum tanquam *Archiducem* exhibens. Cataphracta munitus eſt, ac faſcia militari circumdatus, dextra baculo innixus, ſiniſtra anſata. Præter gladium bellatorium, retro pendentem, a femore dextro pugiunculus quoque conſpicitur. In capite denique pileum turbinatum, ac pluma ornatum gerit. Non eſt dubium, MATHIAM hic magna cum cura ad vivam oris ſpeciem, utpote tum adhucdum inter mortales degentem, ac bellis *Turcicis* magnum ſibi nomen conſecutum, expreſſum fuiſſe; quin ſic armatum in expeditionem iviſſe, inde certum fit, quod FERDINANDUS *Archidux*, operis magnifici auctor primarius, præcipuum ſtudium inter cetera in eo poſuerit, ut heroum ſuorum & arma propria,

Coæva, & nativa ſtatua *Ambraſiana*, N. 5.

a) Loc. cit. p. m. 68. Conf. quoque p. 98. ſeqq.

Tab. LXXIX.

& nativas effigies repræſentaret. „ Eius vero rei (ait illuſtris edi-„ tor) ut aliquod monumentum apud poſteros extaret, *in talium* „ *armorum*, quibus, qui ſuis ſeculis bellicæ laudis præconio flo-„ ruerunt, aut qui noſtra ætate militari gloria clarent, atque aliorum „ auſpiciis, ductuque, ut dictatores, & legati *induti fuerunt, & ad-„ verſus hoſtem uſi ſunt*, nec non imaginum, ad vivum expreſſa-„ rum, ſupellectile comparanda per multos annos, nec ſummæ „ diligentiæ, neque ſumptui pepercit, ex longinquis, diverſisque, „ non duntaxat propinquioribus regionibus, adferri curavit, atque „ in hoc nullo aut generis, aut partium, quas quisque ſecutus eſt, „ aut religionis delectu habito: id unum quæſivit, ut qui bello, „ quavis ex cauſſa ſuſcepto, militaverunt, & ordines duxere, in hanc „ heroum cohortem allegerentur. „

Cum corporis,

V. Cum imagine itaque proculdubio & deſcriptio eius convenit, ab eodem auctore, unacum animi indole breviter hunc in modum concinnata: „ Natus eſt MAXIMILIANO II. Imperatore, matre „ vero MARIA Imperatrice, CAROLI V. Auguſti filia, utrique pa-„ renti mirifice dilectus, pietate, humanitate, morumque ſuavita-„ te, animi magnitudine, ingenii præſtantia, adeoque omnibus „ virtutum generibus, quæ in Principem excellentem cadere poſ-„ ſunt, externo etiam vultu, totiusque corporis decore id teſtante, „ haud ulli ſecundus. „ Hæc SCHRENCKIUS de MATHIA, cum is annum circiter ætatis quartum, & quadrageſimum ageret.

Animique habitu. a

VI. De eo fatis nuper defuncto vir illuſtriſſimus Comes *Petrus* de REWA ita differit: a) „ MATHIAS *Viennæ Auſtriæ* mortalita-„ tem exuit, & ad conſortium cœleſtium evaſit: bello feliciſſimus, „ pace optimus Imperator, domi placidus, ut, qui convictu ſibi „ coniunctiſſimi fuerunt, aliquam belli in eo vehementiam depre-„ hendiſſe, fateri non potuerint: foris hoſtibus terribilis, & bellica „ fortitudine celeberrimus, pro quibus ſuis cœlo dignis virtutibus, „ æternam meruit apud poſteritatem memoriam, nunquam inter-„ morituram gratiam. „

Clauſtro-Neoburgenſis ſtatua dubia. N. 6.

VII. Adiungitur ſtatua ſaxea, in fronte templi *Clauſtro-Neoburgenſis* viſenda. Cataphractus eſt Princeps, ac chlamyde indutus. Similem, huicque ſuo in loco propinquam, dedimus paullo ſupra tab. LXXVII. n. 2. ſed utramque, cum nobis incertæ videantur, viris doctiſſimis, *Clauſtro-Neoburgenſibus Canonicis* enucleandam relinquimus: id ſolummodo perſuaſi, vix, ac ne vix quidem alios, quam ex MAXIMILIANI filiis quosdam duabus illis ſtatuis exhiberi.

Statuæ duæ MATHIÆ tanquam Imperatoris, Tab. LXXX. N. 1. 2.

VIII. Duæ hæ ſtatuæ MATHIAM tanquam Imperatorem repræſentant. Prior deſumpta eſt ex pompa introitus Sereniſſimi Principis FERDINANDI *Auſtriaci*, edente *Caſperio* GEVARTIO, *Antverpiæ* 1641. ſculptore vero *Theodoro* a THULDEN. Altera maioris

a) Inter Script. rer. *Hung.* a Cl. *Ioan. Georg.* SCHWANDNERO edit. tom. II. p. 219.

ioris fidei, & authentiæ ſeptem pedes alta, atque auro obducta, MATHIAM cataphracta munitum, trabea, ſceptro, pomo, ſeu globo Imperii, ac corona denique clauſa inſtructum exhibet. Viſenda eſt in ſacello Beatiſſimæ Virginis apud RR. PP. *Capucinos Vindobonæ*, fortaſſis tanquam monumentum *Cæſareæ* munificentiæ perpetuum, qua illorum ibi monaſterium exſtrui voluit.

Tab. LXXX.

IX. Eodem pertinent MATHIÆ, ac ANNÆ, uxoris eius, effigies, ſupra portam maiorem eorundem *Capucinorum*, ad hortum ducentem, in udo pictæ. Laureatus eſt Cæſar, inque pulvinari ſceptrum cum corona Imperiali iacet. Pone illum Imperatricis caput, multis margaritis ſuperbiens, corona inſuper Cæſarea clauſa, ac parvula, non ineleganter faſtigiatum, prominet: id quod non otioſe fieri, inde coniicias; quod monaſterii illius conſtitutio non tam Imperatori, quam eius coniugi adſcribenda veniat; ut quæ, teſte GANSIO, a) eum in finem triginta aureorum millia legavit, iisdemque Patribus tria alia monaſteria, *Stiræ*, *Ratisbonæ*, atque *Budoviſſæ* exædificavit. Alterum exemplum, ubi Cæſar iterum laureatus, ac armatus ſiſtitur, *Paulus* FURSTENIUS in ſua *Aquila Auſtriaca* num. 2. dedit.

Erga RR. PP. *Capucinos* una cum uxore benefici. N. 3. 4.

X. Multa elegantia, atque accuratione ultimæ hæ duæ imagines elaboratæ ſunt, de quibus plenam notionem dabunt inſcriptiones, iisdem ſubiectæ, & quidem ſub imagine MATHIÆ: SERENISSIMUS, POTENTISSIMUS, INVICTISSIMUS PRINCEPS, DOMINUS DOMINUS MATHIAS DEI GRATIA ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS, GERMANIÆ HUNGARIÆ BOHEMIÆ DALMATIÆ CROATIÆ SCLAVONIÆ ETC. REX ARCHIDUX AUSTRIÆ DUX BURGUNDIÆ ETC. COMES TYROLIS ETC. P. P. P. F.

Qui denique una comparent. N. 5. 6.

SACRÆ EIUS CÆSAREÆ MAIESTATIS SCULPTOR EGIDIUS SADELER DE FACIE EXPRESSIT, IN DEVOTI ANIMI SIGNUM HUMILIS OBTULIT PRAGÆ ANNO CHR. M. DC. XVII.

Sub imagine vero ANNÆ: SERENISSIMA, AUGUSTISSIMA, OPTIMA PRINCEPS, DOMINA DOMINA ANNA ROMANORUM IMPERATRIX, GERMANIÆ HUNGARIÆ BOHEMIÆ DALMATIÆ CROATIÆ SCLAVONIÆ REGINA ARCHIDUX AUSTRIÆ DUX BURGUNDIÆ ETC. COMES TYROLIS ETC.

SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS SCULPTOR EGIDIUS SADELER &c. ut ſupra.

Sculpta igitur ſunt hæc ſimulacra, cum Imperator annum ætatis fere 58. Imperatrix primum ſupra triceſimum agerent; quandoquidem hæc anno 1585. die IV. *Octobris*, ille anno 1557. die XXIV. *Februarii* in hunc mundum venerunt. Huius ANNÆ effigies etiam in theatro *Europæo* b) exhibetur, adiecto ſequenti tetraſticho:

QUID RADIOS, SPECTATOR, HEBES AD IMAGINIS HUIUS?
PERSTRINGITNE ACIEM, QUI VENIT INDE, NITOR?

Ne

a) In *Gynæc.* lib. XIII. c. II. p. 363. Conf. quoque CZERWENKA lib. I. p. 162.

b) *Theatr. Europ.* tom. I. p. 99.

NE MIRERE, DEA EST, MATHIÆ REGIA CONSORS,
CÆSARIS ANNA THORI, CÆSARIS ANNA THRONI.

Monumentum *Neostadiense*, sexdecim coronata capita *Austr.* exhibens, TAB. LXXXI.

XI. NEOSTADII *Austriæ* in fronte prætorii adumbrati cernuntur, quot quot ex Augusta Gente *Habsburgica* ad sceptra, & coronas sive Imperiales, sive regias, sive utrasque simul pervenerunt. In udo omnes picti sunt, coloribus tamen iniuria temporum iam iam, idque a sinistra potissimum parte, fugientibus. In medio, tanquam caput, & pater ceterorum, solio inter duas aquilas RUDOLPHUS I. Rex *Rom.* insidet, ornamentis Imperialibus indutus, ornatusque. Superne scutum imminet, nomen & dignitatem eius (id quod & apud ceteros fit) indicans. Exprimitur in area brachium armatum, clavam, circumplicato ei ramo oleæ, continens, qua quidem figura, unacum lemmate: UTRUM LUBET, pro symbolo usum fuisse RUDOLPHUM, sunt, qui autument. a)

Cuius dextrum latus recensetur.

XII. Ceteri hoc ordine circumstant: ALBERTUS I. Huic pro symbolo brachium, signum *Romanum* militare nonnullis spiculis, aut lanceis opponens, tribuunt, cum lemmate: FVGAM VICTORIA NESCIT: at hic loci vel victoria alata, vel certe Angelus RAPHAEL cum TOBIA *Iuniore*, iter suum prosequens, repræsentatur. Alter FRIDERICUS *Pulcher* est, qui hic in perigraphe scuti hoc nomine *tertius* audit. Symbolum illi fuisse, scribunt, statuam *Herculis*, ad crura usque deiectam, ac dextro insuper crure fracto, adiectoque titulo: ADHUC STAT. Tertio loco FRIDERICUS *Placidus*, qui hic *quartus* eius nominis appellatur, comparet. Pingitur armata manus, gladium tenens, affixa ei scheda. Alii mensam, imposito ei libro, addunt, cui capulus gladii insistat, sed quæ haud dubie in nostra pictura olim conspicua, longinquitate temporis interierunt. Adiiciunt hemistichium: HIC REGIT: ILLE TUETUR. Sequuntur MAXIMILIANUS I. & CAROLUS V. quorum symbola, uti vera & sincera, aliunde sat nota, in *Nummotheca Austriaca* plus simplici vice protulimus. Qui proximus est MAXIMILIANUS II. pro symbolo aquilam simplicem, sinistra falcula terrarum orbem, fascia ligatum, sustinentem assumpsit, cum lemmate: DOMINUS PROVIDEBIT. quod idem alia, atque alia pictura expressit. b) Hic autem partem aliquam imaginis detritam esse, in propatulo est. Septimo, & octavo loco stant RUDOLPHUS II. & MATHIAS, quo regnante, & forte etiam iubente, pictura confecta est, ut ex adiecta ad pedem eius epocha claret. Huius quidem symbolum cum lemmate: AMAT VICTORIA CURAM, multis modis, iisque pulcherrimis variatum, ex nummis nostris sat notum est. Illius vero cum plura fuerint, verum hic internoscere, difficile est. Videtur tamen, esse aquilam, contra solem volitantem, cui simile quid *Nummothecæ* nostræ parte II. num. VII. tab. XII. attulimus cum perigraphe: SALVTI PVBLICÆ.

XIII.

a) Vid. BIRCKEN *specul. honor.* lib. I. cap. XVI. p. 139. col. 2. *Corona XII. Cæsarum* a quatuor facultatibus Universit. *Viennens.* anno 1654. dedicata. aliique.

b) Vid. *Nummothec. Austr.* Vol. II. tab. VII. seqq. num. XIV. XX. XXI. XLI.

XIII. In ſiniſtro latere familiam ducit RUDOLPHUS, Rex *Bohemiæ*, RUDOLPHI I. Aug. filius. Symbolum eius uti ignotum, ita & quodcunque demum obtrudatur, haud dubie fictitium eſt. Hic Gallina, ovum enixa, pingi videtur. Hunc excipit ALBERTUS V. inter *Romanorum* Imperatores hoc nomine II. Symbolum ei tribuunt brachium armatum, ſpiculum vibrans, cum lemmate: TOLLE MORAS, a) id quod hic pictor exprimere voluit. Tertius eſt LADISLAUS *Poſthumus*, *Hungariæ*, & *Bohemiæ* Rex. Symbolum, hic illi attributum, etiam apud BIRCKENIUM reperitur, fluminis ſcilicet ſchema, veterum more adumbratum, adiecto titulo: LATET ALTIUS. Sequitur PHILIPPUS *Pulcher*, *Hiſpaniarum* Rex, cum ſymbolo eius, ex nummis noto, equite nimirum armato in hippodromo decurrente, atque verbis illis: QUI VOLET, ad pugnam provocante. Quinto loco FERDINANDUS I. ornamentis Imperatoriis indutus, comparet. Pro ſymbolo additur, aquila expanſa inter duo vexilla, quibus a plerisque globus adiungitur, cum lemmate: CHRISTO DVCE, qua de re in nummis noſtris nihil uſquam. Eidem proxime accedit PHILIPPUS II. Rex *Hiſp.* qui cum primum regni habenas moderaretur, ſpem populo ampliſſimam fecit futuræ felicitatis; hinc nummi percuſſi, ſolem orientem in quadrigis præferentes, cum epigraphe: IAM ILLVSTRABIT OMNIA. b) At alii ei equum, globo inſidentem, atque extra eum proſilire tentantem, adſcribunt, cum lemmate: NON SUFFICIT ORBIS, quale & in nummis noſtris videre eſt. c) Agmen tandem claudit PHILIPPUS III. Rex *Hiſpaniæ*, cuius ſymbolum, hic omnino deletum, difficulter reſtituitur. Sunt quidem, qui ei *leonem coronatum* adſcribunt, dextro pede vexillum, ſiniſtro crucem cum duobus palmæ ramis tenentem, addito lemmate: AD VTRVMQVE, ac nos certe bigam huiusmodi nummorum ſuo loco protulimus: at aliter interpretandos eſſe, quam ut pro conſueto Regis ſymbolo haberi queant, ibidem docuimus.

Ut & ſiniſtrum.

a

b

c

XIV. Atque hic quidem ordo laterum ſingulorum eſt: quod ſi vero ordinem a pictore, ſeu auctore operis chronologicum propoſitum, attendi cupias, alternis hunc in modum recenſendi ſunt: 1. RUDOLPHUS I. 2. ALBERTUS I. 3. RUDOLPHUS, Rex *Bohemiæ*. 4. FRIDERICUS *Pulcher*. 5. ALBERTUS II. 6. FRIDERICUS *Placidus*, & ſic de reliquis. Ceterum verſus, in angulo lateris dextri poſiti, omnium oculis ſatis patent, in angulo vero lateris ſiniſtri ita exeſi ſunt, ut inde vix aliquid elicias: videtur tamen ex reliquiis ſententiam Poëtæ eo collimaſſe, ut innueret: Auguſtam Gentem, quaſi *cedrum*, arborum reginam, *in Libano*, ſtirpem ſuam, qua magnitudine, qua fœcunditate, longe, lateque propagaſſe.

Eorum chronologicus ordo, & inſcriptuæ.

INSCRIPTIONES.

XV. Cum MATHIAS anno 1608. accepta *Hungariæ* corona, *Poſo-*

MATHIAS coronatus Rex *Hungar.* *Vindobo-*

a) BIRCKEN. lib. IV. c. XIII. p. 507. col. 2. X. & tab. XXXI. n. XXIII.
b) *Nummothec. Auſtr.* Vol. I. tab. XXX. n. c) Ibid. tab. XXXIV. n. LXXXVII.

... re- ciens, magnifice excipitur: *Posonio Vindobonam* redux, ab Ordinibus *Austriæ* honorifice exciperetur, inter cetera publicæ lætitiæ signa portæ honorariæ erectæ sunt, in quarum una sequens legebatur hexastichon:

HACTENUS AFFLICTOS TUTATUS ES IMPIGER HUNNOS,
VICISTIQUE FEROS SÆPIUS ENSE GETAS.
NUNC CAPE PRO MERITIS TRANSMISSAM A FRATRE CORONAM,
AC REGE REX POPULUM PRO RATIONE TUUM.
IPSE DEUS COEPTIS ADERIT, DABIT IPSE PERENNEM
PACEM, AC IN TERRIS GAUDIA MULTA TUIS.

a Retulit hanc inscriptionem Doctissimus KOELERUS, a) at reliquas haud retulit: sed neque fortassis, ex rationibus iam dictis, e re nostra foret, singulas describere.

Ut & eius sponsa anno 1611. XVI. Sic ANNA, MATHIÆ sponsa, in urbem *Vindobonensem* anno 1611. *Kalendis Decembris* introducta, magna cum pompa excepta, atque arcubus, portisque honorata fuit. Nos ex multis sequentem duntaxat; annum quippe, & diem designantem, ex ZAWIETA de *Zawietin*, eam solemnitatem data opera describente, delibamus.

DIVO MATHIÆ II. HEROI P. P. REGI HUNGA: ET BOEM: GLORIOSISS. NEC NON SERENISS. ARCHID. AUSTRIÆ. D. ANNÆ SPONSIS ILLUST: ETC. IN PUBL: INTRODUCTI MATRIMONII EXULTATIONE, DEBITÆ PIETATIS ERGO HANC PORTAM HONORARIAM OMNES PRIVILEGIATI MERCATORES ÆTERNUM CONSECRARUNT; ANNO CHRISTIANO MDCXI. KALEND: DECEMBRIS.

MATHIAS Imp. *Francofurti* coronatur, b XVII. In exteriori limbo umbellæ, sub qua, a sex urbis *Francofurtensis* senatoribus gestata, Imperator MATHIAS in templum S. BARTHOLOMÆI ad coronationem deducebatur, hæc aureis litteris inscripta erant: b)

MATHIAS PRIMUS, ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ REX, ARCHIDUX AUSTRIÆ, DUX BURGUNDIÆ, STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, ET WIRTEMBERGÆ, MARCHIO MORAVIÆ, ET VTRIUSQUE LUSATIÆ, PRINCEPS SILESIÆ, COMES HABSBURGICUS, TIROLIS, ET TECCÆ ETC. CORONATUR MOENO-ERANCOFURTI ANNO M. DC. XII. 18. CALENDAS IULII.

c Interius vero duo disticha legebantur, a nobis alibi c) relata.

Ac in reditu *Norimbergæ* honorifice excipitur. XVIII. Eundem Imperatorem, a coronatione per urbem *Imperialem Norimbergam*, *Pragam*, unacum coniuge, ac reliquo magnifico comitatu repetentem, Magistratus, & cives honorifice, porta triumphali, aliisque subiecti ac venerabundi animi significationibus salutavere. Inter cetera *Arcis Noricæ*, seu *Castri Imperialis*, consueti Cæsarum, eo adventantium domicilii, portam, urbem versus, aquila Imperii biceps, a duobus inauratis leonibus, quorum alter *Imperii* globum, alter sceptrum unguibus tenebant, sustentata, exornabant, hoc disticho aureis litteris inscripto:

FLORE-

a) *Delic. nummar.* P. VIII. p. 415.
b) Teste illustr. KHEVENHILLERO *Annal. Ferd.* tom. VII. col. 460.
c) *Nummothec. Austr.* P. II. p. 123.

FLOREAT IMPERIUM ROMANORUM CÆSARE SUB TE
MATHIA! LEO SIS CORPORE, MENTE AQUILA.

Portæ vero honorariæ, proxime infra hoc caſtrum exſtructæ, a meridionali parte nigræ tabulæ aureis litteris inſcriptum erat:

DIVO MATHIÆ IMP: CÆS: AVG:
PIO, FEL. P. P. HVNG: BOH: DAL:
CROA: ET SCLAV: REGI ARCHID:
AVST: DVCI. BVRGVN. S. P. Q.
N. HONORIS AC REVERENTIÆ ERGO P. C.

A boreali plaga, arcem verſus, in tabula itidem nigreſcente, aureis characteribus hoc ſeſe tetraſtichon offerebat:

Exspectatus ades Romani gloria regni,
Edite semideis induperator avis.
Se tibi res urbis commendat publica, fausta
Adventu sperans cuncta redire tuo.

Exhibebant & aquilam, quæ licet ex ære caldario conflata, libras ponderis publici 126. penderet, tam artificioſe tamen concinnata erat, ut quolibet moveretur, adſcriptis verſibus:

Ingredere o felix gemino ter regis honore
MATHIA, et mundi maxime Cæsar ave.
Et ut flos solsequii solem, invictissime Cæsar,
Sic ego servitio te sequar, atque fide.

Facta ſunt hæc die $\frac{12}{2}$ *Iulii* anni 1612. a)

XIX. In *Hungariæ* Comitatu *Poſonienſi* urbis *Modrenſis* portæ, cui, quod in *Auſtriam* obverſa *Bazingam* ducat, *Baſingenſi* nomen, adſcripta legitur trium Cæſarum memoria, a quibus inter liberas, & regias civitates adſerta eſt. Pingitur nempe aquila Imperii biceps, a dextris ſcutum *Hungariæ*, urbis autem a ſiniſtris adiectum habens, adſcripto titulo: b)

Urbs *Hungariæ Modrenſis* libertate donatur.

DEI O. M. POT. AVSP.
DIVO MAX. II. D. RVD. II.
D. MATH. IMP. ET REGE
AVG. PP. AD IMMORT. MEMOR.
BENIGNITATIS LIB. E. PVBLICAE
MDCXVIII.

CAPUT

a) Vid. *Bern.* Prætorii *Corona Imperial.* *Norimbergæ* 1613.

b) Teſte *Mathia* Bel. Notit. *Hung.* tom. II. p. 106.

CAPUT VII.

MAXIMILIANUS III. SUPREMUS ORDINIS TEUTONICI MAGISTER.

§. I.

Icon MAXIMILIANI cum Servatoris ſigno. TAB. LXXXII. N. I.

Quæ primo loco MAXIMILIANI III. MAXIMILIANI II. Imp. filii, hic exhibetur imago, ex balneis *Rotaunenſibus*, Inferioris *Auſtriæ*, educta fuit. Nudo capite, ac fratrum ſuorum exemplo, accifa cæſarie, armatus ſiſtitur, dextra ſcipionem tenens, ſiniſtra capulum gladii apprehendens. Supra pectus crucem gerit, in cuius medio ſcutum cum aquila ſimplici, ſolito Magiſtri ordinis *Teutonici* inſigni. Singulare eſt ſignum Servatoris, e cruce pendentis, transverſæ faſciæ militari impreſſum, quod pietatis, ac amoris ergo, quo piiſſimum hunc Principem adverſus DEUM flagraſſe paſſim legimus, feciſſe cenſendus eſt.

Itemque ſtatua cum inſigni elogio. N. 2.

II. Eodem fere modo MAXIMILIANUM noſtrum *Iacobus* SCHRENCKIUS in pedes erectum exhibuit anno 1601. atque adeo anno ætatis eius tertio, & quadrageſimo. Addidit & elogium hoc modo: „MAXIMILIANVS hic in *Auſtriacæ* familiæ ſerie huius no„minis tertius--- abauum, & genitorem nomine refert, illis Re„giis virtutibus non inferior, quas per omnes cum bellicæ, tum „virtutis numeros generoſi ſpiritus, & inuicti animi magnitudine, „heroica grauitate, benigna humanitate, comi affabilitateque re„præſentat. Siquidem hoc liquidiſſime conſtat ex variis aduerſi„tatibus, quibus illum fortuna exercuit, quas infracta virtute ſu„perauit. Princeps ſingularis innocentiæ, pietatis, prudentiæ, cle„mentiæ, ſobrii, & conſtantis iudicii, ingeniique liberalis.„

Inclyto ordini *Teutonico* quid profuerit? N. 3. a

III. MAXIMILIANUM integro corpore exhibet pictura, quæ ex caſtro *Wildegg*, prope laudatum *San-Crucenſe* monaſterium, excerpta fuit. Parum differt a præcedentibus, iterumque cum ordinis equeſtris *Teutonici* inſignibus, omiſſa tamen faſcia, ſiſtitur; cui quidem inclyto ordini quantum profuerit noſter, exponit *Conradus* HESS, a) his verbis: „MAXIMILIANUS, Archidux *Auſtriæ*, iam an„te Coadiutor nominatus, mortuo HENRICO de *Bobenhauſen*, titu„lum & honorem *M. Magiſtri* aſſumpſit 1595.--- Quanta in Ma„giſterii adminiſtratione pro honore DEI, Cæſaris, & incliti Ordi„nis geſſerit, fundatum pro alumnis ſeminarium, ædificatum artifi„cioſe in arce *Mergentheimenſi* ſacellum, aliaque inſtituta pia, ſub„miſſæ pro viribus in bello *Turcico* copiæ, uti & conſcriptum eius „iuſſu, & auſpiciis Ordinis *Teutonici Chronicon* ſatis teſtantur.„ Addidit auctor imaginem Principis, qua tamen ſicut & XLVII.

Magno-

a) In diſcurſu inaugurali hiſtorico-politico, ac ſuccincta *Equeſtris Ordinis Teutonici* hiſt. n. XL. *Herbip.* 1720. fol.

Magnorum Magiſtrorum icones, parum accuratas eſſe, videbit, qui volet. Addidit & CUSTOS hexaſtichon, ad eius ſymbolum alludens: TAB. LXXXII.

FATA, TUUM ACROAMA EST, PRINCEPS, VIRTUTE SEQUEMUR:
HOC EST, FATA TRAHUNT, QUO RETRAHUNTQUE, SEQUI.
SCILICET ÆNEAS VIRTUTE EST FATA SEQUUTUS:
NON ALITER MENS EST ET TIBI FATA SEQUI.
QUÆ DAS, QUÆ DOCUMENTA DOMI, BELLIQUE DEDISTI
HACTENUS, HUNC ANIMUM TE SAT HABERE PROBANT.

Eundem ordinem quandonam ſuſceperit? N. 4.

IV. Cum in hac armata protome, *Lincio* nobis ex Pinacotheca *Weiſſenwolffiana* transmiſſa, nihil, quod ad inclytum ordinem B. V. M. *Teutonicum* pertineat, obſervetur; ſignum eſt, eam ante quartam *Maii* anni 1594. fabrefactam fuiſſe. Enimvero eo die, qui *Sabbathi* erat, *Lincii* in legem, & ſtatuta ordinis iuraſſe, legimus in *Hugonis* PLOTII, Bibliothecarii *Cæſarei*, & rei ſpectatoris, *narratione hiſtorica de celebri Sereniſſimi Principis* MAXIMILIANI, *Archiducis Auſtriæ*, *in equeſtrem auratæ militiæ Ordinem Teutonicum inauguratione*, anno CHRISTI MDXCV. conſcripta, cuius autographum in Bibliotheca *Cæſarea* extat, unde porro nonnulla, utpote opportuna, excerpere, operæ pretium erit. Sic autem pergit: „Sacra peregit *Ioannes* CASPARUS, Epiſcopus *Viennenſis*, cui adſtitere *Georgius* STRIGELIUS, Abbas ad *Scotos*, & *Martinus* RADIGER, ad S. DOROTHEAM Præpoſitus. Mane templum S. AUGUSTINI ERNESTUS, & MAXIMILIANUS ingreſſi ſunt cum aula omni: ubi MAXIMILIANUS *ſacriſtiam* ingreſſus, arma induitur equeſtria, totusque, excepto capite, cataphractus, prodit, nullo tamen ſuccinctus gladio, non calcaribus, non chlamyde, non catena, & cruce aurea ornatus. Et ſic a duobus ſacerdotibus Ordinis, & DIETRICHIO (ab HOHENLANDENBERG) inſigniis ornatus eſt. Legati per *Bohemiam* ad comitia Ordinis rediere, in quibus *Henricus* de BOBENHAUSEN (Magnus *Teutonici Ordinis* per *Germaniam*, & *Italiam* Magiſter) retento nomine, & penſione modica, ſe *Magiſtratu* abdicavit, & MAXIMILIANUS in *Coadiutorem* cum ſpe certa ſucceſſionis electus eſt. Nuncium tulere ablegati, *Ioannes* COBENZL, & *Ioannes* ab HORT, equites.„ Hucuſque ille, præmittens quoque catalogum Equitum, qui a Magiſtro delecti, *Lincium* ſe ſe, ad obeundas eas ceremonias deſtinati, contulerunt. Nimirum: nominatus iam DIETRICHIUS ab *Hohenlandenberg*, Commendator Provincialis *Alſatiæ*, & *Burgundiæ*, Commendator *Altshauſiæ*, S. C. M. Conſiliarius, quadraginta circiter annorum. *Volpertus* SCHWALPACH, Commendator *Provincialis Balivatus Franciæ*, Commendator *Ellingiæ*, & *Nuribergæ*, vir grandævus. *Chriſtophorus* THUM a *Neuenburg*, Commendator *Friburgi in Brisgoia*, iuvenis. ADAM a *Klingelbach*, Commendator *Virnſpergiæ*. Eisdem mandato Supremi Magiſtri adiunctus fuit ALBERTUS a *Sigerdorff*, Dominus in *Groſswincklern* S. C. M. in Exc. *Auſtriæ Inferioris* regimine Conſiliarius: nec non duo ordinis ſacerdotes, Magiſter *Mathias* MARQUARTUS, & *Andreas* HEUSELER.

 V.

Alia eius protome, TAB. LXXXII. N. 5. a

V. Recentior itaque eſt protome iſthæc, in thecis HERÆI, & ap. illuſtr. KHEVENHILLERUM reperta. Ubi *Archidux* iterum armatus, cumque inſigni ordinis *Teutonici*, ſupra pectus expreſſo, videre eſt. In *Theatro Europæo* a) idem cum veſte pellita pingitur, ſubiecto tetraſticho:

DEFENSOR VERI, SIT FALSI DOGMATIS OSOR,
DUX PIUS, ET FLAGRANS LEGIS AMORE SACRÆ.
SANCTUS AVUM, PATREMQUE REFERS PIETATE, FIDEQUE;
SIC TIBI CONCILIAS RITE PERENNE DECUS.

Statuaque equeſtris. N. 6.

VI. Ad extremum MAXIMILIANUM equo inſidentem damus. Armatus eſt, ac præter ſolitum ordinis *Teutonici*, quod pectore gerit, inſigne, ſupra obſervatam CHRISTI, e cruce pro nobis ſuſpenſi, imaginem, in faſcia militari expreſſam, habet. Duobus præterea gladiis, quorum tamen alter a ſiniſtro latere capulo tenus duntaxat prominet, inſtructus cernitur, ac ſclopeta præterea manualia, cum aliis rebus, eo pertinentibus, non, ut hodie fit, ante, ſed retro, ſeu a tergo vehit. Credibile porro eſt, auctori huius imaginis, Principi noſtro æquali, animum fuiſſe, ut illum eo habitu, ornatuque, quo in bellum proceſſit, exhiberet. Quantas enim *Turcis* tanquam ſupremus Bellidux intulerit clades, cum alibi diximus, tum inter alios ISTHUANFFIUS abunde docet.

INSCRIPTIO.

MAXIMILIANUS cœnobii *Raetzeldorffenſis* alter fundator dictus.

VII. In conventu *Seraphico Raetzeldorffenſi* ſupra *Leitham*, prope *Neapolim Auſtriæ*, inſcriptio, maiuſculis litteris marmori inciſa olim poſt organum, & aram maiorem in choro fratrum, nunc in eccleſia ad cornu *Evangelii* muro unacum marmore immiſſa cernitur:

ANNO SALUTIS 1593. DIE 12. MAII SUB PONTIFICATU CLEMENTIS VIII. ET IMPERATORE RUDOLPHO II. CÆSARE, HOC S. RADEGUNDIS MONASTERIUM, A. D. G. SIGISMUMDO DE WEISPRIUD PRO FRATRIBUS S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA QUONDAM EXSTRUCTUM, POSTEAQUE HÆRETICORUM VIOLENTIA AD XXX. ANNOS POSSESSUM, ATQUE FOEDATUM, EX IMPERIALI MANDATO FRATRIBUS DENUO RESTITUTUM, AC LUSTRALI AQUA RECONCILIATUM EST. EODEM ANNO DOMINICA I. ADVENTUS OBIIT A. R. P. FR. VALENTINUS ERRICIUS, PRÆFATI ORDINIS PER GERMANIAM, HUNGARIAM, POLONIAM, ET BOHEMIAM COMMISSARIUS, ET SECRETARIUS, MATTHIÆ ARCHIDUCIS AUSTRIÆ CONFESSARIUS; PATER PIETATE, ZELO, AC DOCTRINA, ET DE ECCLESIA DEI, AC ORDINE NOSTRO OPTIME MERITUS. QUEM EODEM TEMPORE STATIM SUBSECUTUS EST R. P. IOANNES DOMINICUS HESS, HUIUS PROVINCIÆ MINISTER PATER ITIDEM PIETATE, ET DOCTRINA, UTI ET CONCIONATOR, AC POETA PERCELEBRIS. OBIERUNT AUTEM PAPIÆ IN ITALIA, EX CAPITULO GENERALI, IN HISPANIA CELEBRATO, REVERTENTES, IBIDEMQUE SEPULTI SUNT. IN QUORUM MEMORIAM P. P. IOANNES BAPTISTA POST RESTITUTUM MONASTERIUM PRIMUS EIUSDEM MONASTERII QUARDIANUS, AC SERENISSIMO MAXIMILIANO, ELECTO POLONIÆ REGI, ARCHIDUCI AUSTRIÆ ETC. HUIUS LOCI QUASI ALTERI FUNDATORI, ATQUE TUTORI, A SACRIS CONCIONIBUS, NON SINE IUSTIS LACRYMIS HOC OPUS ERIGENDUM CURAVIT, ANNO 1595. ANIMÆ DEFUNCTORUM REQUIESCANT IN PACE.

a) P. I. p. 98.

PINA-

PINACOTHECÆ AUSTRIACÆ
LIBER IV.
EXHIBENS ICONES
A
FERDINANDO, RESTAURATORE
LINEÆ AUSTRIACO-TYROLENSIS,
AD USQUE
LEOPOLDUM V. EIUSQUE PROLES

CAPUT I.
FERDINANDUS, FERDINANDI I. IMPERAT. FILIUS, CUM UXORIBUS, ET LIBERIS NON NULLIS.

§. I.

Ferdinandi simulacrum ex Franc. Tertio. Tab. LXXXIII. N. 1.

Ordo quidem expoſcere videretur, ut reliquis MAXIMILIANI II. filiis etiam ALBERTUM adderemus: ſed imaginibus eius ſupra inter *Hiſpanos* Principes, ex adductis ibidem cauſſis, iam iam recenſitis, ſine ambage ad lineam *Auſtriacorum* Principum *Tyrolenſem*, a FERDINANDO, FERDINANDI I. Imp. filio reſtauratam, prolabimur; cuius hic effigiem, ex *Franciſco* TERTIO deſumptam, damus: ubi pileo *Archiducali* obtectus, ac ſupra thoracem hamatam lorica ex ſolido ferro, cum torque aurei velleris indutus, ac gladio bellatorio præcinctus, dextra ad femur compoſita, ſiniſtra clavam tenens, adumbratur. De authentia, ac nativa imaginis ſpecie, non ſolum ex dictis ſupra pag. 291. num. IV. pateſcit, ſed & inde; quod *Franciſcus* TERTIUS pictor, auctorque operis, ab hoc ipſo *Archiduce* altus, & ſuſtentatus fuerit, partemque illius ſecundam ei nuncupaverit. Quapropter turpe fuiſſet, illius in hac parte deſiderari induſtriam. Unde etiam in eadem præfatione inter cetera gratum ſuum adverſus Principem animum declarat, eum his verbis alloquutus: „ cum optabilia multa ſunt in „ humana vita, quæ cum homines adipiſcuntur, præclare ſecum agi „ putant: tum nihil optabilius, quam a te cognoſci, ac diligi, FER- „ DINANDE, *Archidux* maxime. Tu enim, qui liberales om- „ nes artes plurimi facis, & ita vales iudicio, ut in unaquaque „ quid excellat, atque emineat, & quid humile, abiectumque ſit, „ facile diſtinguas, tu, inquam, talis, tantusque Princeps, cum in- „ duſtriam, artemque meam probaveris, meque ipſum ita dilexeris,

TAB. LXXXIII.

„ut in tuorum numero esse velles, *eaque mihi suppeditares, unde* „*commode, & honeste* vita traducitur: iure mihi gratulor, &, quod „in felicitate summum est, id me iam iam esse consecutum existi„mo.„ Ceterum cum TERTIUS opus suum an. MDLXIX. edere aggressus sit, noster vero anno MDXXIX. in hunc mundum intrarit: consequens est, ut in hac effigie tanquam vir annorum quadraginta repræsentetur.

Alterum ex SCHRENCKIO cum corporis animique effigie: N. 2.

II. Ingenti quoque auctoritate pollet statua hæc, ex *Iacobi* SCHRENCKII armamentario *Ambrasiano*, seu, ut auctor ipse constanter scribit, *Ambrosiano*, exprompta. Stat Princeps cataphractus cum pileo plumato in capite, dextra clavam, ut in schemate præcedenti, tenens, sinistra ansata. Editor operis, quod munificentiæ FERDINANDI adscribendum esse diximus, sequens, unde corporis, orisque speciem discas, addidit encomium: „Fuit Princeps decoræ „formæ, morum elegantia, & corporis dignitate præstans, quæ or„namenta cumulavit vultus serenitas, iudicii acumen, & prudentiæ „sagacitas, & hæc ipsi apud omnes pepererunt admirationem. Im„primis vero DEI cultum, & religionem Catholicam feruido zelo „iugiter asseruit, & pietatis, atque religionis suæ monumenta, ex„structas sacras ædes, & sacella reliquit.„ Porro iustæ staturæ virum, quin elatæ magis, quam depressæ, valido, ac robusto corpore, lata, & aperta fronte fuisse, hæ nostræ ostendunt imagines. Addunt Scriptores: ei tantas corporis vires insedisse, ut duos nummos unciales, seu *thaleros*, alterum alteri impositos, tanquam frustum papyri discerperet: currum, ab aliquot equis tractum, in medio cursu sisteret: ac lanceam octo, & viginti pedes longam, una manu sustentaret, iaceretque.

Ac Tertium ex *Dominic.* CUSTODE. N. 3.

III. Non inelegans est sequens protome, vultum FERDINANDI forma aliquantum maiori referens: unde eius lineamenta apertius internosci possunt. Educta est ex *Atrio Heroum Dominici* CUSTODIS, an. 1600. in lucem emisso. Addidit tempus obitus per hæc verba: *Pie in Domino obdormivit* MDXCV. itemque tetrastichon:

> *Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello*
> *Dextera! non illi quisquam se impune tulisset*
> *Obvius armato, seu cum pedes iret in hostem,*
> *Seu spumantis equi foderet calcaribus artus.*

Quin & hexastichon:

> EX HOC VIRTUTEM POTUIT, VERUMQUE LABOREM
> AUSTRIA FERNANDO DISCERE CLARA DOMUS.
> SEU TOGA, SEU LAURUS FERNANDUM CINXIT, UTROQUE
> ILLE SUIS VIXIT NOMINE DIGNUS AVIS:
> VNDE TULIT COELUM, PRETIVM NON VILE LABORVM,
> CUI PRETIUM EST COELUM, LAUS EA SOLA MANET.

FERDINANDI, & CAROLI statuæ equestres. N. 4.

IV. Sequens monumentum *Vindobonæ* in curia Ordinum *Austriæ* Inferioris, vulgo *Land-haus* nuncupata, extat. Statuæ sunt equestres lapideæ, supra scalas conspicuæ. Archiduces FERDINANDUM no-

noſtrum, ac CAROLUM *Styrenſem* exhiberi, nota chronologica, inferne poſita, prodit. Huic enim, eo anno cum MARIA, ALBERTI V. Ducis *Bavariæ* filiæ, nuptias *Vindobonæ* celebranti, etiam inter ceteros Archiduces præſto fuit FERDINANDUS, qui, uti CAROLUS die *Mercurii*, ita hic poſtridie eius diei, id eſt viceſima ſecunda menſis *Auguſti* urbem invectus, a) a fratre, cuius cauſſa, & amore venerat, comiter, atque amanter exceptus, & ſalutatus fuit. Cuius rei devoti eorum numinibus Ordines monumentum hoc extare voluerunt. Verum quidem eſt, inſequente Sabbato, pridie videlicet ante nuptias, RUDOLPHUM, & ERNESTUM ex *Hiſpania* reduces, non minori cum gaudio exceptos fuiſſe, ſed illi tum natu minores erant, quam ut barbam ita, ut in his duobus ſchematibus videre eſt, promittere potuiſſent. Porro in ſtatuis hiſce, præter armaturæ genus, ſuſpicienda ſunt ſcuta, a tergo utriusque pendentia. Priori natu, FERDINANDO nimirum, qui & ex barba breviori internoſcitur, ſcutum, quod putabant, antiquum, cum quinque alaudis, adhæret, alteri ſcutum recentius cum faſcia candida in area rubea. CAROLI demum equus caudam, ac pedem unum deiectum, perdidit.

TAB. LXXXIII. a

V. Succedit PHILIPPINA, FERDINANDI uxor prima, ex nobili *Welſerorum*, Patriciorum *Auguſtanorum* familia prognata. Veſtitus eius perelegans, exteriori ſua parte nigreſcit, manicæ vero ſubflavæ argenteis tæniolis diſtinguuntur. Supra pectus aquila biceps expanſa cernitur. Imperatorum fortaſſis FERDINANDI, MAXIMILIANI, aut RUDOLPHI munus: in capite vero biretum plumatum, gemmis conſitum. Extabat olim tabula in palatio *Bellofontano;* atque adeo haud dubie ad nativi oris formam expreſſa.

PHILIPPINÆ *Welſeriæ* icon. TAB. LXXXIV. N. I.

VI. Hanc mirum in modum extollunt Scriptores plerique, quos inter encomiaſtes eius funebris *Georgius* RONER apud *Chriſtophorum* ARNOLDUM in vita *Marci* WELSERI operibus illius præfixæ, p. 13. b) ita diſſerit: „Si ad exteriores corporis dotes quis reſpicere velit, quis non in illa inſignem, & admirandam corporis pulchritudinem celebravit? Quis non in Principe noſtra plus, quam heroicam totius corporis ſpeciem, procul etiam Principiſſam oſtentantem, laudavit? Quis non eximiam illam, & decentiſſimam proceritatem, & ſtaturam talem, qualis tantam Principiſſam decet, prædicavit? Quis non inſignem capitis honorem, quis vividum oculorum vigorem, regiam oris dignitatem, cum amabili quadam venuſtate pariter, ac maieſtate temperatam, ſumma cum iucunditate non inſpexit? Ut mihi plane in hanc Principem noſtram omnia naturæ, mentis, & corporis bona congeſta, meritoque illa vel ſereniſſimis Reginis, & Principiſſis, D. ELISABETHÆ, quæ Regi *Daniæ* potentiſſimo, D. MARIÆ, *Hungariæ* Regi LUDOVICO nupta, & D. LEONORÆ, quæ *Luſitaniæ* Regi copulata, immo etiam

Eiusque tam corporis. b

Bea-

a) Teſte *Henrico* WIRRICHIO in libro, cui titulus: *Ordentliche beſchreibung des - - - beylags - - - Herrn* CAROLEN *Ertzherzog zu Oſterreich.* Viennæ Auſtr. 1571. fol.

b) Adde KOELER. Delic. nummar. P. III. p. 10.

Tab. LXXXIV. Beatæ ELISABETHÆ, *Hungariæ* Reginæ, quæ Comiti Provinciali *Thuringiæ* matrimonii lege iuncta fuit, conferenda esse videatur. „ Sat hæc, si non sint nimia, ad diiudicandam PHILIPPINÆ corporis formam. Brevior est *Ioan. Martinus* RAUSCHER, a) homo, ante medium seculi præteriti florens: *Uxorem sibi sociavit* PHILIPPINAM *Welseram,* ait, *eleganti ingenio, & forma virginem, patriciaque apud Augustanos familia prognatam, cuius incomparabilem ista ætate venustatem orbis prædicavit.* Totidem fere verbis eam laudat THUANUS, b) quem RAUSCHERUS non in hoc solum, sed & errantem quoque secutus est: existimantem: matrimonium illud *Romæ* quidem pro legitimo, secus vero in *Germania* habitum fuisse, false exceptum a KOELERO. c)

Quam animi dotes. N. 2. VII. Protome hæc, ex thecis HERÆI deprompta, PHILIPPINAM cum stola, pellibus suffulta, ostendit: supra pectus trinæ torques cum pretiosissimis, ut videtur, cimeliis observantur. Similem omnino imaginem illustr. KHEVENHILLERUS dedit, qui præter corporis eius dotes, etiam virtutem Principis vehementer extollit, eam a prudentia, singularique pietate, & modestia, commendans; unde quidem id effecerit, ut, cum marito coram offenso ob imparile illud connubium Augusto patre comparere diu prohibitum fuisset, is PHILIPPINÆ, sub peregrino habitu ad eius pedes provolutæ, cum pulchritudine, tum modestia motus, eundem in gratiam receperit: cumque antea liberos, ex eo matrimonio nascituros, pro illegitimis declarare statuisset, nunc, mutato consilio, voluerit, ut *Archiduces* quidem minime, *ab Austria* tamen, ac *Marchiones Burgoviæ* appellarentur. Succinit RONERUS, ubi supra: „ Fuit hæc (ait) Clarissima Princeps nostra virgo gloriosa, & illustri genere nata, atque ab ipsis incunabulis in fide CHRISTI bene informata, & instituta. Postquam vero pubertatis annos est egressa, tam mira, & eximia fuit pulchritudine, tamque excelso animo, & tam singulari prudentia, tantisque laudibus probitatis, pudicitiæ, & modestiæ ornata, ut maximus Reip. Christianæ Princeps, Serenissimus D. FERDINANDUS, Archidux *Austriæ,* eam sibi matrimonio copulare non dubitaverit. „

Nuptiæ illius quandonam celebratæ? VIII. Plura de PHILIPPINA addit idem RONERUS, a nobis alibi delibanda: at quo die, anno, aut loco hæ nuptiæ celebratæ fuerint, memoriæ, quoad sciamus, proditum haud est. Laudatus KOELERUS tempus saltem eruere studens, anno 1550. convenisse, ex eo coniicit; quod, illustr. KHEVENHILLERO teste, supra triginta annos in vitæ societate vixisse, dicantur: quare cum PHILIPPINA anno 1580. die 24. *Aprilis* eam deseruerit, nuptiæ illæ ad an. 1550. reponendæ forent. Quod si vero MENLIO, & LEQUILEO fidendum, scribentibus: matrimonium illud ultra quatuor, & viginti annos perdurasse, tum vero præter propter annus æræ Christianæ 1556. emergeret. Quidquid sit, male certe calculum ducunt mox

a) In vera origine Domus Augustæ Msc.
b) Lib. LXXI. ad an. 1580.
c) Loc. mox. cit. p. 15.

mox excitatus THUANUS, & GANSIUS, a) connubio illi non nisi viginti annos tribuentes; quando certum est, ANDREAM filium eorum, de quo statim, anno MDLVIII. die XV. aut XVI. *Maii* tanquam primum illius fructum, propullulasse, ut tomo IV. amplius patebit.

Tab. LXXXIV. a

IX. Itaque ANDREAM Cardinalem, primum FERDINANDI ex PHILIPPINA filium, hic damus armatum, pileo obtectum, & pallio, seu, si mavis, chlamyde circumdatum. Excerptus est ex SCHRENCKII armamentario *Ambrasiano*, atque eodem modo in duobus nummis, a nobis suo loco prolatis, repraesentatur, cum eo tempore iam iam *Belgium* gubernaret. Dignam ei corporis speciem, ac proceram magis, quam depressam fuisse, ex hac ipsa imagine, uno duntaxat ante eius obitum anno fabrefacta, intelligimus. Paternarum virtutum aemulum fuisse, atque earundem statim ab adolescentia indicia manifestissima de se praebuisse, testatur primus iconis huius editor.

Cardinalis ANDREAE simulacrum, N. 3.

X. Non minoris fidei sunt protome duae sequentes, ANDREAM nostrum in habitu ecclesiastico exhibentes. Prima, ex thecis HERAEI deprompta, auctorem habet *Petrum* de IODE, similemque dedit illustr. KHEVENHILLERUS. Altera in atrio Heroum, a *Dominico* CUSTODE edito, hoc distichon subscriptum habet:

Aliaeque duae protome. N. 4. 5.

> ANDREA, *Praesul, Princeps, pars celsa senatus*
> *Cardinei, es titulis non minor ipse tuis.*

Et post intervallum sequens hexastichon:

> DUM QUOD AD INGENTEM NON AMPLIOR ALTERA RHENUM,
> ATQUE DIOCESIS SIT TUA, RUMOR AIT;
> PURPURA TEQUE SACRI PARTEM FACIT ESSE SENATUS,
> MAGNANIMI, PRINCEPS, STIRPS GENEROSA DUCIS.
> QUAEQUE TENES ULTRA: QUID SUNT? NISI SIGNA FAVORIS.
> VIRTUTEM AMPLEXUS, QUO TIBI SERVIT HONOS.

Prioribus duobus versibus Episcopatum *Constantiensem* intelligit, quem amplissimum esse, novimus.

XI. FERDINANDI ex PHILIPPINA filius alter CAROLUS erat, Marchio *Burgoviae*. Eius protome duae hic proferuntur, haud multum inter se diversae: nisi quod in priori a fascia, ab humeris ad pectus descendente, non nisi numismatis forma dependeat: ab altera vero vellus ordinis *Colchici*, quo, num aliquando honoratus fuerit, nos equidem latet. In catalogis certe Equitum ordinis *aurei Velleris*, quos R. P. *Sebastian.* INSPRUGGER b) texuit, nomen CAROLI nostri haud legimus. Prior imago ex atrio Heroum *Dominici* CUSTODIS, quod *Aug. Vindel.* anno 1600. atque adeo vivente, ac florente etiamnum Principe nostro, edidit, exprompta, hos versus adscriptos habet, unde eius symbolum discimus:

CAROLI, Marchionis *Burgoviae*, protome duae Tab. LXXXV. N. 1. 2. b

> NASONIS DICTO, SED QUID TENTARE NOCEBIT?
> PARNE TUUM, PRINCEPS, SYMBOLON ESSE REAR?

DUM

a) In *Gynaec.* init. lib. XIII. p. 354.
b) In lib. cui titulum fecit: *Vellus aureum Burgundo-Austriacum. Vien. Austr.* 1728. fol.

Tab. LXXXV. a

DUM TENTEMUS, AIS, SENSIT TAMEN HUNGARA TELLUS,
QUAM TENTES ACRI FORTIA MULTA MANU.
PATRIÆ TEMPUS ERIT, CUM DEFENSORIBUS ADDET,
THRAX UBI TERGA DABIT, TE QUOQUE GRATA SUIS. a)

Alteram thecæ HERÆI, nec non imaginum collectio, Annalibus illuſtr. KHEVENHILLERI adiecta, ſuppeditavit.

Ac ſtatua, cum corporis, animique dotibus. N. 3.

XII. CAROLUM in pedes erectum, atque armatum, illuſtris quoque SCHRENCKIUS edidit, dextra ſcipionem tenentem, ſiniſtra gladium bellatorium: in latere ſiniſtro, retro faſciam militarem, ſimulacrum CHRISTI, in crucem ſublati, obſervatur; chriſtianæ fiduciæ, in illum collocatæ, indicium. Addidit SCHRENCKIUS inſigne plane elogium, cuius initium ſaltem, unde eius & corporis, & animi dotes intelligimus, adſcribere iuvabit: „ Hæc effigies (ait) CAROLUM *Auſtriacum*, Marchionem *Burgouienſem*, ſpectandum proponit, in quo liquidiſſime conſtat, fortes creari fortibus, & liberis a parentibus generatione virtutum ſemina communicari. Etenim in hoc FERDINANDI, *Auſtriæ* Archiducis, in ſua familia hoc nomine ſecundi, parentis heroica virtus ingenita enitet, atque illuſtria ab hoc Marchione in *Belgio*, *Illyrico*, & *Pannonia* edita documenta, non ſolum ipſum paternæ generoſitatis heredem, ſed etiam maiorum ſuorum inclyta facta non tam æquandi, quam ſuperandi flagrantiſſime cupidum, enixeque ſatagentem, teſtificantur. In adoleſcentia ſerenæ frontis, & roſei vultus coruſco decore, morumque elegantia præditus, arma, equosque amabat, naturæ ſequebaturque militaris ſemina, talem præſeferens indolem, quæ egregii bellatoris, optimi & clariſſimi futuri Ducis ſpem præberet. Hanc in eo adultiore, & toroſis lacertis robuſtiore, ſtudium variorum exercitiorum, quibus ocii tempus tranſegit, ſummopere auxit, dum equos in gyrum circumageret, paleſtram exerceret, multa luctaretur arte, ingentis ponderis ſaxum iactaret, ferreum iacularetur vectem, & omnis generis equeſtria ludicra, imaginaria belli ſpectacula, ederet. „ Hæc, & plura SCHRENCKIUS de CAROLO, etiamnum inter mortales verſante, atque operis ipſius, ut ex proemio diſcimus, promotore. Inſignis, atque proceræ ſtaturæ Principem fuiſſe ſimulacrum præſens edocet; magis tamen perſpicue, ſi cum ceteris a SCHRENCKIO allatis, conferas, quam cum in hac noſtra tabula intuearis.

Binæ, uxoris eius effigies. N. 4. 5.

XIII. CAROLO adiunguntur binæ effigies uxoris eius SYBILLÆ, WILHELMI, Ducis *Iuliæ*, *Cliviæ*, & *Montium* filiæ, ſic enim ſubiectus ectypi, quod ex collectione iconum Sereniſſimi Principis EUGENII a *Sabaudia* tom. IV. p. 33. hauſimus, titulus declarat: SYBILLA, *nata Princeps Iuliæ, Cliviæ, & Montium, uxor* CAROLI *ab Auſtria, Marchionis Burgoviæ. Effigiata anno* 1576. Picta igitur imago fuit anno ætatis eius undeviceſimo, atque adeo antea, quam in manus CAROLI conveniret; utpote quod anno primum

MDCI.

a) Conf. Nummothecæ *Auſtr.* P. II. p. 78. §. XXV.

MDCI. accidit, cum prius PHILIPPO, Marchioni *Badensi*, iuncta fuisset. Unde titulum huiusmodi a chalcographo, cum iconem ederet, primum adiectum fuisse, necesse est. Altera effigies, ex thecis HERÆI educta, etiam apud illustr. KHEVENHILLERUM extat.

CAPUT II.

FERDINANDI ARCHIDUCIS UXOR ALTERA, ANNA CATHARINA MANTUANA, CUM LIBERIS.

§. I.

Ferdinandi uxor altera eiusque natalis. Tab. LXXXVI. N. 1.

Altera FERDINANDI uxor, ANNA CATHARINA, WILHELMI III. GONZAGÆ, Ducis *Mantuæ* & *Montis ferrati* filia erat: eius effigies, quam hic damus, in thecis HERÆI reperta, apud *Gerardum* quoque de Roo in Annalibus *Austriacis*, editionis *Germanicæ*, ligno incisa cernitur. Vestimenti genus ad morem *Italicum* accedit, capitis præsertim tegumentum, quod alicubi ad hæc nostra tempora in usu est. Dextra manu strophiolum tenet, in quatuor extremitatibus cirris instructum, qualia hodieque ex lino facta, in aliquibus *Germaniæ* locis, quod sciamus, sub nuptiarum solemnia futuris convivis distribuere solent. Sic nimirum quod Principibus viris, fœminisque in usu est, paulatim ad plebeios migrare solet. R. P. LEQUILEUS *mulierem admirandæ pulchritudinis* vocat, ac anno 1566. die vero XVII. *Ianuarii* natam, nuptiasque *Oeniponte* anno MDLXXXII. mense *Maio* magna cum pompa celebratas fuisse, perscribit: cum antea *Mantuæ* apud *Clarissas* educata fuisset. Aliter diem eius natalem computat ROMERUS, a) illum ad XVII. *Kalendas Februarias* anni MDLXV. retrahendo: qua in re priori accedere mallemus; utpote vitam ANNÆ, a Fr. *Iosepho Maria* PARCHI, qui ei a sacris confessionibus erat, descriptam, alleganti.

Fit Sanctimonialis Ord. Servitarum B. V. Mariæ: N. 2.

II. Eadem ANNA CATHARINA tanquam Sanctimonialis Ordinis *Servitarum* B. V. MARIÆ, quem post viri obitum assumpsit. Nimirum, ut laudatus ROMERUS auctor est, *Servitis* claustralibus, & sororibus regularibus domum *Oeniponte* ædificavit, nec non & Patribus *Servitis*, cuius ultimæ rei fidem facit tabula ærea, cui hæc verba, ab eodem ROMERO allata, inscripta fuerunt:

SOROR ANNA IULIANA TERTII ORDINIS SERVARUM BEATISSIMÆ VIRGINIS, ANNA CATHARINA IN SÆCULO CUM ESSET APPELLATA, ARCHIDUCISSA AUSTRIÆ, DUCISSA MANTUÆ, ET MONTIS FERRATI, QUONDAM SERENISSIMI FERDINANDI ARCHIDUCIS AUSTRIÆ ETC. COMITIS TYROL. CONIUX, ECCLESIÆ, ET MONASTERII HUIUS FUNDATRIX, FUNDAMENTI PRIMUM LAPIDEM IN DEI, DEI-

a) In Servit. Mar. lib. II. cap. I. p. 37.

Tab. LXXXVI.

QUE MATRIS, ET S. IOSEPHI HONOREM FECIT PONI. ANNO DOMINI MDCXIV. DECIMA SEXTA DIE OCTOBRIS. DEDICATA VERO EST ECCLESIA ANNO MDCXVI. DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Incumbit nempe hisce Patribus, ut tam apud DEO ſacratas Virgines *Servitas clauſtrales*, quàm etiam in Domo regulari, vulgo *Regelhaus*, ubi ipſamet Sereniſſima Princeps unacum filia DEO, & Beatiſſimæ Virgini ſervivit, ſacris præſint.

Ac ſolemnia vota nuncupat. N. 3.

III. ANNÆ IULIANÆ ſchema etiam thecæ HERÆI ſuppeditarunt. Nomen ANNÆ CATHARINÆ, ſueto vota nuncupantium more, in ANNÆ IULIANÆ mutaſſe, mox recitata inſcriptio docuit, factumque id eſſe in memoriam B. IULIANÆ, Ordinis *Servarum* B. V. addit LEQUILEUS. Revera enim, atque publice poſt tirocinii annum expletum, una cum filia vota emiſiſſe, fuſe teſtatur laudatus ROMERUS, hisce conceptis verbis uſam: *Voveo Omnipotenti Deo, ſummo Pontifici, & Patri Reverendiſſimo Generali obedientiam, caſtitatem, & hic loci perſeverantiam.* Res circumſtantes plures affert Scriptor laudatus.

Annæ Imperatricis effigies. N. 4.

IV. Addimus hisce ANNAM, ANNÆ IULIANÆ filiam, ac MATHIÆ Imp. uxorem, cuius etſi imaginem non unam ſupra unacum marito eius exhibuerimus: hic tamen inter matrem, ſororemque moniales haud inepte poni viſum eſt. Ut enim ſæpe memoratus ROMERUS in dedicatione ſui operis ſciſcit: *ſub auro rigente purpura ſacrum religionis habitum occulte deferebat.* Eductum eſt ſchema ex thecis HERÆI, reperiturque etiam apud illuſtriſſ. KHEVENHILLERUM.

Nec non ſororis eius Sanctimonialis, cum elogio. N. 5. a

V. Iisdem ex fontibus hauſtum eſt ſchema ſequens, ANNAM CATHARINAM, præcedentis ſororem, repræſentans, quam unacum matre tertio *Servarum* B. V. Ordini nomen dediſſe, diximus. Breve, ſed illuſtre ei elogium ROMERUS a) tribuit: animam illius omnis omnino doli expertem, atque velle bonum, & malum nolle, præcipuum eius fuiſſe ſtudium. Corpus contra non ſine nævo fuiſſe; quod infantula e baiulæ manibus excidens, ac ſolo afflicta, impediti poſthac eloquii, plures etiam capitis convulſiones ſenſerit. Id quod tamen haud impedierit, quo minus ab *Hiſpaniarum* Rege in matrimonium expetita fuerit. Sed quod ipſa ingenti animo recuſans, nuptias æterni ſponſi multis modis prætulit.

CAPUT III.

LEOPOLDUS V. CAROLI GRÆCENSIS FILIUS.

§. I.

Protome LEOPOLDI in habitu eccleſiaſtico,

Extincta cum FERDINANDO vix exorta ſtirpe *Auſtriaco-Tyrolenſi*, illius ex fratre nepos, LEOPOLDUS V. CAROLI *Græcenſis* filius, ſucceſſit, novam orſus, ac Comitatum *Tyrolen-*

a) Loc. cit. cap. XXV. p. 256.

rolenſem, una cum ceteris Anterioris *Auſtriæ* provinciis, communi primum *Archiducum* nomine, deinde vero duas ſaltem partes iure auctoritatis tenens. a) In habitu Eccleſiaſtico quotidiano hic ſiſtitur cum pallio, nec ætate admodum progreſſus: comam etiam aluit, eamque in vertice frontis diſcriminavit, ſecus, ac ab aliis, & ante ſua tempora factum fuiſſe, mox ſupra vidimus: quanquam duæ ſequentes imagines, quoad capillorum diſcrimen, nonnihil varient. Depromptum eſt ſchema ex thecis HERÆI, & apud illuſtr. KHEVENHILLERUM etiam reperitur.

TAB. LXXXVII. N. I. a

II. Non multum abſimilis eſt protome altera, LEOPOLDUM ætate aliquantulum maiorem exhibens, auctore *Wolfgango* KILIAN, qui & honorum titulos adſcripſit: *Reverendiſſimus, ac Sereniſſimus Princeps, & Dom.* LEOPOLDUS, *Archidux Auſtriæ Epiſcop. Argent. & Paſſav. Dux Burg. Com. Tyr. Landgrav. Alſat. Com. Hasbburg. Archiducum Auſtr. Gubern. plenarius.* Quo de ultimo titulo egimus in *Nummotheca Auſtriaca.* b) Addidit KILIANUS ſymbolum eius, cum lemmate: PIETAS AD OMNIA VTILIS, a nobis alibi expoſitum, c) nec non & ſequens hexaſtichon:

Cumque honorum titulis. N. 2. b c

AUSTRIACIS RADIARE VIDES QUOT SYMBOLA CAMPIS,
TOT VIRTUTIS OPES, ET PIETATIS HABENT.
HIS IUNGENS SACRO LEOPOLDVS HONORE TIARAM,
ARGENTINUM, TUAM, PASSAVIUMQUE TUAM.
HINC TERRIS GEMINATUS HONOR, GEMINATAQUE COELO
PROEMIA DEBENTUR PRÆSULI, ET ARCHIDUCI.

III. OENIPONTE in horto palatino e metallo admodum ſcite conflata ſtat equeſtris ſtatua LEOPOLDI. Eius altitudo ab ungula iumenti ad verticem Principis ad perpendiculum eſt novem, ac ſemis pedum. Ipſum iumentum pedibus tantum poſterioribus inſiſtit ſuper tabulam pariter æream, pedem, & novem pollices longam, ac pedem, & octo pollices latam, & baſi ſaxea, octo pedes alta, ita ſuſtentatam, ut ſolo corporis æquilibrio ſuſtineatur. Factum tamen eſt, ut nobiles aliquando adoleſcentes, in dorſum equi crebro inſilientes, timorem incuſſerint, ut ne æquilibritas vitium acceperit; quare ſuſtentaculo ſub pede poſteriori dextro opus fuit. Ipſe Princeps, eorum temporum more, armatus exhibetur, dextra parazonium tenens; quippe qui aliquoties exercitus non infeliciter duxit.

Statua LEOPOLDI equeſtris *Oenipontana*: N. 3.

IV. Sic enim litteræ RR. PP. S. I. *Paſſavienſium* d) de fundatore ſuo: „Fuit, dum viveret, pace, ac bello clarus, militum amor, quem virtutibus ſuis, bellicaque laude conciliaverat. Eſt in prædicatione multarum illius memoria, quod & ſupellectilem ſuam argenteam, cum ſtipendium bello deeſſet, in fruſta comminutam, militibus diſtribuerit: quod electus a *Bohemis* in Regem, FERDINANDO fratri, ut natu maiori, ius ceſſerit: quod *Viennam*, ab hoſtibus domi,

Adiecto elogio. d

a) Vid. Nummothec. *Auſtr.* P. II. p. 156.
b) Ibid. p. 161. ſeq. §. XII.
c) Ibid. p. 157. §. I.
d) Ap. R. P. HANSIZIUM *Germ. Sacr.* tom. I. pag. 701.

mi, forisque tentatam conſervaverit: quod hoſtium maximas copias *Bohemorum*, *Hungarorum*, & *Tranſilvanorum* ad pontes *Viennenſes* præſentia ſua fugaverit; quod *Paſſavienſis*, atque *Argentoratenſis* Epiſcopus renuntiatus, noſtrum hoc collegium ex hereditate ſua fundaverit. - - - Hic, inquam, tantus Princeps, Hæreticorum terror, Catholicorum amor, Societatis noſtræ Pater, & Tutor, gravi catarrho ex venatu affectus, *intra dies decem* nobis ereptus eſt, vita immortali digniſſimus. „ Hucusque illi, in eo, ut videtur, non ſatis accurrati: quod eum a *Bohemis* aliquando electum Regem aſſerant; quando ea de re conſilia tantum, quamvis ſtrenua, agitata fuiſſe, legimus: electionem tamen aliquando ſecutam, aut ſuſceptam fuiſſe, haud legimus.

Icon Leopoldi, Tab. LXXXVIII. N. 1. à

V. Primum huius tabulæ ſchema LEOPOLDUM, denuo armatum, cum faſcia militari, ac rugoſo colli tegumento exhibet; iam non ſcilicet Epiſcopum, ſed dignum Archiducis nomine Principem. Ordinis *aurei velleris* teſſera indicium præbet, effigiem non ante annum 1628. prodiiſſe; utpote quo eodem anno primum honoratum fuiſſe, alibi a) obſervavimus. Addidit editor nomen ſuum, at per ſiglas A. S. quas aliis exponendas relinquimus: niſi forte *Ægidius* SADELER interpretandæ ſint.

Eiusque corporis ſpecies.

VI. Ex hac porro, ceterisque, quas proferimus, ſimulacris, haud obſcure iudicamus, LEOPOLDO non minorem formæ præſtantiam fuiſſe, quam indolis: priori etiam vitæ tempore, ac maxime cum cœlibem adhuc vitam in ſtatu Eccleſiaſtico duceret, ore pleniori fuiſſe, quam poſtea, eædem innuere videntur. Capillos præterea canos expreſſerunt chalcographi: & oculorum aliquando fluxu laboraſſe, ex LEQUILEO diſcimus; ſic enim ille: „Anno 1632. intentus venationi (ait) ad locum quemdam, quatuor milliaribus abhinc (id eſt *Oeniponte*) diſtantem, ubi aer parum ſaluber, oculorum fluxio, *quam aliquando patiebatur*, excitata, eius lumina, & maxime dextrum, inflammavit. In urbe enim SCHWAZII, parum longe ab eodem lacu, acceſſit febris vehemens, cuius malignitas intra paucos dies nobilem eius animam, Sacramentis Eccleſiaſticis bene armatam, ſeparavit, 17. *Septemb.* in templo Societatis IESU ſepultus. Vixit annos 46. ditiones gubernavit annos 6. regimen reliquit coniugi, ex qua genuit proles.„ Hucusque LEQUILEUS, ubi obiter monendus Lector, nos inter vocem *ſeparavit*, & numerum 17. virgulam interpoſuiſſe; quando certum eſt, epocham ad diem ſepulturæ potius, quam obitus eius pertinere, qui die tertio decimo eiusdem menſis accidit. Sed hac de re tomo IV. ubi de ſepulturis.

Aliæ duæ protome eius. N. 2. 3.

VII. Ex duabus ſequentibus imaginibus alteram *Lucas* KILIAN Sereniſſimo Archiduci anno 1629. adeoque ætatis eius, quæ a nono *Octobris* 1586. orditur, tertio, & quadrageſimo obtulit, his verbis:

a) Nummothec. *Auſtr.* P. II. p. 159.

bis: SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DN. LEOPOLDO ARCHIDUCI ETC. HVMILIME DICAT, ET CONSECRAT LUCAS KILIANUS. MDCXXIX. adiecto tetrasticho:

Tab. LXXXVIII.

> Cæsareus sanguis, mens Regia, plurima spondent,
> Plura tamen virtus insita, plura DEUS.
> En poene insculpta est mediæ Prudentia fronti,
> Si tanta est frontis, quanta ea mentis erit?

Porro gladio succinctus, manu tamen sinistra librum tenet; quo procul dubio ad litterarum amorem, studiumque tuendæ, propagandæque orthodoxæ religionis respicitur. Ita enim laudatus HANSITIUS, a) cum epistolam quandam, in qua noster *gemma, seu margaritha piorum Principum* audit, excitasset, ex vero subiicit: recte de hoc Principe dici, *eum & calamo, & ære, & gladio, & insatiabili studio, maximeque exemplo, de pietate, & religione quam optime meritum:* laudat & alio loco hanc eius parœniam: *in caussa Dei nullum incommodum, ne regnorum quidem, aut vitæ extimescendam esse iacturam.* Quod quamvis a politicorum placitis abhorreat, quantum tamen prudentiæ contineat, ibidem non segniter expendit Auctor. *Petrus* de IODE fecit, adscriptis honorum titulis, cuique satis conspicuis.

a

VIII. Sequitur CLAUDIA, ut titulus imaginis præfert, AB ETRVRIA, FERDINANDI I. MAG.*ni* D.*ucis* ETR.*uriæ* F.*ilia* FRIDERICI VRB:*inatis* CON:*iux* DEMVM LEOPOLDI ARCHID.*ucis* AVST.*riæ* VXOR. Sculpsit *Adrianus* HALUECH, adiiciens notas chronologicas 1658. quæ ad editionem imaginis referendæ; quippe quod CLAUDIA ea tempestate in decimum iam annum sepulta esset. Reperitur schema in sæpe laudata collectione *Eugeniana* tom. XIV. in familia *Medicea*.

Claudiæ, eius uxoris protome, ex collectione *Eugeniana*, N. 4.

IX. Alterum schema *Lucas* KILIAN honoribus CLAUDIÆ his verbis consecravit: SERENISSIMÆ PRINCIPI, AC DOMINÆ DN. CLAVDIÆ ARCHIDVCISSÆ AVSTRIÆ ETC. HVMILIME DICAT ET CONSECRAT LVCAS KILIANVS M. DCXXIX. Adiecit & tetrastichon:

Et *Luca* Kilian. N. 5.

> Stat foecunda abies, rapidis interrita ventis,
> Laurus in æterno frontis honore viret.
> CLAUDIA quid te abies iuvat, et quid pendula laurus,
> An quia sunt animi conscia signa tui?

Adluditur ad symbolum eius, quod, cum scheda nostra discissa sit, indicare modo nequimus. Simile schema dedit quoque illustr. KHEVENHILLERUS.

CAPUT IV.

LEOPOLDI V. A. A. PROLES.

§. I.

Primo partu CLAUDIA *Medicea* MARIAM LEONORAM XII. *Februarii* anni 1627. media hora decima antemeridiana edidit, b) testante GANSIO, baptizante illam, ut ex litteris qui-

Isabell. Claræ, Ducissæ *Mantuæ*, effigies: b

a) Loc. cit. p. 700.

b) GANS. in *Gynæceo* lib. XVI. cap. I.

TAB. LXXXIX. N. 1. quibusdam monasterii *Stirpinensis*, seu *Stamsensis* didicimus, eiusdem loci Abbate, ac nomine Imperatricis levante ELISABETHA, Ducissa *Bavariæ*: sed post annos duos die VI. *Augusti* e vita abeuntis effigiem nemo a nobis exspectet. Quare CLARAM ISABELLAM, ut eam laudatus GANSIUS, seu ISABELLAM CLARAM, ut alii vocant, duntaxat damus, ex thecis HERÆI depromptam, & apud illustriss. KHEVENHILLERUM reperiundam, cuius habitus sane singularis est; quodque capite vittata sit, viduitatis signum videtur, ad quem statum anno 1665. die XIV. *Augusti*, per mortem mariti, CAROLI III. Ducis *Mantuæ*, redacta fuit. Ipsa nata est 1629. die XII. *Augusti*, nuptiæque incredibili apparatu celebratæ sunt *Mantuæ* anno 1649. teste SCHOENLEBENIO in *Ephemeridibus*.

Eadem in habitu viduitatis. N. 2. II. Alterum schema ISABELLAM CLARAM tanquam viduam, capite nempe velato, ac veste oblonga nigra ostendit: charta, quam manu sinistra tenet sequentem *Italicam* inscriptionem legendam offert: *Alla Serenissima* ISABELLA CLARA *Archiduchessa d' Austria.* Visebatur olim tabula, coloribus expressa in palatio *Eberstorffiano*.

FERDINANDI CAROLI protome duæ, cum vultus specie. N. 3. 4. III. FERDINANDI CAROLI adhuc iuvenis effigiem, annum ætatis XVII. ut subscriptus titulus docet, agentis, *Petrus* de IODE edidit, inoperto capite, crinibusque promissis, patagio item humeris tenus, pro more eius temporis formato. Reperitur eadem fere effigies, cum simili inscriptione, & vultu dextrorsum converso, in *Theatro Europæo*. a) Alteram eius protomen, sed maiori forma P. AUBRY sculpsit, eodem situ, & ornatu, ac in nummis, a nobis suo loco editis, b) comparet. Appositi ab eo versus nobis interciderunt. Principem fuisse exporrecta, & aperta fronte, grandibus oculis, ac intumescentibus pro more labiis, icones docent.

Nec non & ANNÆ *Mediceæ*, N. 5. IV. Protome uxoris illius ANNÆ *Mediceæ*, COSMI II. avunculi sui, filiæ, ex tomo XIV. Collectionis Serenissimi Principis EUGENII desumpta fuit. Subiecta inscriptio omnium oculis sat perspicua est: legitur tamen FERDINDI pro FERDINANDI, proclivi, aut pictoris, aut chalcographi errore. Pulchre omnino compta est, & manu dextra rosam tenet, ex pictoris, ut videtur, arbitrio: nisi forte ex iis sit, quibus Summi Pontifices Principes donare solent. Similem fere imaginem dedit illustr. KHEVENHILLERUS.

Eius sponsæ. N. 6. V. Eiusdem ANNÆ, in pedes erectæ, imago, ad nativam oris speciem in tabula expressa, palatium quondam Archiducale *Bellofontanum* exornabat. Vestis ex panno argenteo, tæniis aureis vermiculato, constat. Cæsaries arte, ut videtur, calamistrata, ab occipite quasi in palmæ ramum contorta est: patagium album tæniis, pro eorum temporum more marginatur. Videtur imago sub nuptiarum tempora, quæ in annum 1646. incidunt, *Vindobonam* missa. De iis auctor *Theatri Europæi* c) testatur: sponsam comitantibus LEOPOLDO fratre, & Duce de *Salviani* die X. *Iunii* eiusdem anni

a) Part. V. ad an. 1646. p. 870. col. 1. num. XXVI. XXVII.
b) Nummoth. *Austr.* Vol. II. tab. XXIII. c) Loc. cit. col. 2.

ni *Oeniponte* advenisse, ac ab Episcopo *Chiemensi* præsentibus *Cæsareo*, *Hispanico*, *Bavarico*que legatis, solemni precatione coniunctam fuisse, omissis maximam partem, ob recentem Imperatricis obitum, publicæ lætitiæ signis. Illustr. KHEVENHILLERUS similia fere habet a) sed, cum sponsam FERDINANDO CAROLO primo & tricesimo *Maii* iunctam fuisse perscribit, haud difficulter de sponsalibus præviis intelligendus est. Enimvero decimum diem *Iunii* etiam LAMBECIUS assignat. b) Quin, ut videmus, ipsemet illustrissimus Comes alibi, id est p. 117. *m.* cum citato LAMBECIO & *Theatro Europæo* apprime respondet.

a

b

VI. FERDINANDO CAROLO in flore ætatis sine prole mascula extincto frater eius, sacris ante destinatus, SIGISMUNDUS FRANCISCUS successit, cuius hic simulacrum, in palatio *Eberſdorffiano* olim asservatum, proferimus. Veste serica oblonga nigri coloris Ecclesiastico more indutus, dextra pectori admota, sinistra librum tenet: caput porro nonnihil attonsum, & discoopertum est, supraque pectus crux sacra conspicitur, Prælatorum Ecclesiasticorum insigne. Admodum iuvenis adumbratus est; quippe qui statui Ecclesiastico in prima ætate destinatus, Episcopatum *Brixinensem* iam an. 1644. atque adeo ætatis decimo quarto, postque biennium, *Augustanum* obtinuit. Maior ætate exhibetur in schemate altero, quod ex thecis HERÆI eductum, apud illustr. Comit. KHEVENHILLERUM reperiundum quoque est.

SIGISMUNDUS FRANC. statui Ecclesiastico mature addictus, TAB. XC. N. 1. 2.

VII. In Ecclesia cathedrali *Aug. Vindel.* inter ceteras Episcoporum eius diœcesis icones, etiam effigies SIGISMUNDI nostri habetur, adposita, præter scutum *Austriacum*, inscriptione *Germanica*, *Latine* sic sonante: SIGISMUNDUS FRANCISCUS ARCHIDUX AUSTRIÆ, ELECTUS 1646. SEDIT ANNIS XIX. In altero schemate, quod, ut ex apposito titulo colligitur, auctorem *Italum* habet, idem SIGISMUNDUS, depositis insigniis *Ecclesiasticis*, armatus comparet; quippe quod Augustissimam stirpem *Austriacam*, paucis tum personis constantem, abdicatis beneficiis, animum ad contrahendum matrimonium advertens, MARIAM HEDWIGEM AUGUSTAM, CHRISTIANI AUGUSTI, Comitis *Palatini* in *Sulzbach*, filiam, ducere secum statuerit: sed qui in ipso nuptiarum apparatu e vita excessit. Illius iconem hic numero 5. damus, ex tabula, palatium olim *Bellofontanum* exornante, exceptam. Vestis illius lætiori colore rubro infecta, tæniis argenteis segmentata est. Occiput, & verticem inter compositum ex floribus sertum eminet, tanquam virginitatis, integritatisque signum: iuncta tamen deinceps est IULIO FRANCISCO, Duci *Saxo-Lauenburgensi*.

Quamdiu perseveraverit? N. 3. 4. 5.

VIII. Ultimum in hac tabula locum MARIA LEOPOLDINA occupat LEOPOLDI V. filia tertia, ac FERDINANDI III. Imp. Aug. uxor secunda. Auctor schematis nomen suum non nisi siglis G. L. expressit. Similis typus reperitur quoque inter imagines, ab illustr. KHEVENHILLERO productas. De ea dicendi locus recurret infra, cum de dicto Imperatore agendum erit. PINA-

MARIA LEOPOLDINA. N. 6.

a) In sæpe cit. collectione imag. p. 116. c. b) Biblioth. Cæs. lib. II. cap. VIII. p. 924.

PINACOTHECÆ AUSTRIACÆ
LIBER V.
COMPLECTENS
LINEAM HABSBURGO - AUSTRIACAM, SATORE CAROLO GRÆCENSI PROPAGATAM.

CAPUT I.
ICONES, ET STATUÆ CAROLI II. ARCHIDUCIS, ITEMQUE MARIÆ, UXORIS EIUS.

§. I.

Caroli *Styrensis* icon, cum corporis, Tab. xli. N. 1.

Devenimus tandem ad Carolum *Græcensem*, Ferdinandi I. Imp. filium, ac Ferdinandi *Tyrolensis* fratrem, qui fœcundissimo iuxta, ac felicissimo cum Maria *Bavara* matrimonio, non lineam *Tyrolensem* restauravit modo, sed & Augustam *Austriacæ* Domus *Vindobonensem* familiam ad hæc usque tempora in posteris propagavit. Eius primam hanc protomen *Petrus* de Iode edidit, adscriptis hisce titulis : Carolus *Archid. Austr. Dux Burgundiæ, Carinthiæ; filius, pater, avus,* Ferdinandi I. II. III. *Imperatorum.* Similem fere effigiem illustr. Khevenhillerus produxit. Supra autem laudatus Rauscherus in citato Mſ. illum hoc modo descripsit : *Princeps variarum virtutum contextu inter primos spectabilis, rerum experientiæ, iustitiæ, moderationis, & clementiæ laude nulli secundus. Fuit mediocri corporis statura, sed ad maiestatem composita; vultus vero gravitatem mansuetudine, & benignitate temperabat.*

Animique effigie. N. 2.

II. Altera protome ex arce *Wildeggiana*, prope cœnobium *San-Crucense* in *Austria* Inferiori, educta est. Memorato Rauschero, corporis, animique habitum Caroli adumbranti, adiungere iuvat Historiæ *Styriæ* auctorem, cui tanto magis deferendum, quanto maiori studio, primi, quin solius, Archiducis res omnes & indagaverit, & indagare etiam facile potuerit: „Virtutis studium (ait a) Carolo Duci tenella adhuc ætate instillatum, ad extremum usque vividum, atque ardens stetit. Pietas in Deum *Austriaco* digna Principe. Non raro se in templum aulicum abdens, solo arbitro cœlo, plures orando horas extraxit, eo animi sensu, quem exundantes in lacrymas oculi non obscure præferrent : sacros ritus, a maioribus acceptos, tanta constantia, tanto ardore coluit, ut admirationi

a) P. III. p. 13.

tioni vel hoſtibus ipſis eſſet. Præcipua poſt DEUM, Divinamque matrem, in D. PETRUM *Apoſtolum* pietate fuit. --- Æqui, rectique tenaciſſimus ita ſeveritatem clementia temperare, ac lenitate noverat, ut hæc una *Auſtriacum* Principem facere, ni reperiſſet, potuerit. Etiam offenſus placari nullo negotio poterat, niſi DEI, religionisque cauſa fortem, atque invictum ſe præbere neceſſe haberet. Equeſtrium ludorum, ceterarumque, quæ Principem deceant, artium peritiſſimus, linguarum gnarus: litterarum, hiſtoriæ præſertim, amans, litteratos impenſe fovit: belli artium tam ſciens, quam pacis amans; conſilio tamen erat, manuque promptus, ubi id ita Reipublicæ commoda expoſcere videbantur. Hæc erant animi ornamenta, nec diſpar corporis habitus: candida frons, morum haud abſimilis: rubentes genæ, labiaque: flaveſcentes crines, ſtatura magno animo par. Cibi, potusque ad rigorem temporans fuit. Gravitas vultus comitate mixta, qua amaretur iuxta a bonis, ac ab improbis timeretur.,, Hucusque ille, a laudato RAUSCHERO in eo diſcrepans: quod ſtatura procerum fuiſſe aſſerat, quem is mediocrem affirmat. Sed poſteriori, quam priori ut fidamus magis, accedamusque, imago depoſcit, ex armamentario *Ambraſiano* ſtatim proferenda, quæ revera, ſi cum ceteris, quæ affert auctor, contendatur, hominem ſtatura plane eximia repræſentari videas.

TAB XCI

III. Extat quoque vultus CAROLI, nec non & uxoris eius, adverſa fronte ex albicante marmore in monaſterio *Seccovienſi* ſuper ſplendidum eius mauſoleum, cuius delineationem in *Taphographia* afferimus.

Illius item, & uxoris vultus ex marmore, N. 3. 4.

IV. Succedunt duæ CAROLI ſtatuæ, quarum prior ex dicto armamentario *Ambraſiano* excepta fuit. Totus quantus cataphractus, ac gladio præcinctus eſt, dextra parazonium efferens, ſiniſtra ad latus compoſita. In capite pileum plumatum gerit. Multus eſt editor in extollendis eius virtutibus, ſed quas verbis laudati hiſtoriæ *Styrenſis* auctoris iam iam complexi ſumus. Alteri parum diſcriminis ineſt, niſi quod præter galerum, quem in capite gerit, cataphractam, operoſe, multisque ornamentis elaboratam, ornatamque, indutus ſit. Multam præterea, ac quantum poteſt maximam, fidem, atque authentiam ineſſe, B. L. ex eo colliget; quod illius auctor, ſeu pictor *Franciſcus* TERTIUS, huic noſtro tertiam magnifici, ac modo rariſſimi ſui operis partem nuncupaverit.

Nec non & ſtatuæ duæ, N. 5. 6.

V. CAROLUM excipit uxor eius MARIA, ALBERTI V. *Bavariæ* Ducis, filia, cuius imaginem ea forma hic proferimus, qua olim in arce *Bellofontana* ad nativam eius ſpeciem expreſſa cernebatur. Veſte obtegitur nigra, aureis inſtructa globulis: manicæ ſubflavæ, atque inciſæ, ea ſunt longitudine, ut fere ad terram uſque defluant. Collum vero pretioſo monili cingitur, caputque egregie ornatur.

Icon MARIÆ uxoris eius: TAB. XCII. N. I.

Cuius nuptiarum epocha firmatur. TAB. XCII. N. 2.

VI. Adiungitur illi protome, ex thecis HERÆI, ac Annalibus *Ferdinandeis* deſumpta, priori non multum abſimilis. Labiorum tumore non minus, ac *Auſtriaco* ſanguine ſati, præditam fuiſſe, apparet, quem ab ANNA matre, FERDINANDI I. Imp. filia, traxiſſe diceres. Illam *ſanctimoniæ exemplar vivum* appellat ſupra laudatus hiſtoriæ *Styriæ* auctor, a) & *cui haud dubie plurimum etiam ſervata per Styriam Religio vera debeat.* Idem matrimonium *Vindobonæ* anno poſt milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimo primo, *Kalendis Septembris* magna pompa peractum fuiſſe, affirmat. Qua in re fortaſſis SCHARDII epitomen b) ſecutus eſt, volentis: illud menſe *Septembri* celebratum, *cum circiter finem* menſis *præcedentis filii Imperatoris* MAXIMILIANI, RUDOLPHUS, *&* ERNESTUS *Archiduces Auſtriæ ex Hiſpaniis ſoſpites reverſi fuiſſent.* Sed errant utrique; haud dubie enim maior fides adhibenda eſt rem oculis uſurpanti, atque data opera deſcribenti, haud paullo ſuperius laudato WIRRICHIO, c) conceptis verbis aſſerenti: ſolemnitatem hanc *Dominica* poſt BARTHOLOMÆI, quæ tum in ſextum & viceſimum *Auguſti* inciderat, factam fuiſſe, & quidem in templo RR. PP. *Auguſtinianorum*, ſacra obeunte Archiepiſcopo *Salisburgenſi*, qui tum *Ioannes Iacobus* KUEN de *Belaſi* fuerat.

Eadem tanquam vidua cum variis pietatis ſignis: N. 3.

VII. Quæ ſubſequitur effigies, olim in arce *Eberſtorffiana* extabat. Siſtitur autem Sereniſſima Domina in ſtatu, habituque viduitatis, cyclade, & ſtola, ex panno nigro concinnatis, amicta. Hæc a ſuperiori ad oram inferiorem tota, inſtar habitus viri Eccleſiaſtici, globulis adſtringitur. A tegmine capitis in frontem peplum defluit: colli tegmen, quod ei in aliis quoque picturis tribuitur, ex illius more temporis rugoſum eſt. Porro ſupra pectus variæ cruces, ac numiſmata obſervantur, quæ inter figura ſuprema characterem T. quaſi crucem tertiatam, quam a S. ANTONIO appellare amant, aut *Tav Apocalypticum* repræſentat. Quid denique numiſmata, quid ad utrumque latus expreſſa crux, quidque oblongum illud a tænia nigra vas pendens ſibi velint, definire in promptu haud eſt: niſi forte a vero propius abſit, eſſe pietatis, & devotionis, qua piiſſima Princeps mirum quantum ardeſcebat, ſigna. Numiſmata certe illa, ſacra, atque ex iis eſſe, quæ non longe ante ea tempora in uſum venerunt, vix eſt, quod dubitemus.

Quæ amplius illuſtrantur.

VIII. Etenim alibi vidimus, ſub ipſum *Belgicorum* tumultuum initium *Gheuſios*, i. e. *mendicos*, ut vocabantur, ſeu *coniuratos*, quatenus huiusmodi nomen, contemptim, ut aſſerebant, illis impactum, efferrent, atque ex novitate plauſum populi explorarent, alios veſte e panno cinerei coloris indutos, alios ligneas lagunculas, ſcutellas, & caliculos, conſuetam mendicantium ſupellectilem, pileis affixiſſe: pleroſque vero nummum, e cera, vel ligno primum exſculptum, ac poſtea ex auro, & argento excuſum bullæ inſtar e collo ſuſpendiſſe, ſic-

a) Loco mox citato.

b) Rer. geſtar. ſub MAXIMILIANO II. tom. IV. p. 2484. Alii etiam, ut v. g. HUBNERUS, annum unum antevertunt.

c) Loc. cit. p. G. 7.

ſicque in publicum proceſſiſſe. In altera parte PHILIPPI II. effigies cum epigraphe Gallica: *Fideles Regi*, in altera vero viſebatur mantica, duarum complexu manuum intercepta, adiecto lemmate: *ad uſque manticam.* Atqui hanc rem numiſmatis ſacris, in hodiernum uſque diem uſitatis, occaſionem, atque originem dediſſe, *Famianus* STRADA a) auctor eſt, cuius quidem verba hic exſcribere, operæ pretium erit: „Unum (inquit) ex hac coniuratione proveniſſe ſub hoc tempus invenio chriſtianæ rei emolumentum, quod in præſentia paucis evolvere, locus admonet. *Hallis*, *Hannoniæ* in oppido, inclytum eſt, multa per *Belgium* fama, cœlitum Reginæ ſimulacrum. Illuc religionis cauſſa profectus *Areſchoti* Dux PHILIPPUS CROIUS, pro ea, quam a maioribus hereditariam habebat, in *Hallenſem* Virginem pietate (nam ſacrum illud ſignum genti *Croiæ* acceptum referunt Annales *Belgii*) eius Divæ imaginem, filium IESU complexu foventis, exprimendam argenteis aliquot numiſmatis curavit: atque illa, ut ſe recenti *Gheuſiorum* factioni opponeret, ipſe, quique cum eo erant Nobiles complures, in galeri ſpiram eleganter inſeruere, ceu ſymbolum & piæ peregrinationis, & Catholicæ Nobilitatis. Cumque *Bruxellis*, ubi primum eo cum ornatu *Areſchotus* apparuit, multi Nobilium ſeu pietate in DEI matrem, ſeu potentiorum imitatione (uti plerumque fit) in cultu veſtium huiusmodi capitis inſignia iam præferrent; gaviſam eo maxime ſtudio Gubernatricem (MARGARITHAM ſcilicet *Parmenſem*) inter alia, quæ ſubinde PIO V. Summo Pontifici ſcribebat, aiunt hanc *Belgarum* pietatem illo præſertim rerum articulo ſummopere commendaſſe: PIUMque, cui perquam grata res accidit, ad augendam *Belgarum* religionem, numiſmata illa rite conſecraſſe: atque (ut Gubernatrici reſpondit) iis, qui ſacros eiusmodi nummos, Cœlitum imaginibus notatos, pie geſtarent, pro Pontificia poteſtate noxarum animæ veniam, impunitatemque largitum fuiſſe. Inde factum memorant, ut aucta per *Belgium* rei veneratione, ac *Belgarum* exemplo, ubique terrarum per Orthodoxorum provincias certatim excepto: ſacrorum ex metallo numiſmatum religio, per eam, quam retuli, occaſionem aut originem duxerit, aut certe ſuam tunc primum celebritatem derivaverit.„ Hucuſque STRADA, provide interferens, numiſmata eiusmodi in pileis aut veſtimentis geſtandi morem eo tempore *aut occaſionem*, aut *celebritatem* ſumpſiſſe; nam eiusmodi imagines ſive æneas, ſive ex alia materia expreſſas, longe ante ea tempora in petaſo MAXIMILIANI I. Imperatoris ſupra tab. XXXVII. num. 5. & 6. obſervavimus, quin & numiſma in bireto CATHARINÆ, Reginæ *Poloniæ* vidimus, quod iam tum, an. 1553. nuptias celebratura, ſecum in *Poloniam* attulit, atque adeo itidem ante eam tempeſtatem. b) Quidquid vero ſit, morem illum ſive noviter introductum, ſive celebriorem redditum, & gratia S. Pontificis auctum, facile imitata eſt vidua Princeps adeo pia, ſacrisque exercitationibus adeo dedita, immerſaque.

TAB. XCII.

R r 3 IX.

a) De bello Belg. lib. V. p. m. 129. ſeqq. b) Pag. 267. §. X.

Adiecto elogio.

IX. Enimvero quantis hæc Princeps tum vivente etiamnum, tum mortuo coniuge, virtutibus præfulserit, verbis vix exprimere poteſt paullo ſupra laudatus hiſtoriæ *Styriæ* parens: „Raræ fuit ſanctimoniæ Princeps (ait) & ſupra fœminam fortis. Pietate adverſum DEUM incenſa, vitam agebat cœleſti, quam humanæ propriorem. Vetuſtorum ſacrorum amor, quam ſibi in intimis ſenſibus inhæreret, non ſemel palam profeſſa eſt: multo ſe quidvis perpeti malle, deſertaque aula, obſitam ſqualiore, ac ærumnis vitam ducere affirmans, quam, quod his adverſaretur, admittere. CAROLUS certe Dux ſervatæ religionis partem bene magnam coniugi huic ſuæ tribuere non dubitavit. In ſe unam ieiuniis, flagellis dura & aſpera: benigna in ceteros omnes fuit. Nulla fere per *Styriam*, *Carnioliam*, *Carinthiam* ædes dicata, quam non manibus ipſa ſuis ornaſſet: munificentiæ eius non pauca ſigna ad *Bavariam*, *Tyrolim*, *Poloniam*, & *Hungariam* quoque pertinuere. Ordinem noſtrum ut amarit; quot, quantisque beneficiis auxerit, nulla dies e poſterorum memoria eximet. Divæ CLARÆ ſacris Virginibus terna, *Mediolani*, *Poſonii*, *Græcii* cœnobia condidit, huic etiam ſe datura, ſi permitteretur. Quod viventi non licuit, morienti iam negare non potuit: nuncupatis rite votis, illarum Virginum ritu, ac veſte, illarumque in æde ſepulta eſt. Tota Principis vita, cum pietas eſſet, non potuit non ſancte mori. Monachii LI. elapſi ſeculi anno *Bavariæ* Duce ALBERTO, huiusce nominis V. atque ANNA *Auſtriaca*, parentibus nata, ſeptem & quinquaginta annos vivendo explevit. Non defuere plura, graviaque indicia mox, ab exceſſu cœlo receptam fuiſſe. Quanquam argumentum huiusce rei nullum certius eſſe poteſt, quam vita Principis optimæ, ſingularisque virtus: digna certe, quæ non *Styriæ* ſolum, ſed omnium gentium Annalibus celebretur. „

INSCRIPTIONES.

Univerſitas *Græcenſis* erga CAROLUM noſtrum grata.

X. CAROLO noſtro, litterarum ſtatori ſummo, grata, ab ipſo fundata Univerſitas *Græcenſis*, hoc aliquando elogium adſcripſit: a)

a

CAROLO ARCHIDUCI AUSTRIÆ
PRINCIPI OPTIMO
PATRI PATRIÆ.
OB REMPUB. BENE. FELICITERQUE
GESTAM.
OB IMPER. EX IUSTITIA
SIMUL ET CLEMENTIA
MIRIFICE TEMPERATUM:
OB CATHOLICAM FIDEM DITIONE TOTA
CONSERVATAM ATQUE AMPLIFICATAM,
OB EANDEM DITIONEM
PROPUGNACULIS EXSTRUCTIS,
CIVITATIBUS CONDITIS,
ALIISQUE OPERIBUS TUM EGREGIE MUNITAM,
TUM MAGNIFICE EXORNATAM:

OB

a) Extat ap. auctorem GRÆCII *Styriæ Metrop.* topographice deſcripti, & edit. in fol. an. 1700. p. 59. ſeq.

OB IMPERII ROMANI FINES ADVERSUS TURCARUM IMPETUS
FRAUDESQUE VIGILANTISSIME CUSTODITOS,
AC FORTISSIME PROPUGNATOS:
OB GRAVISSIMAS IISDEM CLADES INFLICTAS,
ET ALIQUOT INTERDUM MILLIA
PARVA MANU PROFLIGATA:
OB ECCLESIASTICUM ORDINEM
OMNI OPE, AUXILIOQUE
OPPORTUNE ADIUTUM:
OB COLLEGIUM SOCIETATI IESU GRÆCII
STYRIÆ METROPOLI
A FUNDAMENTIS MAGNIFICO OPERE EXCITATUM,
AC LIBERALITER DOTATUM:
OB ACADEMIAM IBIDEM
AD PUBLICAM PROVINCIARUM SUARUM UTILITATEM
MUNIFICENTISSIME CONSTITUTAM:
OB PATERNAM IN SUBDITOS CHARITATEM,
AC PRÆCLARUM
DE OMNIBUS BENE MERENDI STUDIUM
C. A. Q. G.

XI. In eadem urbe *Græcenſi* porta, quæ *ferrea* dicitur, hanc inſcriptionem præfert:

Qui *Græcii* portæ *ferreæ* a

D. O. M. HONOR. a)
D. CAROLO. I. ARCHIDUCE. AUSTRIÆ. DUCE. BURGUNDIÆ.
STIRIÆ. CARINTHIÆ. CARNIOLÆ. ZC. COMITE. TIROLIS. GOR. ZC.
P. P. P. FOEL. REGNANTE. AUXILIANTIBUS. PROVIN-
CIALIBUS. CONSTRUCTUM. ANNO A CHO. NATO
M. D. LXXIIII.

XII. Vix operæ pretium erit, ut inſcriptionem, ſeu rythmos campanæ, ſex, & decem millia librarum appendentis, CAROLI noſtri ſumptibus in turri arcis *Græcenſis*, quam ipſe in rupe præcelſa, urbi proxima, conſtrui curavit, inſcriptos b) afferamus; quippe quod infelici prorſus Minerva effuſi ſint hunc in modum:

Et arcis conditor. b

VOCOR CAMPANA, NUNQUAM PRÆDICENS VANA,
ANNUNTIO FESTA, MORTALIUMQUE FUNESTA.
MARTINUS STILLGER ME FUDIT.
CUM VENIT TEMPESTAS, SENTITUR MEA POTESTAS.
ALIOS AD TEMPLUM VOCO, HOC TAMEN MANEO LOCO.
CAROLUS ARCHIDUX AO. 1587.

XIII. GRÆCII in ara ſummi templi D. ÆGIDIO ſacri, inſignia *Auſtriæ* & *Bavariæ* baſi addita, hac epigraphe illuſtrantur:

MARIA DEO aram dicat.

A dextris

SERENISSIMA PRINCEPS MARIA, ALBERTI DUCIS BAVARIÆ FILIA, CAROLI ARCHIDUCIS AUSTRIÆ, DUCIS STYRIÆ CONIUX, FERDINANDI PRIMI, ET FERDINANDI SECUNDI PROVINCIARUM HÆREDIS, CAROLI I. MAXIMILIANI ERNESTI, LEOPOLDI EPIS. PASSAVIENSIS, ADMINISTRATORIS ARGENTINENS. CAROLI II.

A ſiniſtris

ANNÆ REGINÆ POLONIÆ ET SUECIÆ, MARIÆ CHRISTIERNÆ, CATHARINÆ RENATÆ, ELISABETHÆ, GREGORIÆ MAXIMILIANÆ, ELEONORÆ, MARGARETHÆ REGINÆ HISPAN. MARIÆ MAGDALENÆ, ET CONSTANTIÆ ARCHIDUCUM MATER, PIETATIS ERGO DEO OPTIMO MAXIMO HANC ARAM DICAVIT ANNO M. DC. II.

Ibidem

a) Auctor Topographiæ *Græcenſ.* edit. 1700. in fol. p. 10. legit: D. O. M. A.

b) Leguntur in *Placidi* HERZOG Coſmographia *Franciſcana* P. I. p. 267.

Ibidem ad *cornu Epiſtolæ* tabula viſitur, a *Petro* de BOMIS picta, in qua tamen hodie vix internoſci poſſunt figuræ. Expreſſerat illa effigies CAROLI Archiducis, & MARIÆ uxoris, unacum liberis. Dextra iconem CAROLI cum ſex filiis, ſiniſtra matrem, filiasque novem, ordine naſcendi diſpoſitas, additoque cuivis Divo tutelari, exhibebat, omnes CHRISTI, e cruce pendentis, imaginem adorantes. Supra CHRISTI ſimulacrum hinc inde litteris *Romanis* ſcripta fuit illa Eccleſiæ precatio:

RESPICE, QUÆSUMUS, DOMINE SUPER HANC FAMILIAM TUAM, PRO QUA DOMINUS NOSTER IESUS CHRISTUS NON DUBITAVIT MANIBUS TRADI NOCENTIUM, ET CRUCIS SUBIRE TORMENTUM.

Baſis tabulæ hoc metrum complectitur:

CAROLUS AUSTRIADUM DUX, BOIORUMQUE MARIA,
HAC CUM PROLE TIBI SE, PIE CHRISTE, SACRAT.
TUTA TUIS ALIS REQUIES, ET SANGUINE SPARSO,
HIS NIVE CANDIDIOR CRESCERE VITA POTEST.
IT COELO CUM FRATRE PARENS a) PARS ALTERA MATREM
MOESTAM, ET IUXTA ARAS ILIA PIGNUS HABENT.

Cumque ea coniux collegium S. I. condit.

XIV. Denique mortuo quidem, ſed fundatori, ac vivente etiamnum coniuge, ſequens inſcriptio poſita fuit, lapidi muri Gymnaſii S. I. *Græcii* immiſſo, inciſa:

D.
O. M.
GLORIA
S. M. V.
HONOR.
CAROLUS ARCHIDUX AUSTRIÆ
DUX BURG. STYR. CARINTH. ZC.
COMES TYROL. GORITIÆ ZC.
CUI FEDINANDUS IMPERATOR PATER. CAROLUS V. IMP. PATRUUS CUM MARIA CONIUGE BAVARIÆ DUCE ALBERTI TERTII DUCIS FILIA COLLEGIUM HOC SOCIETATIS IESU ANNO M.D.LXXIII. CONFIRMANTE GREGORIO XIII. PONT. MAX. PUBLICO PROVINCIARUM COMMODO PATERNE EREXIT, DEINDE UNIVERSITATEM, CONFIRMANTIBUS SIXTO V. PONT. M. ET RUDOLPHO II. IMP. SEMPER AUGUSTO ANNO M. D. LXXXVI. PIENTISS. ET SAPIENTISS. FUNDAVIT.
FERDINANDUS ARCHIDUX AUSTRIÆ, DUX BURG. STYR. CARINT. CARNIOL. ZC. COMES TYROL. GORIT. ZC. CAROLI FILIUS, FERDINANDI IMPER. NEPOS CUM MARIA ANNA BAVARIÆ DUCE, GUILIELMI DUCIS FILIA, COLLEGIUM HOC, HANC UNIVERSITATEM STABILIBUS BONIS, CONFIRMANTE CLEMENTE VIII. PONT. M. IN PERPETUUM LIBERALISS. FIRMAVIT, ET UT HOC ACADEMIÆ OPUS SUPERSTET VIVENTIBUS GLORIOSE FILIIS IOANNE CAROLO, FERDINANDO ERNESTO. FRATRIBUS AUTEM SEREN. ARCHID. MAXIMILIANO ERNESTO. LEOPOLDO EPIS. PASSAV. ET ARGENT. CAROLO EPISCOP. WRATISLAVI. SORORIBUS ARCHI. MARGARETHA HISPANIAR. ET IND. REGINA. CONSTANTIA POLONIÆ ET SUECIÆ REGINA. MARIA MAGDALENA MAGNÆ HETRURIÆ DUCE. MARIA CHRISTIERNA ET ELEONORA SACRIS VIRGIN. IMPERANTIBUS PAULO V. PONT. M. RUDOLPHO II. IMP. SEMP. AUG. PHILIPPO III. HISPAN. ET INDIÆ REGE AD COMMUNE REIP. BONUM MUNIFICENTISS. EXÆDIFICAVIT ANNO M. DC. IX.

De

a) Obiit CAROLUS Archid. an. 1590. vid. epitaph. tomo ſequenti producendum.

De huius Universitatis constitutione pluribus agit auctor S. I. in supra laudati *Græcii, Styriæ* metropolis, topographice descripti p. 35. Ceterum, quem auctor, aut editor inscriptionis ALBERTUM Ducem *Bavariæ* eius nominis III. appellat, eundem nos potiori iure *quintum* dicimus; suffragantibus quippe rerum *Boicarum* Scriptoribus.

CAPUT II.

CAROLI GRÆCENSIS LIBERI.

§. I.

MAXIMILIANI ERNESTI breviarium vitæ & icon. TAB. XCII. N. 4. a

MAXIMILIANUS ERNESTUS, CAROLI *Græcensis* filius, ordine nascendi secundus, in hanc lucem *Græcii* an. 1583. die XVII. *Novembris*, media quadrante post horam nonam nocturnam emissus, dieque quinto, & vicesimo eiusdem mensis a CHRISTOPHORO ANDREA, Episcopo *Gurcensi*, levantibus Archiduce ERNESTO, & MARIA MAXIMILIANA *Bavara*, sacro fonte ablutus est. a) Pueritia in addiscendis, comparandisque disciplinis, & virtutibus, viro Principe dignis, transacta, earundemque in bello *Turcico* speciminibus editis, immatura morte e medio sublatus est anno 1616. cum paullo ante inclyti Ordinis *Teutonici* supremus Magister designatus fuisset. Eius protomen hic ex thecis HERÆI proferimus. Similem fere etiam illustriss. KHEVENHILLERUS operi suo inseruit. In subiecta inscriptione duo eius nomina leguntur, quorum primum in baptismate, alterum in sacramentali Confirmatione accepit, teste MENLIO, & supra allegato MS. Nimirum ERNESTUS non minus in hac, quam in priori sacra actione patrini munus obiit, cuius in honorem posterius, ut videtur, nomen assumpsit. Suscepit autem eandem Confirmationem unacum sorore ELEONORA anno 1591. *Dominica in Albis*, seu *Quasi modo geniti*, quæ tum in diem 21. *Aprilis* inciderat, a MARTINO, Episcopo *Seccoviensi*.

CAROLUS *Posthumus* Ordinem *Teutonicum*, eiusque Magisterium quandonam susceperit? TAB. XCII. b c

II. Tertius inter adultos CAROLI *Græcensis* filius, patri cognominis, post eius fata natus, in habitu ecclesiastico cum pallio hic sistitur, ex laudatis thecis HERÆI eductus. In subiecto titulo pro CARN. forte CARIN. seu *Carinthiæ* legendum, quale exemplum etiam vidimus in quodam eius nummo. b) Crucem *Teutonicam*, quam supra pectus gerit, anno 1618. die XXVI. *Decembris* obtinuit. Sic enim fragmentum Msc. *Græcens.* ad eundem annum & diem: CAROLUS *Posthumus insignitur cruce Teutonica Halæ in Tyroli, in præsentia serenissimarum sororum.* Cum contra supra memoratus *Conradus* HESSUS c) diem sextum, & vicesimum mensis proxime præcedentis ponat, ac præterea velit: illum *Magisterii* administrationem, de qua hic mentio fit, anno 1619. die XIV. *Ianuarii*

a) Ita Msc. coævum, a R. P. *Antonio* STEYERERO olim ex Archivo *Græc.* excerptum.

b) Nummothec. *Austr.* Vol. II. p. 173. §. VI. ad tab. XXIII.

c) In succincta Ord. *Teuton.* hist. *Herbipoli.* 1620. edit. fol.

nuarii Mergenthemii ſuſcepiſſe: ſed potior haud dubie fides eſt Archivi *Græcenſis*.

Illius in eum merita. N. 6.

III. Præcedenti fere ſimile eſt ſchema ſequens, ab eodem HERÆO, nec non ſæpiuſcule laudato KHEVENHILLERO mutuatum. Magna fuerunt huius Principis in Ordinem *Teutonicum* merita. Ut qui, teſte eodem HESSO, dynaſtias *Freudenthal*, & *Eulenberg* in *Sileſia*, ſibi proprias, inclyto ordini donavit: & niſi præmatura mors ſpem in ipſa herba ſuffocaſſet, ablatorum olim in *Hiſpania*, & *Luſitania* reſtitutio exſpectari ab eodem poterat; quandoquidem in procinctu erat, ut ultimi regni gubernium Pro-Rege ſuſciperet.

Ac corporis, animique habitus. a

IV. Huius Principis animi, corporisque dotes iam ſemel laudatus HENNELIUS ab HENNENFELD a) his coloribus adumbrat: „ Princeps ille quidem ob ſingularem prudentiam, tum eloquentiæ „ gravitatem, & variarum & rerum, & linguarum uſum, morum „ denique Majeſtatem, cum amabili temperatam pulchritudine, at- „ que etiam doctrina liberaliſſima, poſteritati commendari longe dig- „ niſſimus. „ Et non nullis interiectis: „ A rerum tractatione a- „ nimum ad otium, & recreationem ſubinde revocare ſolitus, non „ venationem ſolum pro deliciis habuit, ſed & magnam ex piſcatu- „ ra voluptatem, more piſcatorum ipſe ocreatus, hauriebat: dola- „ re ad hæc, tomo (torno) polire ligna, aliaque id genus propri- „ is manibus facere, mirum in modum geſtiebat. Muſica denique „ uſque adeo delectabatur, ut eius cauſa quot annis multa talerorum „ millia impendere non dubitaret. „

Ut & ſororis eius ANNÆ. TAB. XCIII. N. 1.

V. Filiarum CAROLI natu maior ANNA, SIGISMUNDI III. *Poloniæ*, & *Sueciæ* Regis uxor, hic exhibetur, prout tam apud illuſtr. KHEVENHILLERUM, quam etiam in thecis HERÆI reperta fuit. Eius tam capitis ornatus, quam & pectoris, prorſus magnificus, ac regius eſt. Vitam eius deſcripſit *Fabianus* QUADRANTINUS S. I. quam *ſpeculum pietatis* non abs re appellavit. Ubi cap. ultimo corporis eius habitum vivis coloribus ita deſcribit: „ Fuit ſtatura bre- „ vi, ſed forma egregia, & liberali: corpore toto perquam gracili, „ facie rotunda, candida, & ſpecioſa, in qua nitor quidam natura- „ lis, rubore miſtus, ac minime fucatus lucebat: exporrecta, & ſe- „ rena fronte: oculis flavis, & gratioſis: aſpectu vivaci, & hilari, „ gravi tamen, atque ad modeſtiam ſemper compoſito: inferiore la- „ bio non nihil prominente, & tumidiore, ut *Auſtriacæ* Domus ſo- „ bolem facile agnoſceres, ſine ulla deformitate tamen, immo cum „ luculenta quadam ſpecie, & maieſtate. Vox ei clara, atque per- „ ſpicua: deformis motus, aut ſtatus nullus: ingenio admodum pru- „ dens, animo virili, & qui noverat vigili ſagacitate occulta quæque „ perquirere: & viſu facilis erat, & dictu affabilis omni. Habitus

„ ei

a) In ſerie Epiſc. *Wratislav.* inter SOMMERSBERGII *Sileſiac. rer.* Script. tom. II. Acceſſionib. genealog. p. 25.

„ ei ſimplex, & minime faſtuoſus, nigrique coloris fere ſemper, etiam in ſummis, maximisque feſtivitatibus. „ Idem QUADRANTINUS etiam animi eius dotes, virtutesque plane ſingulares data opera exponit, ſed quæ ſingula huc transferre longum foret.

Tab. XCIII.

INSCRIPTIONES.

Quæ Sigismundo III. Regi Polon. nubit.

VI. Noſtri tantummodo inſtituti eſt, eas modo inſcriptiones in medium afferre, quæ ſub ingreſſum ANNÆ in urbem *Cracoviam* tres portas honorarias exornabant. In prima igitur, ante ſuburbium erecta, hæc legebantur:

SERENISSIMÆ PRINCIPI ANNÆ AUSTRIACÆ,
REGINÆ POLONIÆ, DIVINIS AUSPICIIS
URBEM INGREDIENTI S. P. Q. C.
SUBIECTIONIS ES OBSERVANTIÆ ERGO
POSUIT.

Subtus vero ſequens carmen:

INGREDERE O FELIX! HÆC REGNA ET MOENIA CRACHI,
ILLUSTRE AUSTRIACI GERMINIS, ANNA, GENUS,
FELIX, QUÆ PACEM POPULIS, ET FOEDERA FIRMA
GENTIBUS APPORTAS, DULCIS AMICITIA.
EUGE SIGISMUNDO VICTORI GRATIA NUBIT,
MONTIBUS IN CELSIS EDITA PANNONIÆ.
QUID? NISI CHARA NOBIS, ET COPIA RERUM
SPERANDA EST, STIRPIS DIGNA PROPAGO SUÆ?

In foro porta ſecunda conſtituta erat, cuius priori facie a dextris inſcriptum legebatur:

DIVAM, NON HOMINEM, REFERENS LECTISSIMA VIRGO,
SIS FELIX, FAUSTO HÆC LIMINA TANGE PEDE.

In medio:

PROGREDERE AUSTRIACAS INTER PULCHERRIMA NYMPHAS,
DELICIÆ SPONSI VIRGO FUTURA TUI

A ſiniſtris:

EXPECTATA VENIS REGALI SEDE, THRONOQUE,
DIGNA HOMINUM PRIDEM, IUDICIOQUE DEI.

Aliter non nihil hæc carmina CHYTRÆUS in Delic. itinerar. refert:

O Divam, haud hominem referens lectiſſima virgo,
Sis felix! fauſto hæc limina tange pede.
Progredere, Auſtriacos inter pulcherrima nympha,
Deliciæ ſponſo virgo futura tuo.
Expectata venis, regali ſede, thoroque,
Digna hominum pridem, iudicioque Deum.

In ſecunda vero facie a dextris:

QUAM VISI FUERANT ANNI EXHAURIRE TRECENTI,
HÆC ITERUM SURGET DESTINA SORTE DOMUS.

Adludit ad WILHELMI Ducis *Auſtriæ* nuptias, ſibi cum HEDWIGE *Polonica* deſtinatas, ſed quibus, ut alibi diximus, fruſtratus eſt.

Tab. XCII.

In medio ſub *Iagellonico*, ſeu *Lithuano* equite:

SURGET, ET HAS ITERUM PLACIDE MODERABITUR ORAS,
IMPERIUMQUE ULTRA PROFERET OCEANUM.

Ad lævam:

HUIC SUPERI HAUD RERUM METAS, HAUD TEMPORA PONENT,
SARMATICA ÆTERNUM REGNA IAGELLO REGAT.

Urbemque *Craçoviam* ſolemni pompa ingreditur. a b

VII. Protulit has inſcriptiones Doctiſſimus KOELERUS, a) nullam de tertiæ portæ inſcriptionibus mentionem faciens. Porro ſolemnis iſte ingreſſus factus eſt die XXVI. *Maii* anni 1592. Nam etſi tam apud eundem KOELERUM, ac præſertim apud illuſtriſſimum KHEVENHILLERUM b) diem XVI. eiusdem menſis legamus: ille tamen ſecundum Calendarium vetus accipiendus eſt, huic vero mendum obrepſit. Certe enim in reliquis ſecundum Calendarium *Gregorianum* computaſſe, inde liquet; quod nuptias ipſas, atque coronationis ceremonias, quas KOELERUS cum primo, & viceſimo *Maii* componit, ad ultimum eiusdem cum biographo Reginæ, P. QUADRANTINO, refert; ut adeo de mendo dubitandum haud ſit. Alibi, id eſt, tom. I. Imaginum p. 120. ſimili errore diem XXVIII. *Maii* ponit. Sed hæc levia, nec tamen negligenda.

Maria Christierna Sigismundo Bathorio nubit. N. 3. c

VIII. CAROLI filiam alteram *Dominicus* CUSTOS *Auguſtæ Vind.* ære expreſſit, hoc adiecto titulo: MARIA CHRISTIERNA, CAROLI ARCHIDUCIS AUSTRIÆ FILIA, SIGISMUNDI TRANSSYLVANIÆ PRINCIPIS UXOR, ÆTATIS SUÆ XXII. ANNO XCVI. De ea ISTHUANFIUS, c) cum duodecim conditiones fœderis, per legatos SIGISMUNDI, *Pragæ* anno 1595. ſub *Ianuarii* menſis finem, cum Cæſare RUDOLPHO II. initi, retuliſſet, ſubiungit: „Hæc omnia „Cæſar approbavit. - - Ipſe BOSCAIUS (BATHORII nimirum lega-„tus) MARIAM CHRISTIERNAM, CAROLI Archiducis, qui Cæ-„ſaris patruus erat, filiam, *ſingulari elegantia, ac forma virginem*, „ac Latinæ linguæ peritam, a vidua matre, MARIA *Bavara*, SI-„GISMUNDO petivit, & ſolenni ritu deſponſavit, quæ ſequenti æ-„ſtate, deducente matre, in *Tranſſilvaniam* conceſſit, nuptiæque „ſolenni pompa *Albæ* peractæ ſunt.„ Nimirum inter conditiones, ſub quibus SIGISMUNDUS BATHORIUS fœdus illud cum Cæſare pepigit, non ultima erat: ut ſibi *Archiduciſſa* aliqua matrimonio iungeretur, quod quidem dicto loco, & tempore, die vero VI. *Auguſti* factum eſt.

Poſt triennium rediens, ac ſubinde ſacrum inſtitutum amplexa, N. 3. d

IX. Sed illud, facto divortio, non diu duravit. Quemadmodum enim ceteris in rebus, ita & in amore erga *præſtantiſſimam*, ut eam vocat ISTHUANFIUS, d) Principem, animi inconſtantia vehementer laborans, eam poſt annos tres ad matrem remiſit, rogans, atque deprecans: ſi qua inter ſe retroactis annis diſſidia extiterint, cu-

a) Delic. Nummar. P. III. pag. 149. nec non & P. AICHER l. c. p. 245. ſed haud integras.

b) Annal. *Ferd.* T. III. col. 979.

c) Hiſt. regni *Hungar.* lib. XXIX. p. m. 410. col. 1.

d) Loc. cit. lib. XXXI. p. 445.

cupere ſe, ut ex utriusque animis tollantur. a) Illa ergo poſt triennium, paratis omnibus, patriam repetens, poſt annos circiter novem, ſeu IV. *Octobris* anni 1607. unacum ſorore ELEONORA ad ſupra laudatum Parthenonem *Halenſem* ſe conferens, ſanctam ibi vitam vixit, b) quarum nobilium virginum conſueto habitu domeſtico hic comparet.

TAB. XCIII. a

b

X. Extat in Bibliotheca Cæſarea codex Mſc. de *Moldavia*, & *Tranſſilvania*, inque illo locus, ubi SIGISMUNDUS BATHORIUS *Tranſſilvaniam* pro *Sileſiacis Ducatibus Opavienſi*, & *Ratiborienſi* commutaturus, primam a Cæſare conditionem talem poſtulat, unde huius Principis illibatam etiam in matrimonio virginitatem haud obſcure intelligas. Verba CARILLII, SIGISMUNDI ad Cæſarem legati, erant hæc: „Prima die, multumque hac de re sereniſſimus (SIGISMUNDUS) cogitans, quomodo melius Auguſtæ familiæ, ac Sereniſſimæ coniugis honori, & propriæ conſcientiæ conſuleret, ad ſtatum Eccleſiaſticum amplectendum induxit, adiecitque animum. Quare ut hoc ſibi liceat, petit Pontificis diſpenſationem, qua *matrimonium ratum duntaxat, & nullo modo conſummatum* dirimatur conſenſu Sereniſſimæ coniugis, Cæſareæ Maieſtatis, & Sereniſſimæ *Græcenſis* (matris ſcilicet CHRISTIERNÆ) quibus quidem omnibus accedentibus, mox paratus eſt, uti & nunc promittit, ſacros Ordines ſuſcipere.„ Enimvero etſi SIGISMUNDUS anno primum inſequenti i. e. 1597. *Tranſſilvaniam* cum coniuge dimiſerit, dubium tamen haud eſt, quin animorum, corporumque illa disiunctio perſeveraverit. Divortium etiam poſtea adeo perfectum erat, ut licet SIGISMUNDUS ex innata animi volubilitate dimidio anni ſpatio, poſtquam *Sileſiam* petiiſſet, nondum exacto, in Principatum ſuum rediens, coniugem ſuam, ſtatim ad ſe vocatam, *conſilii inopem, & auxilii indigam*, ut ait ISTHUANFIUS, c) *blandimentis, promiſſisque ad ſe alliceret*, quin & Legatis Cæſareis perſcriberet, ſe *cum coniuge rediiſſe in gratiam*: d) certum tamen eſt, id alterius potius rei, nempe, ut iis fucum faceret, quam connubialis amoris gratia factum fuiſſe; quippe quod illa habitum viduitatis pridem aſſumptum, ideo haud depoſuerit. Eodem enim teſte, poſtquam maritus in *Sileſiam* ſeceſſit, a Legatis Cæſareis *Albam* deducta fuit, *atris veſtibus, quales viduis geſtare mos eſt, amicta.* e)

Virgo permanens.

c

d

e

XI. Eductum eſt ſchema ex illuſtr. KHEVENHILLERO, nec tamen indicat, quid ſibi deſignatio illa ichnographica, frontiſpicium cuiusdam templi repræſentans, quam manibus tenet, velit. Nobis veroſimile videtur, eſſe templum *Plebaniæ Zeoleos* in *Tranſſilvania*; quod, collata eo integra decimatione, ædificari, ac reſtaurari iuſſit, anno 1598. *die decima ſexta menſis Iunii*, prout teſtatur diploma,

Schema ichnographicum cur teneat?

a) Ibid. p. 452. ad an. 1599.
b) Teſte GANSIO in Gynæc. lib. XIV. cap. II. p. 397. ſeqq.
c) Loc. cit. p. m. 446. col. 1. ad an. 1598.
d) Ibid. col. 2.
e) Ibid. pag. 443.

bris anni 1608. coniuncta fuiſſet. Nuptias illas fuſe deſcribit illuſtriſs. KHEVENHILLERUS. a) Singulare factum, ad religionem ſpectans, refert CZERWENKA: b) „MARIA MAGDALENA (ait) „Magna Ducifſa *Hetruriæ*, cum *Græcio Florentiam* ſponſa deduce„retur, anno 1608. *Labacum* tranſiit, ibique Archiconfraternitati „Corporis CHRISTI nomen dedit; quia devotiſſima ſemper fuit „SS. SACRAMENTO. Quin altero mox anno ad Epiſcopum *La*„*bacenſem*, THOMAM literas, & ſacrum munus transmiſit, gravem „pondere, & magni pretii *Monſtrantiam*, in Theophoriæ proceſſio„nibus uſurpandam, quæ etiamnum in Eccleſiæ cathedralis ſacra„rio aſſervatur.„

INSCRIPTIONES.

Etruriæ Duciſſa.

XVIII. Huc reponimus inſcriptiones duas, a SWEERTIO c) adductas; quas huc pertinere cum ex loco, quem adſcribit, *Florentiæ*, tum vero ex ſubiecta prioris inſcripturæ æra iudicamus. Sic autem loquuntur:

URBEM FELICISS. AUSPICIIS
AD ETRUSCI REGNI PROLEM,
AUGUSTO SANGUINE
PROPAGANDAM, INGREDIENTI:
QUOD FAUSTO CONNUBIO,
SUMMOS EUROPÆ PRINCIPES
ARCTIORI AMORIS NEXU DEVINCIAT,
PROVINCIÆ SECURITATEM,
PRINCIPIBUS FIDUCIAM,
POPULIS HILARITATEM AUGEAT,
FLORENTIA EXULTANS FESTIS
ACCLAMATIONIBUS
OBVIAM EFFUSA,
FORTUNATUM ADVENTUM
LÆTA AC FELICIA OMINA
APPRECATUR. M. D. C. VIII.

Altera ſequenti tetraſticho abſolvitur:

QUÆ TAM PRÆCLARA NASCETUR STIRPE PARENTUM
INCLYTA PROGENIES, DIGNA ATAVISQUE SUIS,
HETRUSCA ATTOLLET QUANTIS SE GLORIA REBUS.
CONIUGIO AUSTRIACÆ MEDICEÆQUE DOMUS.
VIVITE FELICES. NON EST SPES IRRITA. NAMQUE
DIVINÆ CHARITES TALIA VOCE CANUNT.

CAPUT

a) Annal. *Ferd.* tom. VII. col. 5. & 36. ſeqq.
b) Citata p. 491.
c) Select. Orbis Chriſt. delic. p. m. 344.

rore sua CHRISTIERNA in parthenonem *Halensem*, ut diximus, se abdens, ibidem die XXVIII. *Ianuarii* an. 1620. ad cœlestem sponsum, quem unice amabat, emigravit. Memoratu dignum est, quod CZERWENKA a) ex HAUTINO b) refert: illam gravissimo oculorum morbo aliquando affectam, dum pro more summo religionis sensu sacro Missæ sacrificio interesset, & sacrosanctam hostiam, a Sacerdote sublatam, magna cum voluptate adorasset, de repente humorum suffusione lucem sibi mergi sensisse. Tum ipsa: *bonum*, inquit, *factum! felicem me reputo, cui, quod pulcherrimum in orbe sit, ultimum conspicere datum est. Pereant oculi, qui* EVCHARISTIAM *sunt intuiti, vel hoc ipso iam beati sunt.* Addit GANSIUS, c) quod, licet valetudine parum firma plerumque uteretur, animo tamen suapte natura erecto, atque excitato fuerit.

Tab. XCIII. a b c

XV. Sequuntur duæ protome MARGARITHÆ, CAROLI *Styrensis* filiæ septimæ, quarum prior in palatio *Bellofontano* olim erat: alteram thecæ *Heræanæ*, ac sæpe laudata *Khevenhilleriana* collectio suppeditarunt. Leve discrimen inter utramque est, ac ætate adhuc parum progressa hic sistitur, videturque præstanti corporis specie non minus, quam insignium virtutum, quas GANSIUS d) prolixe laudat, ornamentis prædita fuisse.

Margaritha, septima. Tab. XCIV. N. 1. 2. d

XVI. Adiungitur CONSTANTIA, CAROLI *Styrensis* filia octava, ac SIGISMUNDI III. *Poloniæ* Regis, post obitum sororis, uxor secunda, ex iisdem fontibus hausta. Nuptiæ illæ celebratæ sunt *Cracoviæ* XI. *Decembris* anni 1605. Gracilis omnino hic exhibetur, quæ successu temporis gravi, & præpingui corpore facta est, ita, ut hæc pinguedo improvisi obitus caussa non ultima censeatur, ut suo loco dicemus. Illam magnarum virtutum heroinam, & *Austriacæ* plane pietatis, appellat *Adolphus* BRACHELIUS, e) additque CZERWENKA: f) „Præter multa pietatis Evcharisticæ exercitia, & „illud pietatis exercitium CONSTANTIA in *Polonicam* induxit au„lam, ut feria V. maioris hebdomadæ in memoriam cœnæ Domi„nicæ, epulum instrueretur duodecim pauperibus, quibus Rex, & „Regina in persona serviere ad mensam, nemine alio admisso, præ„ter confessarios, & Regium Principem.„

Constantia, octava. N. 3. e f

XVII. Ultimam CAROLI *Styrensis* filiam, MARIAM MAGDALENAM, hæc protome, ex iisdem thecis, ac *Khevenhilleriana* collectione mutuata, tanquam *Magnam Ducissam Hetruriæ* hic sistit. Altera in collectione iconum Serenissimi Principis EUGENII de *Sabaudia* tomo XIV. in familia de *Medices* reperta, etiam apud nos asservatur. In hoc tanquam vidua comparet, quem statum, & habitum anno 1621. per mortem mariti amplexa est: cum ei a XIX. *Octobris*

Maria Magdalena, nona Caroli *Styr.* filia. N. 4. 5.

a) Piet. *Austr.* lib. III. cap. XXI. p. 492.
b) HAUTIN. de Eucharist. lib. II. p. 561.
c) Loc. cit. cap. VI. p. 430.
d) Ibid. cap. VII. p. 436. seqq.
e) Hist. sui temporis lib. IV. p. 252. ad annum 1631.
f) Loc. cit. lib. III. cap. XXI. p. 491.

Ex *Paulo* FURSTENIO, TAB. XCV. N. 4.

IV. Similem præcedenti effigiem *Paulus* FURSTENIUS in ſua *Aquila Auſtriaca* n. 12. protulit. Adiecit tetraſtichon, maiori, quam præcedens, ſi non felicitate, modeſtia ſaltem effuſum:

FERDINANDE POTENS, QUI NUNC GERMANA GUBERNAS
REGNA: TIBI IN BELLO MILITAT AURA POLI.
NULLUM HABEAS HOSTEM: NISI QUEM DEUS ODERIT HOSTEM;
UT REDEAS SEMPER VICTOR AB HOSTE TUO.

M. de FALCKENBERG, & thecis HERÆI. N. 5. 6.

V. Ad nativi oris formam quintam hanc FERDINANDI, a *Martino* a FALCKENBERG expreſſam fuiſſe, ſubiectus imagini docet titulus; qui cum & epocham rei factæ, & locum ſimul adſcripſerit, perſpicuum inde fit; Cæſarem, annum ætatis primum, & quadrageſimum agentem, exhiberi: atque eodem menſe, & loco tabulam pictam fuiſſe, quo in *Romanorum* Regem, ac Imperatorem coronatus fuit. Laureatus, ac pallio indutus eſt in ſchemate altero, ex thecis *Heræanis* educto.

Itemque ſtatuæ duæ pedeſtres, TAB. XCVI. N. 1. 2.

VI. Succedunt ſtatuæ duæ, quarum altera ex niveo marmore FERDINANDI ſimulacrum pro celebritate auctoris eius STRUDELII eleganter refert, Cæſaream Bibliothecam *Vindobonæ* exornans. Altera apud RR. PP. *Capucinos* ibidem in capella Beatiſſimæ MARIÆ Virginis conſpicitur, ſeptem pedes alta, atque ex ligno, auro obducta. Totus porro cataphractus eſt, corona Imperiali tectus, barbatus, criſpo focali, & torque aurei Velleris, nec non pallio ornatus: dextra ſceptrum demittit, ſiniſtra globum Imperii geſtat, gladio bellatorio ad latus compoſito. Cur hæc ſtatua apud RR. PP. *Capucinos* poſita fuerit, intelligere erit ex tomo ſequenti, ubi de origine memorati ſacelli, ſub quo pars ſepulcreti Auguſtorum Principum, agemus.

Et equeſtris una. N. 3.

VII. FERDINANDUM ornamentis Imperialibus amictum I. BRUN *Argentinæ* ſculpſit, ſubiectis imagini titulis:

FERDINANDVS II. D. G. ROM. IMP. SEMP. AVG. GERM. HVNG. BOHEM. DAL. CRO. SCL. &c. REX. ARCHID. AVST. DVX BVRG. ST. CAR. CARN. WIR. SUB. (ſup.) ET INF. SILES. MARCH. ET SUP. ET INF. LVS. COM. HABSP. TYR. ET GÖRZ.

FERDINANDVS *Divus & invictiſſimus Heros*
Romani Imperii CÆSAR, *& orbis Herus,*
Quod DEVS *in cœlo eſt, hoc* FERDINANDVS *in orbe.*
Diviſum Imperium cum Iove Cæſar habet.

Huic imagini ad dextram adpoſuit ſculptor ſymbolum Cæſaris: ad lævam vero aquilam *Imperii* bicipitem cum proſpectu urbis *Argentinenſis*.

Ac tandem protome cum

VIII. Ætate provectior repræſentari videtur in ſchemate ſequenti, ornamentis Cæſareis itidem indutus, ac laureatus. Auctor illius nobis modo incognitus eſt: videmus tamen, a *Dominico* CUSTODE ſimilem

ſimilem fere imaginem, ſed integram, iam anno 1622. editam fuiſſe. De corporis forma biographus eius illuſtriſſimus KHEVENHILLERUS a) teſtatur, fuiſſe ſtatura mediocri, quin immo infra potius, quam ſupra mediocritatem: corpore non nihil concretiori, ingenio ſuapte natura miti, ac facili, quod tamen gravitate, tanto Principe digna, attemperare noviſſet. Non multo aliter iudicat, qui vitam eius non minima cum cura deſcripſit, Hiſtoriæ *Styriæ* auctor: b) „Statura (ait) nec immodica, nec puſilla erat. Exporrecta frons: candidi, facilesque mores, gravitate temperati: totius corporis habitus laborum, quos imperii adminiſtratione graviſſimos habuit, mire patiens. Venationes ad firmandam hac exercitatione valetudinem, muſica, ad ſevocandum a curis animum, non nunquam uſus eſt.„ Sed & extraneum, qui ſua ab aliis ſe accepiſſe teſtatur, audire iuvabit: „Formam corporis (inquit PALATIUS c) dicunt fuiſſe ſanguineam, mediocris ſtaturæ, aſpectu maieſtatis pleno; ut qui in ipſius benigno vultu figebat obtutum, neſcio, quo occulto amoris illicio in eius amorem, & venerationem traheretur. Denique huiusmodi erat, ut nec optare meliorem Principem, nec habere Chriſtianus orbis potuiſſet: & oppido univerſus orbis indoluit (ob eius deceſſum) *Byzantii* etiam permittente AMURATHE, ab Oratoribus Principum parentatum eſt.„

corporis, TAB. XCVI. N. 4.

IX. Tanta nimirum FERDINANDI erat virtus, ut ab inimicis, atque etiam ab hoſtibus fidei non minus, quam ab amicis laudaretur. Qua de re præter toties nobis laudatos Annales *Ferdinandeos* integer extat liber *Guilielmi* LAMORMAINI S. I. quem paullo infra haud ſegniter delibabimus. Modo autem in medium afferre iuvabit, quæ Scriptor non minus verax, quam coævus, *Adolphus* BRACHELIUS d) conſignavit, FERDINANDI elogium compendio ita complexus: „Erat Princeps (ait) omnibus regiis virtutibus ornatiſſimus, ſed pietate, & religione nulli ante ſe Cæſarum ſecundus. Nihil magis in omni vita optaviſſe dicitur, quam ut ſuis in provinciis, ac tum toto Imperio antiquæ religionis verum decus, & cum eo ſtabilem, ac firmam pacem reduceret. Viſus eſt propterea non ſemel ſe ſe, ac totam Auguſtiſſimam Domum in extremum diſcrimen proiicere, quod tamen mira DEI providentia ſemper evaſit. Amicos, & Religioſos præſertim, dilexit tenerrime: inimicis, atque adverſariis ſuis etiam infeſtiſſimis ſæpe gratiam, & veniam obtulit, redeuntesque amantiſſime excepit, & maiore, quam ſi nunquam peccaſſent, benevolentia complexus eſt, adeo, ut vulgo iactaretur: ad magnitudinem amicitiæ Cæſaris præſtare, prius offendiſſe. Hoſtes, quorum in omni vita quamplurimos habuit, eodem plane affectu proſecutus eſt, neque ulli eorum unquam maledixit; ſæpe auditus in familiari colloquio, ſi quis in hoſtem acerbius dixiſſet, reprehendere, & caſtigare imprudentiam cavillantis, & ſermonem alio

Animique effigie.

a) Loc. cit. tom. XII. col. 2378.
b) P. III. p. 44.
c) Aquilæ *Auſtr.* P. II. lib. XLIX. cap. II. p. 220.
d) Hiſt. ſui temporis lib. V. p. 36.

TAB. XCVI.

alio divertere. Munificentia, & clementia in eo tantæ fuerunt, ut quibusdam modum excedere videretur, quorum tamen iudiciis nihil movebatur; ratus, proprium Principis munus esse, quam plurimis benefacere. Laborum atque occupationum omnino patientissimus fuit, sæpe dicere solitus: id se maximum a DEO beneficium accepisse, quod in tanta negotiorum multitudine labores amaret. Venatione ad necessariam corporis exercitationem, musica ad oblectationem animi frequentissime utebatur. Castitatis, & continentiæ cultor præcipuus fuit, cum nulla unquam, etiam Principe fœmina locutus, nisi teste tota aula, aut si res secretum exigeret, ipsa saltem Augusta coniuge in colloquium advocata.„ Hæc singula magis, magisque patebunt ex sequentibus.

Imago CHRISTI e cruce pendentis FERDINANDO propitia, N. 5. a

X. Addimus hisce imaginem CHRISTI Servatoris, cruci suffixi, de qua fama fuit nostris temporibus, id est, an. 1742. cum ei singularis honos in aula *Vindobonensi* iterum haberi cœpit, longe lateque renovata: CHRISTUM ex hac imagine FERDINANDO, angustiis undique presso, fuisse locutum. Nos, ut afferamus quod res est, rem luculentius haud exponi posse iudicamus, quam verbis supra laudati LAMORMAINI: a) „Anno 1619. (inquit) mense *Iunio* HENRICUS MATTHÆUS, Comes *Turrianus*, traiecto *Danubio*, *Boemorum* rebellium exercitum ad *Viennam*, adeoque etiam in suburbiis ipsis collocarat. Conspirantibus cum TURRIANO non paucis, qui in ipsa urbe degebant, gravissimum FERDINANDO periculum imminebat. Hæc inter ad aulam se contulit P. *Bartholomæus* VILLERIUS e Societate IESU, FERDINANDO tunc Regi a sacris confessionibus, petiitque suum Regi adventum a primo Camerario indicari. Is dum conclavis, in quo Rex degebat, ianuam tacitus aperit, mirum plane spectaculum! Regem intuetur, ante CHRISTI, e cruce pendentis, effigiem humi pronum, deiectumque iacere: spectaculo attonitus, P. VILLERIO, quod viderat, aut refert, aut ostendit, iubetque tantisper morari. Sub hæc in regium conclave Pater inducitur. Tum Rex: *Versabar*, inquit, *Pater! in periculis, quæ domi, forisque imminent, recogitandis: volvebam animo hostium in suburbiis conatus, Acatholicorum in civitate molitiones, quas exacte novi. Cum nullum ab hominibus præsens viderem præsidium, ad* DEUM *confugi, quod soleo: deieci me ante crucem, meum Dominum adoravi, his plane verbis illum sum allocutus: Domine* IESU CHRISTE, *generis humani Redemptor, tu, qui corda intueris, nosti, me non meam, sed unicam tuam quærere gloriam. Tamen si tibi gratum est, his angustiis, & hoc hostium conatu me deprimere, pudore suffundere, hominibus contemnendum dare: non recuso, fiat voluntas tua! habes me indignum tuum famulum ad nutum quemque promptum, paratumque. Has preces vix exsolvi, & summa spe plenus fui. Miram animo tranquillitatem fecit* DEUS. *Irritos conatus hostium, ita spero,* DEUS *efficiet.* Hæc suo confessario Rex

a) De virtut. FERDINANDI II. cap. II. p. 9.

Rex FERDINANDUS, quem fiducia non fefellit. Illico enim adfuit, ut alibi retuli, auxilium, quo & vim, & dolos hoſtium DEUS fregit, ac animos bonorum omnium erexit. Scio, private, ac publice dictum a multis: CHRISTUM e cruce pendentem, fuiſſe aliquando cum FERDINANDO locutum, iuſſiſſeque bene de rebus ſperare. Hac ſuper re nihil habeo, quod affirmem, vel negem. Si verum eſt, quod adſtruitur a multis, id, ſicut & plura forte alia, FERDINANDI modeſtia, ac humilitas, quoad potuit, occultavit.,, Hæc ille.

TAB. XCVI.

XI. Integram vero quamdam huius rei picturam in opere æterno illuſtr. KHEVENHILLERUS a) exhibet, ubi ex ore Servatoris ſchedula procedit, inferne humi proſtratum Regem his verbis alloquens: FERDINANDE NON TE DESERAM: at ad annum 1619. quo id factum fuiſſe retulimus, mentionem ea de re nullam facit, ſatis habens, eam in fine operis, verbis LAMORMAINI, germanice redditis, retuliſſe. Quin præterea *Io. Georg.* KIEFFERUS b) pridem obſervavit, vocem illam *non a cruce illa materiali*, ſed aliunde inauditam fuiſſe. Quidquid autem ſit, ſatis ad rei miraculum eſt, ſingularemque Divini Numinis providentiam abunde oſtendit: quod ei interne, & ad cor locutus fuerit Dominus; unde quidem tanta de repente Cæſari conſolatio, animique levamen obvenit. Similis pictura, eaque magnæ authentiæ, recurret mox infra.

Quo pacto ei locuta ſit? a

b

XII. In regia arce *Piſonienſi*, ſeu *Poſonienſi* in *Hungaria*, inter alia notatu digna conſpiciuntur imagines, & emblemata multa, quibus per ſingulas laquearium abſides præcipuæ FERDINANDI noſtri res geſtæ adumbrantur. De ſtructura huius arcis, atque adeo de his ipſis picturis, ſcripto expoſuit vir clar. *Mathias* BELIUS: c) delineationem tamen earum hactenus nemo adgreſſus eſt. Quare cum multi eas tabulas, non modo ob exquiſitam pingendi artem, ſed maxime etiam propter factorum gloriam, virtutumque FERDINANDI ſplendorem, in iisdem pro regnandi exemplo elucentem, publica luce dignas omnino iudicarent; operæ pretium nos facturos cenſuimus, ſi operi huic noſtro, quo maxime ſpectant, inſertas, deſiderantibus tandem offerremus.

Picturæ *Poſonienſes*, res FERDINANDI noſtri exprimentes, c

XIII. Quod ut recte, & utiliter fiat, præmiſſa brevi cuiusque tabulæ deſcriptione, commentariolum ſubiungemus, argumentum rei uberius exponentem. Hunc vero facile ſuppeditabit laudatus LAMORMAINI libellus vulgatus. Qui cum eosdem capitum titulos præferat, quos noſtræ picturæ tanquam lemmata adſcripta gerunt, tanto opus in rem noſtram opportunius convertimus, quanto exinde luculentius eſt, pictorem argumenta ſua, quæ cum argumentis libri egregie prorſus conſpirant, depromſiſſe. Accedit & auctoris fides, rerumque, quas memoriæ poſterorum commendare inſtituit, cognitio; ut qui ipſe in præfatione teſtatur: quod illa-

Ex LAMORMAINO illuſtrandæ:

a) Loc. cit. tom. IX. col. 397. ſeqq. Quæſt. XXXIV. p. 190.
b) Diſſert. de Aug. *Habsburgo-Auſtr.* domo. c) Notit. *Hung.* tom. II. p. 141. ſeq.

illarum *totis triginta, & octo annis Græcii, Viennæ, alibi præsens, neque omnino incurius spectator fuerit.* Suspicari quidem possis, argumenta libelli non minus ad picturam, quam hanc ad libellum exigi potuisse. Quin aliquid simile præcessisse, ex ipsius auctoris verbis, quibus in dedicatione opusculi FERDINANDUM III. Secundi filium, alloquitur, intelligimus. *Videbit, spero, Maiestas Tua*, ait, *non illibenter in charta hac adumbratas interim virtutes illas, quas in tela illa ditissima vitæ parentis Tui vivissimis coloribus intextas, ipsemet cum admiratione, & imitatione spectasti.* At secus se rem habere, cum primis suadet; quod auctor hic de tela quadam ditissima, ac textura loquatur, vitam FERDINANDI exprimente, nostræ autem picturæ in udo expressæ sint. Deinde easdem picturas aliquanto post obitum factas fuisse, dicemus statim; cum contra LAMORMAINI libellus proximo ab obitu FERDINANDI mense (ut ex imprimendi facultate, die 25. *Martii* anno 1638. data, intelligimus) evulgatus fuerit.

Earumque pictor, & ætas.

XIV. Nomen pictoris, etsi lateat, eo tamen haud minus laudis meretur. Usus est enim penicillo felici, & perquam vivido. De tempore, quo perfectæ sint picturæ, haud magis constat. Superstite etiamnum FERDINANDO II. pictas fuisse, non est, quod quis existimet. Ita enim virtutibus, & factis illius blandiuntur, ut a modestia, & pietate eius alienum videatur, sibi vivo tanta passum fuisse suspendi anathemata. Quid? quod postremæ picturæ argumentum funus sit ipsum FERDINANDI: & in tabula num. 16. FERDINANDUS IV. adhuc admodum puer, & LEOPOLDUS, ut videtur, postea *Romanorum* Imperator eius nominis I. occurrunt, qui cum an. 1640. natus sit, manifestum indicium habemus, ætatem picturarum eo tempore non multo inferiorem esse.

Emblema primum: TAB. XCVII. N. I.

XV. Argumenta, seu emblemata sunt duo de viginti, symbola octo, omnia in dictæ arcis contignatione secunda, Regum *Hungariæ*, cum eo adventant, hospitio destinata. Primum, quod a dextris occurrit, conclave oblongum, corporis stipatoribus usui est. Id, ut Clar. BELII verbis utamur, pro laquearis sui longitudine gemina ostendit emblemata. Unum refert colloquium Regis cum PAZMANO, Archiepiscopo *Strigoniensi*, huiusmodi specie: FERDINANDUS sellæ insidens, a dextris *Iustitiam*, supra gradum sedentem, adstantem vero a sinistris, serpentemque dextra, sinistra telescopium tenentem *Prudentiam*, a tergo *Patientiam* ministrantem habet. PAZMANUS contra, Archiepiscopus *Strigoniensis*, & subinde S. R. E. Purpuratus, in sedili, quod occupat, dextra librum apertum exhibet, sinistra vero catellos tres, leonis, canis, & vulpis, tanquam *fortitudinis, vigilantiæ*, ac *providentiæ* symbola complectitur. A sinistra parte bubo sedili insidet, & ad latus adstat, cuius ille avis est, *Pallas*, seu tranquilla potestas, leonem laqueo retinens, & dextra manu baculum gestans, subiecta inscriptione: PRUDENTIA ET GUBERNANDI

DI RATIO. In posticis tapetibus argumentum Biblicum depingitur, Reginam de SABA, ad SALOMONEM adventantem, adumbrans.

Tab. XCVII.

Prudentia, & gubernandi ratio.

XVI. Similem titulum caput operis *Lamormainiani* vicesimum præfert, totidem verbis expressum, nimirum: *prudentia & gubernandi ratio,* quam auctor sequentibus verbis exponit: „In regnorum, Imperiique administratione, curaque populorum, sublimibus, „ac plane Divinis principiis nitebatur. Fucatam, ac subdolam Politicam --- primo loco eliminabat a prudentia. Non posse eos „prudenter agere, qui dolo agunt; quippe DEO & Religione abu„tuntur: desipientis esse, regna, quæ ab uno DEO dantur, artibus „velle firmare, quas DEUS odit. Ergo veræ *prudentiæ*, veræque „*politicæ* fundamentum, honoris Divini tuendi, amplificandique „studium ponebat.„ Quæ verba exemplis illustrat auctor, ut cum Imperatorem v. g. aliquando dicentem inducit: ideo duntaxat placere sibi, FERDINANDUM filium esse in *Romanorum* Regem electum; quod ei *regula regnandi, imperandique esset futura Divini honoris cura, & Catholicæ Religionis propagandæ zelus, subditorum, & patriæ salus.* Et reliqua, ab ipso auctore fusius relata.

Emblema secundum: N. 2.

XVII. In altera area idem Cæsar stans, accedentes ad se *Bohemos*, & fictam obedientiam, hostilemque animum cauda vulpina, quam primus eorum manu tenet, prodentes, venerabili maiestate velut a se repellere convisitur. In medio eorum adstat fœmina, larvam ostendens dextra, læva vero cor ardens, doli, fictitiique amoris ænigma: cum contra pone FERDINANDUM matrona conspicitur, dextra columbam, sinistra cor item flammiferum tenens, atque ingenuitatis, nulloque dolo contaminati amoris symbolum præbens. Summæ ianuæ inscriptum est: SINCERITAS ET ANIMI CANDOR.

Sinceritas & animi candor.

XVIII. Atqui hunc ipsum titulum capiti LAMORMAINUS duodecimo præposuit, argumentum suum his verbis prosecutus: „Hanc vero virtutem nemo in FERDINANDO non prædicavit. Nullus in illo dolus, nulla fraus; in ore, quod in corde, in corde, quod in ore --- Frons, oculi, vultus, incessus, tota corporis habitudo hanc animi sinceritatem præferebant. Artem illam regnandi, quam multorum error in fuco, & fallacia ponit, regnorum exitium vocabat; detegi tandem fraudes, hoc est, subtrahi fulcra, & regna corruere. Sæpe non sine stomacho miratus est, & questus: Principes reperiri, qui dolo velint niti, aliudque verbis præferre, quam animo. Hoc vero nec Christianum esse, nec nobile, multo minus aut Regium, aut Cæsareum.„ Exemplum deinde affert hominis Aulici, FERDINANDUM in fuci, aut fallaciæ suspicionem adducere tentantis, qua re nullo æque, ac eo tempore commotum fuisse, memorat. Addit non nulla de ea sinceritate, ac candore, quo si familiarius notos, quin & summos Principes, a recto tramite declinantes, officii sui admonere solebat, dicens: *esse, suis prodesse, candide agere.* Quo

qui-

quidem candore id effecit, ut nullum unquam admonitione redderet offenſum.

Emblema tertium: TAB. XCVIII. N. 3.

XIX. Procæton excubiis contiguum, & *anti-Camera* vulgo nominatum, in abſide duo continet emblemata. Primum, cuius deſcriptio a Cl. BELIO prætermiſſa eſt, Cæſarem exhibet, menſæ aſſidentem, velut ex charta, quam manu tenet, legentem, chartis aliis ſparſim circumiectis. Apud dextrum latus Cæſaris adeſt *Conſtantia*, dextram, gladio inſtructam, HORATII *Coclitis* inſtar, ſuper ardentem ignem extendens, ſiniſtra autem pro more columnæ innixa. A ſiniſtris fœmina in conſpectum prodit, habitu neglecto, ac brachiis agnellum ſuſtinens *patientiæ*, & *manſuetudinis* emblema. Medio loco ſupra globum alatum *Fortuna* conſiſtit, dextra, vultuque ad FERDINANDUM converſis, ac læva rotam efferens. Porro vir quidam, pallio cum patagio latiore obtectus, ac ante Imperatorem in genua provolutus, epiſtolam reddit, clarigationis nimirum. Pone illum ſtat *Bohemia*, dextra ſcutum, leone, eius regni digmate, inſignitum, iuxta ac coronam protendens, ſiniſtra vero palmam cum capiſtro tenens. Qua figura fortaſſe innuitur, quid rebelles facturi ſint, ſi vincant, aut potius, quid cum iis agendum ſit, ſi vincantur. Supra duas feneſtras inſcribitur lemma in hanc ſententiam: CONSTANTIA IN ADVERSIS ÆQUE AC IN PROSPERIS.

Conſtantia in adverſis, æque ac proſperis.

XX. Quanta conſtantia fortunam adverſantem tulerit FERDINANDUS, fuſe enarrant integra fere duodecim Annalium volumina, ab illuſt. KHEVENHILLERO conſcripta. Exponit præterea auctor noſter capite, quod huic titulo deſtinavit, decimo ſeptimo: „ Quæ eius vitæ pars (ait) moleſtiarum expers fuit? quæ regna ſine adverſariis aut adiit, aut retinuit? quoties a fide Principis provinciæ, & regna excidere? quoties arma aut male adminiſtrata coniecere Cæſarem in anguſtias, aut hoſtium vi retuſa, locum fecere calamitati? Eo non ſemel deventum eſt, ut actum proclamaretur. Hæc omnia conſtanter tulit, nunquam deiectus, ſemper in ſpem erectus meliorum. Inter admiranda numerari etiam debet, quod ſæpe in FERDINANDO Conſiliarii ſuſpexere. Eadem tranquillitate animi, eadem vultus, orisque ſerenitate perſtitiſſe poſt clades auditas, qua ante fruebatur. Sæpe contigit, ut uno menſe plurima eveniſſe adverſa cognoſceret, male pugnatum, factam rebellionem, urbes ab hoſtibus occupatas. Credidimus ſaltem, vulnus vulneri additum effecturum, ut commoveretur. Eadem conſtantia ſecundum, ac tertium excepit vulnus, qua primum. „ Hæc de fortuna FERDINANDI adverſa, qui non minori conſtantia tulit proſperam: ut quando cæſo ad *Pragam* in *Albo Monte* hoſte, recuperataque adeo regni *Bohemiæ* corona, immutato vultu manſiſſe viſus eſt, ſatis habens: publica ſupplicatione gratias agere, ceterum lætitia immodica haud efferri. Sic GUSTAVO ADOLPHO, *Sueciæ* Rege, in pugna *Lucenſi* occumbente, plerisque in gaudia effuſis, hoſtibus inſultare incipientibus, ac debellatum eſſe, inclamantibus, ipſe

ſibi

ſibi ſimillimus, hæc tantum verba dixiſſe auditus eſt: *In humilitate progrediamur, demiſſe rem Deo committamus.* Eodem modo ſe geſſit, cum filius FERDINANDUS, plurimis alia optantibus, augurantibusque, *Ratisbonæ* in *Romanorum* Regem electus eſt. Ut qui in effuſa ceterorum lætitia viſus eſt, moderate lætari, ac nullum in adverſarios, eam electionem impedire conantes, verbum, aut exprobrationem emittere, actisque, genibus ante aram poſitis, DEO gratiis, cetera eius diei vultu immutato, & in quo nemo aliquid inſolentius obſervaret, proſequi.

Tab. XCVIII.

XXI. Altero emblemate FERDINANDUS in habitu domeſtico quotidiano ſiſtitur, ſine petaſo, & ſine collari rugoſo, ad menſam ſedens, dextramque libro aperto, ante ſe iacenti, imponens. A latere dextro menſæ adſtat genius, dextra ſupra clepſamidion alatum extenta, ſiniſtra in calvariam nixus; quo haud dubie ad volubilitatem temporis, celeremque vitæ huius curſum reſpicitur. Unde in imo menſæ tapete huiusmodi ſententia oculis obiicitur: CONTEMPTUS HONORUM ET OPUM. FERDINANDUS etenim fœminam, coronas, in alia menſa expoſitas, globum Imperii, aliasque res pretioſas coram ſe habentem, poſitaque humi ciſta aperta, facculis nummorum, & auro plena, ambitioſam, manu ſiniſtra extenta velut a ſe repellit, & diſcedere iubet. Quare recte monuit Cl. BELIUS, hac pictura doceri imperantes: *quantum anteponenda ſint æterna caducis*, iugique memoria mortis *contemptum honorum, & opum gigni.* Ratio autem, cur idem auctor dictam fœminam pro ELEONORA, Cæſaris coniuge ſecunda, habeat? nobis equidem haud conſtat. Præterquam enim quod in pictura indicium illius nullum appareat: inſolens, & incongruum fuiſſet, ipſam Auguſtam, velut auro & faſtui intentam, adeoque ab Imperatore ſpretam, & reiectam, exhiberi.

Emblema quartum. N. 4.

XXII. Apertius, enucleatiusque exponit hanc picturam de FERDINANDO II. auctor noſter. „ Viſus eſt (ait cap. XIII.) cum FERDINANDI animo DEUS certaſſe. Ille honores contemnere, negligere: hic conferre, aggerare. Memorabile eſt dictum, ex ore illius, poſt coronationem ELEONORÆ, *Pragæ* a ſe ſpectatam, exceptum: *Gloriam omnem Regiam, ac Cæſaream omnino videri ſibi comœdiam*: interfuiſſe, cum Academici iuvenes agerent in ſcena: interfuiſſe iam coniugis, ac filii inaugurationi: unum inter ſcenicos Reges, ac iſtos ſe reperire diſcrimen, nec plura: illos horas aliquot, hos aliquot annos regnare: gloriam re non multum differre, differre aliquid *temporis diuturnitate.* „ Nec minus memoria dignum eſt aliud, quod, cum novos identidem hoſtes exurgere, ſuisque coronis inſidias ſtruere videret, edixit: *Tantine eſt diadema? ego vero, ſi quem* DEUS *meliorem Imperio decrevit præficere, paratus ſum, ſponte ſceptrum manu, diadema capite deponere.* Denique & tertia FERDINANDO digna ſententia eſt, ab ipſo, cum

Contemptus honorum & opum.

Imperii corona auctus, *Francofurto* redux, *Græcium* adveniſſet, prolata: *Se Francofurti coronam Imperii ſuſcepiſſe, non ut ſuam, ſed ut* DEI *gloriam augeret, & commodo publico prodeſſet; quin immo ſe in ſui electionem conſenſurum non fuiſſe, niſi hunc finem præfixum habuiſſet.* Hæc de contemptu honorum: opes porro, aurumque, & quidquid mortales plerique ſuſpiciunt, & ſummo labore quærunt, non modo contempſiſſe viſus eſt, ſed & plane irriſiſſe, non ſemel dicendo: *eodem apud ſe loco eſſe, aurum & lutum*, & niſi bene de Principe, ac republica meritis, in laborum præmium, auro, argentoque ſatisfaciendum foret: ſe vero de metallis ne cogitaturum aliquando.

Emblema quintum: TAB. XCIX. N. 5.

XXIII. Proxima pictura FERDINANDUM præbet menſulæ aſſiſtentem, dextramque ſcripto cuidam admoventem, pone comitantibus duabus gratiis, corollis, & florum faſciculis ornatis. E regione ſtant tres figuræ, quarum prima vetulam, aut viduam certe præbet, pedibus nudis, dextram capiti meditabundam admoventem, ſiniſtram cubito ſupponentem: quaſi quæ in miſeriis, & ſumma rerum inopia verſaretur. Pone hanc ſtat alia fœmina, erectum attollens vultum, dextraque cor tenens, impoſito libramento verſatili, & duabus alis inſtructum, ſiniſtra vero follem demiſſum complectens. Quibus rebus, uti videtur, *ſuperbia, inconſtantia,* & *iactantia* ſignificantur. Hanc excipit figura virilis, habitu viliore, humeros pelle ovina tectus, manibusque ſcriptum quid, libellum ſcilicet ſupplicem, tenens: per pedes porro, in ſpeciem *Mercurii* alatos, vulpes elabitur: qua quidem imagine *aſtutiam*, & mendacium indicari putamus; ut moneantur imperantes: non tantum probæ notæ homines, ſed inſolentes, & fallaces etiam admitti debere, ut omnes copiam loquendi habeant. Huc collimat lemma, pavimento inſcriptum: HUMANITAS ET BENIGNITAS IN OMNES.

Humanitas, & benignitas in omnes.

XXIV. Non abludit caput LAMORMAINI XXII. eundem, ſicut & in ceteris, ut diximus, titulum præſeferens: Hanc vero etiam hoſtes (inquit) ſoliti ſunt in FERDINANDO deprædicare, neminemque illum adiiſſe, qui ab illo digreſſus, a benignitate eum non commendarit. Non fuiſſe neceſſe, molles ad eum captare aditus, faciles aures dediſſe, & hora, qua potuit fieri, venientibus maxime opportuna. Loquentes pluribus perſæpe horis audiviſſe, non modo ſine nauſea, aut tædio, ſed ſereno vultu, ac plane ridente: quin expeditis negotiis, haud raro homines familiarius alloqui, deque rerum ſuarum conditione, filiis, patria interrogare conſueviſſe. Porro ſanus cum eſſet, ſtantem, gladio, aut menſæ non nihil innixum, morbo autem præpeditum ſedendo accedentes audiviſſe, ſæpiusque iuſſiſſe *etiam ei, quem audiebat, ſedem dari, maxime confeſſario, ac ſacerdotibus.* Denique poſt plura alia ita finit: „ Eximia hæc humanitas, morumque facilitas non peperit contemptum Principis apud populos; ſed plane cum amore exiſtimationem auxit. Non enim deiiciebat ille Maieſtatem, cum benignitatem induerat,

erat, temperabat hac illam, ſed non opprimebat. Hinc factum aliquando, ut eos ipſos, quos humanitate ad loquendum invitabat, Maieſtate faceret elingues. Scimus *Tartarorum* Regis legatum, in conſpectu Cæſaris poſitum, obmutuiſſe: interrogatum deinde ab interprete, quei ita hæſiſſet coram ſuaviſſimo Principe? reſpondiſſe, *fulgore ſe fuiſſe victum, quo Cæſaris Maieſtas emicabat.* „

XXV. Ad latera harum picturarum duo ſymbola adiunguntur, illinc caſtrum, ruinis fœdatum, cum lemmate: TEMPUS CUNCTA TERIT: hinc manus e nubibus protenſa, & mixtas nummis ariſtas ſpargens cum titulo: TAM MALIS, QUAM BONIS. Primum illud ad picturam, tabula præcedenti num. 4. allatam, ſpectare putamus; utpote rerum caducitatem, atque adeo etiam earum *contemptum* innuens: ſecundum ad tabulam proxime deſcriptam; benignitatem quippe in omnes, *bonos* nimirum, & *malos* ſignificans.

Adduntur ſymbola duo.

XXVI. In triclinio, ubi Rex, cum adeſt, palam accumbere ſolet, duæ pariter tabulæ viſuntur. Una FERDINANDUM trabea indutum, & ſplendido perizonio ſuccinctum, capite aperto ſub aulæo ſedentem oſtendit. A ſolii parte dextra ſtat figura quædam muliebris hieroglyphica, caput inclinans, pilamque ſiniſtra, dextra vero reticulum luſorium tenens, vanitatem haud dubie rerum mundanarum indicans. Ante ſolium inclinato, quin proſtrato corpore, provolutisque genibus, cernitur vir quidam, pallio amictus cum amplo patagio. Huic ad ſiniſtram Cæſaris ſtans *Cancellarius* formulam iurisiurandi præire cernitur, & *Mareſchallus*, ſive Præfectus aulæ, ſtrictum præferre gladium. Adſunt ſpectatores plurimi circumſtantes, nec non pone *Cancellarium* duo cœleſtes genii, quaſi ad obſequium parati. Additur in imo titulus: HUMILITAS ET SUI IPSIUS CONTEMPTUS. Superne autem duo genii inſcripturam oſtendentes, ex pſalmis petitam, quam mox recitabimus.

Emblema ſextum: TAB C. N. 6.

XXVII. Putat Clar. BELIUS, pictura hac *homagium*, ſeu fidei ſacramentum, a *Bohemis* acceptum, deſignari. At generale eiusmodi actus ſimulacrum exhiberi, caput LAMORMAINI noſtri undecimum evincit, in hanc rem opportune admodum ſic proloquentis: „Quando ſublimi in ſolio ſedente FERDINANDO, poſitis humi ge-„nibus, ſummi Principes, ac Magnates immitti in feuda, & ditio-„nes ſupplices petebant (quod ſæpenumero accidiſſe norunt, qui „FERDINANDUM Imperatorem fuiſſe meminerunt) mirantibus, qui „aderant, & FERDINANDI poteſtatem, dignitatemque extollenti-„bus; ut cui ſupplices eſſent, quos orbis adorat: ipſe ea gloriæ in „ſcena poſitus, apud ſe tacitus hæc ſacræ ſcripturæ verba (ea ipſa „nempe, quæ ſupra picturam legimus) uſurpabat: DOMINE NON „EST EXALTATUM COR MEUM, NEQUE ELATI SUNT OCULI „MEI: NEQUE AMBULAVI IN MAGNIS, NEQUE IN MIRABILI-„BUS SUPER ME: VERMIS SUM, ET NON HOMO, OPPROBRIUM „HOMINUM, ET ABIECTIO PLEBIS. Quod quidem, ſicut & alia

Humilitas, & ſui ipſius contemptus.

Tab. C.

„ animi ſui arcana, cum occaſione coronationis coniugis ſuæ, ac fi-
„ lii, anno 1627. confeſſario *Pragæ* aperuiſſet, illum tamen mo-
„ nuit: rem ut omnino ſecretam haberet. Simili ſui ipſius con-
„ temptu, & ſenſu muniebat ſe, vel cum ſolenni pompa excipie-
„ batur ab urbibus, vel cum Legatos Regum, magnifice miſſos, ipſe
„ excipiebat. „ Adducit auctor ſimilia dicta, & facta alia plura, ſed hæc modo; utpote picturam noſtram luculenter illuſtrantia, novumque, quod diximus, *Piſonienſes* picturas ad LAMORMAINI præſcriptum libelli effictas fuiſſe, argumentum ſuppeditantia, attuliſſe ſatis ſit.

Emblema ſeptimum: N. 7.

XXVIII. Altera triclinii pictura FERDINANDUM præbet veſte domeſtica, ac quotidiana amictum, pluteo aſſidentem, inque commentarios referentem. Latus dextrum illi obdit figura muliebris, nudatis brachiis, litteras relegens. Paullo remotius ex obliquo menſulæ adſtat figura virilis, quæ retruſis pariter manicis, epiſtolas colligendo, & componendo occupatur. Librorum armario ſupraſcriptum eſt: LABOR ET DILIGENTIA. Laudatus ſæpe BELIUS & hanc quoque fœminam pro ELEONORA, coniuge Cæſaris, habet id quod nobis ſecus videtur; quippe quod habitu ancillæ propior ſit, quam Auguſtæ. Si quæratur, quid de figura virili, atque adeo de figuris utriſque ſentiendum? pictori mentem fuiſſe, putamus: hac *laborem*, altera *diligentiam* deſignandi, id quod lemma oppido ſuadet.

Labor, & diligentia.

XXIX. Non deſerit nos in hac etiam parte, nec quoad titulum, nec quoad argumentum, capite ſuo XVIII. LAMORMAINUS.
„ Otium (ait) in nemine unquam mortalium probavit, in ſe omni-
„ no nunquam eſt paſſus. Audivi aulæ Cæſareæ Præfectum, *Leon-*
„ *hardum Hetfridum*, Comitem de MEGGAU, conteſtantem: ſe nun-
„ quam ad Cæſarem intraſſe (intrabat autem ex munere frequentiſ-
„ ſime) quin illum in opere deprehenderit, legentem, ſcribentem,
„ audientem, orantem. Non ſine voluptate commemorabat, ſe a
„ DEO inſigne beneficium accepiſſe, quod labores amet, iiſque de-
„ lectetur: ſæpe a prandio, aut a cœna vix ultra quartam horæ par-
„ tem ſibi indulſit, quam cum coniuge, & liberis ſuavius tranſigeret:
„ illico ut plurimum ſe ſe ad negotia publica, & labores referebat. „ Addit deinde, qua aſſiduitate, ac pertinacia valens, & ſanus conſultationibus adfuerit, dicere ſolitus: *tribus rebus ſibi occupato tempus nunquam viſum longum: Divinis Officiis, conſiliis, venationibus.* Quanta cura libellos ſupplices, ad ſe delatos, quotidie, nonnunquam in ſeram uſque noctem perlegerit, ut nec viribus pene fractus, a laboribus eiusmodi abſtinere voluerit, monentibus reſpondens: *A Deo ſe poſitum in ſolio, ut laboraret, non ut otiaretur: non poſſe Principem valetudini ſuæ parcere, qui publico conſultum velit: malle ſe ſibi deeſſe, quam officio ſuo.* Quin pertinax hoc laboris ſtudium eo uſque protraxit, ut eo ipſo veſpere, qui matutinum obitum præceſſit, libellos plurimos legeret, plura conſtitueret, ſuaque ma-

nu

nu firmaret, non nulla consiliariis expendenda transmitteret: longas ad Regem filium litteras sua manu exararet. Ut adeo si non stans quod Imperatorem decere, aiebat ille, laborans saltem occubuerit.

XXX. Cubiculum subsequens, a sæpe laudato BELIO *Buleuterium* appellatum, cum priori minus amplum sit, uno duntaxat emblemate insignitum cernitur. Id FERDINANDUM refert, ad mensam in pedes erectum, largientemque TILLIO Duci Bellico, sibi adstanti, marsupium, ære turgens, in præmium laboris. Ad dextram proxime adstat *Abundantia* singulis manibus singula *cornua copiæ* tenens, coronis, aliisque rebus pretiosis repleta. Supra caput *Abundantiæ* aquila simplex volitat, quasi rebus aspirans. Ad sinistram proxime TILLIUM prodeunt duo *Iesuitæ*, supraque caput Belliducis lemma inscriptum legitur: LIBERALITAS AC MUNIFICENTIA.

Emblema octavum: TAB. CI. N. 8.

XXXI. Exponit hoc emblema biographus noster cap. XXIV. Superfluum videri posse, affirmans, *liberalitatem*, ac *munificentiam* velle de FERDINANDO contestari: constantem esse opinionem, vix in *Romano* solio aliquem sedisse, beneficentiæ laude cum illo comparandum, & si, quam multa illius liberalitas in homines effudit, recensere vellet, non se magis scribendo excessurum, quam ille non nullis visus sit, excedere donando: lepideque iocatum aliquando: gratiosissimum sibi futurum, si novam, copiosamque auri fodinam in suis terris aperiret DEUS, non sibi ut opes corraderet, sed ut esset præ manibus, quantum illi peterent, & quantum ipse optaret dare. Postremo plura se non addere, ait auctor; eo quod tantam Imperatoris munificentiam non tam demonstrare, quam contra obtrectantium invidiam tueri opus sit, contendentium: *Donatum esse ultra vires, locupletatas Religiosas familias, Clerumque: ditatos milites, ac tribunos, auctos in immensum opibus consiliarios: interim æs alienum non esse dissolutum, creditores fraudatos suo, pauperibus, viduis, pupillis satis non esse factum.* Quæ singula auctor fuse, & solide diluit. Quod porro ad *Iesuitas* attinet, verum quidem est, illos ingentibus beneficiis ab eo auctos fuisse, sed non superfluis: & neque tacendum: illos quoque plurimum pro Catholica religione, cui Cæsar imprimis, ac supra ceteros omnes studebat, laborasse, tantamque munificentiam gratos etiamnum agnoscere. „Quo in Ordinem nostrum (ait auctor historiæ *Styriæ* S. I. Presbyter a) animo „fuerit, prope pudet, dicere; adeo longe & præterita omnia, & „futura merita excessit. *Viennensis*, & *Pragensis Professorum* do„mus: *Viennense* item ad S. ANNÆ, *Leobiense*, *Labacense*, *Cla„genfurtense*, *Goritiense*, *Kutenbergense*, *Litomericense*, ac *Glogovi„ense* Domicilia nostra FERDINANDUM conditorem habent; *Vien„nense*, *Lincense*, *Passaviense*, *Tergestinum*, *Styrense*, *Zagrabiense*, „ac præprimis *Græcense* hoc nostrum collegium, atque Academiam „adeo auxit, ut alter eius conditor, atque parens dici ex vero pos„sit.

Liberalitas, ac munificentia.

a) P. III. pag. 43.

Tab. CI. „ ſit. „ Prolixius hæc refert auctor noſter capite XXV. ubi beneficia FERDINANDI non in Societatem IESU tantum (quanquam in hanc multo potiſſima) ſed etiam in alias Religioſas familias, inque Venerabilem Clerum, perſpicue exponit.

Emblema nonum: N 9.

XXXII. In diverticulo, vulgo *Retirada*, pictura eſt formæ rotundæ, FERDINANDUM medio loco ſiſtens, in ſolio ſedentem, & in genua flectenti cuidam aliquid pecuniæ, ut videtur, impertientem. A dextro latere ſigna pacis exhibentur. Proxime a tergo ſtat Sanctus quidam, ſub dextro brachio librum continens, ſiniſtra vero Servatoris, e cruce pendentis, imaginem. A parte ſiniſtra ſolii *charitas* conſpicitur, ex perſona matris, infantulum blande delinientis, ac iuxta ſe alium puerulum foventis. A tergo autem producuntur provinciæ, quæ a FERDINANDO ſeceſſionem fecerant, ac ſupra ſolium velut ſub tholo, inde remoto, exhibetur Præſul quidam, in genua procumbens, & ad DEUM vota faciens. Pro pedibus denique Imperatoris mulier procumbit, canem catena tenens, calcatæ *invidiæ*, & *vindictæ* ſymbolum. Inſcriptura his verbis abſolvitur: CHARITAS IN PROXIMOS ET INIMICOS.

Charitas in proximos, & inimicos.

XXXIII. Deſtinavit huic titulo auctor noſter caput operis ſui primum, & viceſimum: „Qui cupit ſcire (inquit) qua in proximos charitate flagravit, ſerio recognoſcat labores, ac pericula, quæ „ volens, libensque ſubiit, ut populos ſibi ſubditos ab hæreſi ad veram religionem retraheret. Nemo, non amantiſſimus ſubditorum, „ feciſſet, tuliſſet, quæ ipſe fecit, ac tulit. Sermo erat aliquando „ de ardore, quo provinciarum reformationem urgebat. *Errant*, inquit, *Acatholici, qui me ſibi infenſum putant, hæreſim inhibendo.* „ *Non odi illos, ſed amo; niſi amarem, omni ſolutus cura, ſinerem* „ *eos errare. Teſtis eſt mihi Deus! ſic illos a me diligi, ut meo* „ *etiam capite illorum ſaluti conſultum velim. Si ſcirem, mea morte* „ *illos ab hæreſi poſſe revocari, volens, libensque hac hora carnifici* „ *collum denudarem, & feriendum præberem.* „ Multa deinde de virtutibus aliis, huc pertinentibus, addit auctor, ut de detractionum odio, pietate in defunctos, pro eorumque ſalute ſuffragiis, hoſtium etiam laude, eorumque facili, cum reſipiſcerent, receptione in gratiam, atque adverſus eos clementia, quæ uſque eo proceſſit, ut non defuerint, qui dicerent: *præſtare Auſtriacos lædere, & veniam petere: quam nunquam offendere; meliori loco apud illos eſſe aliquando malos, quam ſemper bonos.*

Sancti, in præcedenti pictura adumbrati, quinam? a

XXXIV. Qui ſint iſti duo viri ſancti, quos deſcripſimus, haud adeo proclive eſt, pronuntiare. Plures quidem patronos ſanctos, quos ſibi adſciverit FERDINANDUS, recenſet LAMORMAINUS, a) nimirum IOANNEM BAPTISTAM, Apoſtolorum Principes PETRUM & PAULUM, ANTONIUM *Patavinum*, AUGUSTINUM, FRANCISCUM, IGNATIUM confeſſorem, & THERESIAM: ſed ex his, niſi S. IGNATIUM,

a) Cap. VIII. quod titulum gerit: *Devotio in Sanctos.*

NATIUM, de quo, eodem teſte, Auguſtæ Imperatrici ſæpe aſſeruit: illi *ſua ſe omnia peculiari cura commiſiſſe: voluiſſe ab illo ſua vota dirigi: per illum Deo exhiberi*, cuiusque cura, & precibus a GREGORIO XV. in Sanctorum numerum relatus fuit, hunc, inquam, niſi ſeligere liceat: ceteris ſane ea figura, quæ pone Imperatorem cum libro, & ſigno crucis obſervatur, minus congruere videtur. Etſi enim hic iuvenem, ac cum multo minori barba, adumbratum videamus, quam alias geſtaſſe, legimus: tribuendum tamen aliquid arbitrio pictoris videtur; cum de cetero titulus picturæ, id eſt, *charitas in proximos*, cui ſe S. IGNATIUS unice conſecravit, illi apprime congruat, nec non & Servatoris imago, ac *liber exercitiorum*, quem præfert. Minor difficultas de figura Epiſcopi videtur, ſuperne quaſi in tholo conſpicua. Hac enim S. NORBERTUM, Archiepiſcopum *Magdeburgenſem*, ideo deſignari, coniicimus; quod illius ſacræ reliquiæ, quoad maior illis haberetur honos, FERDINANDI iuſſu, & opera anno 1627. *Magdeburgo Pragam* in monaſterium *Strahovienſe* translatæ fuerint. a) Ut adeo facile & hunc tanquam patronum, charitate in proximum æque celebrem, ſibi elegerit FERDINANDUS.

XXXV. Conclave regium, angulare, inque urbem obverſum, bifariam diſcriminatum eſt. Exterioris laquear FERDINANDUM refert, menſulæ aſſidentem, intentumque in librum evolutum, & horologium, calvaria mortui conſpicuum. Capiti eiusdem enſis impendet, cui forte DAMOCLIS cum DIONYSIO *Tyranno* hiſtoria occaſionem dederit: & a latere ſiniſtro *Mars* ſcuta, inſignibus provinciarum hereditariarum decorata, coronas item pedibus coram proterit, ac Imperatorem velut enſe petit. A dextris contra *Spes* cum velo, & ancora, ſtella prælucente, apparet: DEO proſpiciente e nubibus. A tergo, ac velut in proſpectu repræſentatur ex hiſtoria ſacra argumentum IOBI, a Satana vexati. Inferne apparet titulus: CONFORMITAS VOLUNTATIS CUM DIVINA.

Emblema decimum: TAB. CII. N. 10.

XXXVI. Quam apte hoc emblema Cæſari noſtro conveniat, probat biographus noſter capite ſexto: Divinam voluntatem cynoſuram ei fuiſſe, in quam unice intentus, res ſuas omnes moderatus ſit, eaque in re eo devenerit, *ut in Divina voluntate, & providentia ſuaviſſime conquieſceret*, auctorque ipſe non ſine admiratione dicentem aliquando audierit: *Iam pridem curæ, moleſtiæque me confeciſſent, ac in ſepulcrum abdidiſſent, niſi me, meaque omnia integra unius Dei providentiæ commiſiſſem, & Iovialem, ac lætam naturam Dei dono nactus eſſem.* Quin & opportune ad illuſtrandam IOBI hiſtoriam, in pictura expreſſam, refert: in crebris, certisque periculis, quæ ipſi, filiis, genti, provinciis, regnis, interitum minabantur, nunquam fuiſſe deiectum animo, nunquam erupiſſe in querelas, unam eam vocem emiſiſſe: *Fiat Dei voluntas!* & quod antiquæ

Conformitas voluntatis cum divina.

a) LAMORMAINI loc. cit. p. 38. Add. *Theatr. Europ.* ad annum 1626. & 27. & ſi lubet KOELERI *Delic. Nummar.* P. IX. p. 321. ſeqq.

TAB. CII.

tiquæ patientiæ exemplar IOB prædicabat: *Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen eius benedictum!* Atque hac ratione etiam suos, si quando eos tristiores conspiceret, solari consuevisse. Addit facta, & dicta alia, eodem redeuntia; quibus probat: FERDINANDUM non in adversis modo, sed & in prosperis non dissimiliter egisse, hancque quotidianam, ipsomet adhucdum Archiduce fatente, illius fuisse precationem: „Domine, si est ad laudem, & „gloriam tuam, & ad salutem meam, ut maior (id est Imperator, „quod tum agebatur) sim, quam sum: exalta me, & ego glorificabo te. Si est ad laudem, decusque tuum, meamque salutem, „ut persistam in gradu, quo sum: conserva me, & ego glorificabo te. Si est ad laudem, & gloriam tuam, & ad meam salutem, ut in humiliori gradu sim: humilia me, & ego glorificabo „te.„

Emblema undecimum. N. 11.

XXXVII. In parte interiori pingitur sacelli species, in quo ad aram panem cœlestem ex manu Antistitis sumit FERDINANDUS. Ad latera hinc quatuor Evangelistarum, illinc totidem purpuratorum, aut, si mavis, S. Ecclesiæ Doctorum, de rebus fidei inter se conferentium, imagines adumbrantur. Laminæ, super impositæ, inscribitur: FIDES ET CATHOLICÆ RELIGIONIS ZELUS, PIA SACRAMENTORUM FREQUENTIA, AC EUCHARISTIÆ CULTUS.

Fides, & Catholicæ religionis zelus.

XXXVIII. Duo operis *Lamormainiani* capita una quasi fidelia hic expressit artifex: primum videlicet, & quartum. Quod ad illud spectat, satis erit, memorasse: illum annos natum non plures viginti, inque ipso suscepti regiminis exordio, *Laureti*, in *agro Picino*, coram Beatissimæ Virginis imagine DEO votum vovisse: se vel cum vitæ discrimine e *Styria*, *Carinthia*, *Carniola*, sectas, sectarumque magistros expulsurum. Annum deinde ætatis tertium supra quadragesimum agentem, *Hungariæ*, ac *Bohemiæ* Regem, Cæsaremque, simili voto, quoad *Bohemiam*, vicinasque eidem regno provincias, sancte, & constanter *Cellis Styriæ* se obligasse. Tandemque octo ante obitum suum annis arctissimo sacramento se devinxisse: se nullis defuturum occasionibus, quibus religionem Catholicam in *Hungaria* protegeret, ac modis mediisque licitis, ac honestis, propagaret, eumque ex Consiliariis ad simile edendum votum invitasse, cuius opera maxime usurus erat; ut scilicet adpromitteret: se omnem diligentiam, atque curam, ex mente, & voluntate Cæsaris eodem collaturum. Quod autem vovit, adeo fideliter reddidit, ut non nulli tuto se affirmare posse existimaverint: „FER„DINANDI zelo, ac opera centies centena millia hominum ad Ec„clesiæ Catholicæ gremium, & caulas esse revocata; illumque ad„eo omni iure posse, ac debere harum provinciarum Apostolum „dici, aut Apostolici Imperatoris cognomento decorari.„ Eodem tendit codicilli *Ferdinandei* fragmentum, ab auctore ultimo loco adductum, quo posteris iniungit, ut populos sibi subditos *commendatos*

mendatos ex corde habeant: eos in nostra vera, Apostolica, Romana, in qua sola salus est, Catholica fide conservent: sectas omnes pravas, & falsas doctrinas, immo, quidquid his aditum, caussam, occasionem aperire posset, serio, omni studio, omni conatu avertant, impediant.

Tab. CII.

XXXIX. Quam deinde crebro, quamque pie, ac religiose SS. Ecclesiæ Sacramenta, ac præsertim Eucharistiam (quod alterum picturæ nostræ argumentum est) frequentarit FERDINANDUS, pluribus exponit auctor noster capite quarto. Quinquagesies ad minimum (ut inter cetera refert) annis singulis, idque solemnibus potissimum festis, animum peccatorum sordibus eluere, & ad sacram Synaxin accedere solebat, idque tanto cum fervore, ut ante noxarum confessionem culpas suas cum intimo doloris sensu recolens, ad sacerdotis pedes non ante accideret, nisi prius ab ELEONORA Augusta, si adfuisset, veniam precatus, si qua illam aut re, aut verbo læsisset. Præmittere solebat cœnam solito restrictiorem, aut, præcipiente Ecclesia, ieiunium, ac ipso die suspiria, lacrymas. Accidit, ut anno 1624. ipso sacro Cœnæ Domini die sacram exomologesin facturus, Divinumque, ut solebat, epulum sumpturus, Confessorem ex falso rumore abesse, audiret: tum vero cor Imperatoris, veriti, ne eo die voto suo frustraretur, adeo inflammatum est, ut illico toto corpore sudore perfundi cœperit. Simili flagrabat zelo, cum quid circa reliqua Sacramenta satagendum fuit. Sacro e fonte cum Procerum, tum famulorum domesticorum levare liberos rogatus, nunquam recusavit; tumque solummodo alium, qui suo nomine sacro munere fungeretur, substituens, cum regnorum curis impeditus, adesse nequibat. Eadem promptitudine pueros, sacri Chrismatis Sacramento confirmandos, Antistiti adducebat: cumque id officii GUILIELMO, *Brandenburgico Marchioni*, aliquando præstaret, tantus in utroque pietatis sensus exarsit, ut neuter a lacrymis temperare sibi potuerit. Plura adiicit auctor de cultu erga SS. Eucharistiam externo, qui, uti ceteris *Austriacis* Principibus peculiaris, ita in FERDINANDO plane eximius erat.

Pia Sacramentorum frequentia ac Eucharistiæ cultus.

XL. Regis cubiculum, habitaculo illius contiguum, icones quatuor exhibet. Prima symbolica est, palmæque arbusculum, cuius verticem lapides premunt, quin viriditati obsit, repræsentat, adiecto lemmate: PREMITUR SED NON OPPRIMITUR. Pertinet imago ad picturam ampliorem, in medio hic positam, historiamque, a nobis supra §. X. relatam, continentem. Sistitur nimirum FERDINANDUS coram Servatoris nostri, e cruce suspensi, imagine in genua provolutus, ac Divinum implorans auxilium, tunica indutus talari, superque altare coram se habens evolutum librum precatorium. In tapetibus posticis depingitur Rex DAVID, gloriam DEI canens. Supra nubes comparet CHRISTUS Dominus, & Beatissima Virgo, ac multitudo cœlitum, FERDINANDUM respicientes, & quasi auxilium ferentes. Clar. BELIUS FERDINANDUM præterea

Emblema duodecimum cum duobus symbolis. Tab. CIII. N. 12.

Tab. CIII.

ut luctabundum cum hostibus repræſentari ait, quod non obſervamus. Sunt potius ordines *Lutherani*, ac cives ſeditioſi, qui eius procæton intrare auſi, inſultare nequaquam verecundati ſunt, de quibus mox plura. Nulla adeſt inſcriptura, fortaſſis ideo; quod LAMORMAINUS factum hoc capite operis ſui ſecundo, quod SPES ET FIDUCIA IN DEUM inſcribitur, referat, cui titulo picturam, mox tabula ſequenti expendendam, deſtinavit artifex. Adiicitur hic ſymbolum, turrim repræſentans, cum gallo gallinaceo, poſt procellas & turbines, colophoni inſidente, tritumque illud accinente: POST NUBILA PHOEBUS. Id vero quam apte cum memorato facto conveniat, inde perſpicuum redditur; quod ſicut animus, a DEO inſpiratus, ut diximus, FERDINANDO præſagiit, auxilium divinum præſens adfuturum, mox SANTELIERIO, quingentis gravis armaturæ equitibus ſtipato, hoſtibus nil tale opinantibus, *Viennam* intrante, atque eorum vim, & dolos ita frangente, ac eludente, ut ſeditioſis territis, TURRIANUS quoque non multo poſt, obſidendæ urbis omiſſo conſilio, fugienti ſimilis *Bohemiam* repetierit. a)

Quod exponitur,

XLI. Harum picturarum, maioris præſertim, explicationem dedimus citato §. X. Nunc ad pleniorem facti intelligentiam, illuſtrandumque, quod pictura amplius continet, adiungere iuvat anecdoton, ex *Ioan. Guilielmi* MANAGETTÆ, Bibliothecarii Cæſarei, collectaneis MSS. eductum, & ab auctore, iis temporibus æquali, qui id *Lincii* ex EGGENBERGIO, S. R. I. Principe, Cæſarei ſanctioris Conſilii Directore, ac Præſide &c. b) viro ſummæ fidei, & auctoritatis, accepiſſe ſe, teſtatur conſcriptum. Eſt autem eiusmodi: „Cum Comes a THURN an. 1619. *Viennam* cum *Bohemorum* exercitu veniſſet, Status *Auſtriæ Viennæ* in domo provinciali convenerunt, ſed Catholici ſeparatim. Evangelici, re ſatis diu conſultata, miſerunt ad Catholicos, qui illis reſignarent communitatem, fœdus, ærarium, congreſſus, iura affinitatis &c. & minabantur iam feneſtras Catholicis, quorum potiſſimum Prælati aliqui exterriti, atque hoc ipſum etiam Regi ſe ſignificaturos dicebant. *Sifridus* PREINER currit ad aulam, & Regi, in conſilio ſedenti, annuntiat. Iuſſus eſt redire, ut diceret Catholicis, ne terrerentur, ſed nihil inciperent, eſſent conſtantes, & rei bene conſulerent. Cum ad curiam venit, iam *Lutherani* in viam ſe ſe dederunt, quos cum interrogaret, quo vellent? reſponderunt, recta ad Regem: ille iterum præcurrit, & Status *Lutheranos* iam in via eſſe, ſignificat. EGGENBERGIUS tunc podagræ doloribus in lecto detentus erat, vocatur ad Cæſarem, excuſat ſe: item citatur, ut, quacunque ratione poſſibile eſſet, veniret: veſtit ſe, & inter veſtiendum amittit, & obliviſcitur dolorum, portatur ad Ante-Cameram, *in quam non ſolum Status, ſed & cives, ac ſartores ingreſſi erant*, inter quos & duo MADELSPERGER. Alloquitur illos, intrat ad Regem, conſultatur, ſuadent aliqui,

a) Vid. KHEVENHILLER. tom. IX. col. 397. ſeqq. Hiſtor. *Styriæ* P. III. p. 27.

b) Vid. eiusd. imagin. tom. II. p. 14.

qui, iam in aula quaſi captos dividendos, & incarcerandos eſſe diviſim, illic tres, hic tres: diſſuadet EGGENBERGIUS, & audiendos eſſe. Auditi ſunt igitur: *Paulo Iacobo* a STAHRENBERG loco omnium perorante. Poſt recedere iuſſi: conſultatur, quid reſpondendum. Petierunt, ut in arcano conſilio media pars *Lutherani*, media pars *Catholici* eſſent, præſes in religione alternaretur; ſic conſequenter in omnibus conſiliis, ac tribunalibus fieret, libertas religionis daretur &c. Hoc ni Rex vellet concedere, parati eſſent, ipſi provinciam adminiſtrare, & de alio Principe ſibi proſpicere. Remiſſi ſunt ad ſaniora conſilia, & ſignificatum: Suæ Maieſtati, & Domui *Auſtriacæ* non deeſſe remedia, quibus reprimeretur ipſorum, & aliorum conatus. Dum illis reſpondetur, auditur tubæ ſonitus; nam quatuor equitum turmæ, quas Don *Lorenzo* de MAESTRO ducebat, per *Rud.* a SAINTHILAIRE *Viennam* adducti ſunt ad aream aulæ, qui profecto Status perturbarunt; ac verebantur iam plerique, ne ſine capite domum mitterentur, uti merebantur. Qui dein ad Catholicam religionem tranſierunt, confeſſi fuerunt: Status ita rem ordinaſſe, ut in oppoſita urbis parte circa S. IACOBUM tumultus fieret: ex altera parte circa *Scotenſem*, & novam, per ſubordinatos portæ aperirentur, Comes de SCHLICK cum ſuo milite intraret, *Regem carceri manciparet, poſt in monaſterium detrudendum.* Intimos Conſiliarios mox capite plectendos, præſertim HARRACHIUM &c. Sed de EGGENBERGIO Comes de THURN cenſuit aliter: eum ſuo Domino ſervire fideliter, illi eſſe parcendum.„

Tab. CIII.

XLII. Hæc etſi longiuſcula, negligenda tamen haud fuerunt; eo quod illuſtriſſimum KHEVENHILLERUM, Scriptorem adeo cordatum, & candidum, ſimilia narrantem, contra inconſultas RAUPACHII a) oblocutiones, obtendentis: res eiusmodi ab hoſtibus *Lutheraniſmi* confictas potius videri, quam veritate niti, egregie vindicent, ac tueantur. Præterea ſi tantis viris, id eſt, EGGENBERGIO, & KHEVENHILLERO, factum, resque circumſtantes tam copioſe, & accurate narrantibus, fides denegatur, neſcimus, quid, & quibus deinceps tuto credi poſſit, ac debeat? RAUPACHII certe ſtudium partium hic manifeſte ſe prodit. Et quis demum ſaniora expectaſſet ab iis, qui legitimo Domino homagium præſtare recuſantes, conſcripto publice milite, urbibus & arcibus occupatis, ſatis oſtenderunt, quid alerent monſtri? ut adeo fruſtra nitantur, qui illorum purgare conantur nefarios auſus. b)

Vindicata illuſtr. KHEVENHILLERI fide. a b

XLIII. Alia pictura, priori magnitudine haud inferior, FERDINANDUM præbet in habitu domeſtico, eccleſiaſtico haud abſimili, apud *Ieſuitam*, ſibi forte a ſacris confeſſionibus, in colloquio aſſidentem. Adiecta ſigna, atque inſcriptio materiam ſermonis ſatis demonſtrant. Coram enim menſæ impoſitum eſt ſignum pendentis

Emblema decimum tertium: Tab. CIV. N. 13.

a) *Evangeliſches Oeſterreich* tom. I. p. 266. b) Vid. ibid. p. 267. & tom. III. p. 396.

dentis in cruce CHRISTI, ad cuius pedes apertus liber inclinatur. In poſtico pariete, velut e longinquo pugna adumbratur, ſupervolitante Angelo, certantes adiuvans, ac de hoſtibus quaſi victoriam adpromittens. Prope pedes Imperatoris inſcriptio legitur: SPES ET FIDUCIA IN DEUM. Eodem pertinet ſubiectum ſymbolum, agnellus nimirum, duabus in adverſum pectus ſagittis, & una, ex loco inferiori in latus emiſſa, petitus. Oculus divinus ex alto proſpectat, cum hoc lemmate: DEUS PROVIDEBIT.

Spes, & fiducia in Deum.

XLIV. Agit de hac eximia FERDINANDI virtute LAMORMAINUS toto capite II. inter cetera his verbis uſus: „Si quam aliam „virtutem plenis, ut aiunt, manibus FERDINANDO DEUS contu„lit, *ſpem* certe & *fiduciam* infudit uberrime. DEI gratia fretus, „& Redemptoris pretioſo ſanguine, ac meritis, ſemper ſaluti ſuæ „procurandæ operam naviter impendit, ſpe plenus, fore; ut æter„nam ab æquiſſimo iudice, ac miſericordiarum patre aſſequeretur „coronam, quam LEGITIME CERTANTIBUS ab eo tribui, etiam „publico ipſe ſymbolo teſtatus eſt.„ Rem deinde, præter iam ſupra §. X. allata, variis exemplis, dictis, & factis illuſtrat, additque: hanc de Cæſaris in DEUM fiduciæ opinionem in mentibus Procerum, militum, civiumque adeo altas egiſſe radices, ut ſæpius, cum Cæſar inſigni aliquo facinore publicum pietatis in DEUM ſpecimen ederet, ea vox repetita, & audita multorum ſit: *Hodie Cæſar hoſtium millia aliquot profligavit.*

Emblema decimum quartum: TAB. CV. N. 14.

XLV. Conclavia Reginæ, cubiculo Regis proxima, reliquas quinque complectuntur picturas, unacum tribus ſymbolis. Prima oſtendit exemplum FERDINANDI, pauperum pedes lavantis, menſam, epulis inſtructam, donantis, ægros ſolantis, & foventis: ſervientibus miniſtris, & pecuniam elargientibus, quos inter & *Ieſuita* obſervatur. Lemma ſupra ianuam inſcriptum tale eſt: BENEFICIA IN PAUPERES.

Beneficia in pauperes.

XLVI. Evolvit hoc emblema encomiaſtes noſter capite ſexto, & viceſimo, cuius partem, etſi longiuſculam, huc tamen apprime facientem, tranſcribere viſum eſt: „Antequam domicilium *Græcio* (ait) *Viennam* in *Auſtriam* e *Styria* transferret, renunciatus Imperator, ſolitus eſt *Græcii* aliquoties in anno xenodochia adire, pauperibus, & egenis epulum dare. Aulici primarii, Patresque *Societatis IESU*, fercula deferebant; ipſe ſuis manibus ſua ſingulis apponebat. Inter epulas, & poſt illas, modo hunc, modo illum familiariter alloquebatur, de patria, de morbo interrogabat, ſolabatur omnes, omnes ad pietatem inſtruebat. Egit hoc idem in Aula *Dominicis* quibusque diebus, quo, matris laudatiſſimæ exemplo, duodecim pauperes accerſiri iubebat e publicis plateis, vel xenodochio. Dabat epulum, miniſtrabat diſcumbentibus, matre, dum vixit, ac uxore, liberisque, tum e *Societate IESU* Sacerdotibus duobus cooperantibus. Si ipſum abeſſe contingeret, matre & uxore vita functis,

ctis, voluit id officii a liberis præſtari, eodem ritu, & modo obſervatis. Ut antehac Archidux, & Rex, ita etiam poſtea dictus Cæſar, ac iam Imperator, ex piorum Principum conſuetudine quotannis feria quinta maioris hebdomadæ duodecim viris pauperibus grandi natu, ſervato Eccleſiæ ritu, aulicis omnibus, aliisque, quibuscunque libuit, ſpectantibus, flexis humi genibus, pedes lavit, terſit, oſculatus eſt, ad regium epulum diſcumbentibus miniſtravit. Quod ex epulo ſuperfuit, ſuis manibus diſtribuit in vaſa, ad id parata. Prandio finito, ea per ſui corporis ſatellites iuſſit deferri, quo pauperes cuperent, ipſos pauperes, veſte, ac pecunia donatos, humane tandem dimiſit. „ Hæc ad illuſtrandum picturæ argumentum ſatis opportune: plura his non abſimilia, nec minus egregia affert auctor, apud ipſummet volenti legenda.

TAB. CV.

XLVII. In altera pictura Imperator ſolio inſidens, oculos coniicit in quendam coram ſe in genua provolutum, rerum capitalium reum, veſtibus prope nudatum, & catena ligatum. Ad latus *Iuſtitia* pingitur, & *Pax*, ſeu *Clementia:* adſunt quoque hinc Proceres, inde ſatellites. Lemma incuria fortaſſe pictoris omiſſum eſt.

Emblema decimum quintum: N. 15.

XLVIII. Sed illud facile ſupplet caput LAMORMAINI viceſimum tertium, IUSTITIA CUM CLEMENTIA inſcriptum, quas virtutes in FERDINANDO illuſtres fuiſſe, cum factis, tum rebus probat; quæ inter memorabile eſt, quod de Principe quodam, ex *Italia* nobiliſſimi, ac opulenti feudi gratia *Vindobonam* veniente, refert. Quem cum Cæſar, probitate, ac ſuavitate viri illectus, benevolentia haud vulgari amplecteretur, de felici cauſſæ, quam agebat, ſucceſſu vix quisquam dubitabat. Diſcuſſis vero, libratisque partium rationibus, ſententiaque contra Principem pronuntiata, cum interrogaretur Cæſar, qua ratione inpoſterum cum eo Principe acturus eſſet? reſpondit: eadem, quam ante latam ſententiam, ſubdens: *Non mihi licuit propter familiaritatem ab æquitate diſcedere: nec illi licet iuſtitiæ ſtudium interpretari mei in ſe amoris decrementum.* Quod vero huc præcipue ſpectat, quoties cauſſa criminalis agebatur, tarde pronuntiavit: a iudicibus probe expendi, resque circumſtantes omnes ad ſe referri, iterum, atque iterum recognoſci, ac demum a Religioſis familiis precibus apud DEUM, ut ne erraretur, agi voluit. Ad hæc, ubicunque nullum aut publico, aut privato imminere detrimentum vidit, *iuſtitiæ* rigorem *clementiæ* ſuavitate temperavit, uno excepto *Venereo*, *adulterii* præſertim, crimine. Supplicii quoque genus non raro commutavit, ac aliquando aut pœnæ partem, aut pœnam ipſam integram ſuſtulit: nec quod uni perſonæ adſcribi potuit, pluribus imputari permiſit. Denique, raro admodum exemplo, familiis, unde quispiam læſæ reus Maieſtatis prodiit, notam haud inuſſit, nec parentum crimina filiis, nec filiorum parentibus: rurſus nec unius fratris delicta alteri nocumento, aut probro verti voluit.

Iuſtitia cum clementia.

Emblema decimum fextum. TAB. CVI. N. 16.

XLIX. Tertia tabula Cæfarem unacum integra eius familia repræfentat. Sedet ipfe in fella, obverfo tergo, cum pileo turbinato in capite. Eidem proxime affidet MARIA ANNA *Bavara*, uxor illius prima, a cuius latere altera eft, ELEONORA *Mantuana*, quæ ex corona *Cæfarea*, & *Hungarica*, in gremio repofitis, quibusque illam redimiri curavit Imperator, dignofcitur, omiffa ex arbitrio, aut incuria pictoris, corona *Bohemica*. Coram confiftit FERDINANDUS III. *Romanorum* Rex, pallio, & corona *Imperii* ornatus, a cuius latere comparet frater eius, LEOPOLDUS GUILIELMUS, Epifcopus *Argentoratenfis*, & *Paffavienfis* &c. in habitu ecclefiaftico. A tergo ftant binæ filiæ Cæfaris, MARIA ANNA, MAXIMILIANO, *Bavariæ* Duci, nupta, & quæ ex corona difcernitur, CÆCILIA RENATA, *Poloniæ* Regi, ULADISLAO, in matrimonium elocata. Apud has verfatur nutrix, puerum cum caniculo ludentem, manu continens, minori autem infanti ubera præbens. Hi nimirum funt nepotes Cæfaris, FERDINANDUS IV. ut videtur, & LEOPOLDUS, poftea *Romanorum* Imperator hoc nomine I. aut fi mavis, FERDINANDUS IV. & MARIA ANNA, quos nepotes FERDINANDUS adhuc fuperftes vidit, aut denique PHILIPPUS AUGUSTINUS, cui eadem dies, quæ FERDINANDO avo mortem, vitam attulit. Sed magis inclinat animus pro prioribus. Supra in aëre verfatur genius, lauream, & palmam FERDINANDO III. adferre feftinans. Adiicitur epigraphe: PIETAS ERGA SUOS.

Pietas erga fuos.

L. Differt non nihil ab hac epigraphe titulus capitis operis *Lamormainiani* X. præferentis: PIETAS ERGA PARENTES ET SUOS. Nimirum, qui *pietatem* FERDINANDI *erga fuos* duntaxat, non item *erga parentes* (ut ut & hæc eximia fuerit) picturæ fuæ argumentum effe voluit artifex, tituli quoque partem eius capitis, unde illud petiit, recte etiam omifit. Quod igitur ad hoc pertinet, utramque uxorem, tefte biographo eius, tenerrime dilexit, coluitque: erga priorem etiam defunctam adeo pie, & religiofe affectus, ut pro ipfius falute quotidie, dum ipfe vixit, a Sacerdote, ad aras operante, fuffragia fieri, eique facrificio ipfe intereffe voluerit. Alteram triplici corona exornari curavit, morboque aliquando tentatam, de falute eius follicitus, indictis apud omnes Religiofas familias precibus, diftributaque eum in finem in Sacerdotes, & pauperes haud exigua pecuniæ vi, quatenus & ipfi DEO fupplices fierent, ad priftinam valetudinem revocare ftudebat. Simile vero difcrimen anno 1626. *Ratisbonæ* ipfe fubiens, ELEONORÆ follicitudinem, & impenfam fibi curam, & tunc, & non femel alias adeo benevole prædicavit, ut fe illi vitam debere, faffus fit. Circa liberorum educationem fummam, & cui forte par non fuerit, ei curam fuiffe, perhibetur. Præceptores domefticos, Præfectos aulæ, ac miniftros cubiculi non nifi fpectatæ virtutis, virosque famæ integerrimæ filiis attribuendo, felectiffimasque matronas, ac virgines integerrimas filiabus. Quin & fuo potiffimum exemplo illos ad vir-

tutem

tutem informare conatus est, ita ut essent, qui dicerent: filios, ac filias non tam virtutem didicisse, quam ex parentis hausisse aspectu. Tab. CVI.

LI. In quarta pictura Principibus, FERDINANDI exemplo, res commendatur cum ipsis, tum reipublicæ summe gloriosa, & utilis, litterarum nimirum promovendarum studium. Sedet Imperator in bibliotheca ad mensam, sinistra manu iuvenem, litteris operam navantem, apprehendens, dextraque in evolutum librum intenta, quasi blande appellans, & invitans. Ad mensam consistit instrumentum mathematicum, & in postico pariete instrumenta quædam musica. Additur singulorum interpretatio: STUDIUM LITTERAS PROMOVENDI.

Emblema decimum septimum: N. 17.

LII. Quam FERDINANDO curæ, & cordi fuerit respublica litteraria, auctor noster capite vicesimo septimo enarrat: Bonis ipsum excultum litteris, litteras, litterarumque studiosos amasse, viros doctos, si bonis artibus, & doctrinæ morum probitas accessisset, summa benevolentia prosecutum fuisse. Gratissimum illi præterea fuisse, audire: Procerum, ac Magnatum filios strenue bonarum disciplinarum studio incumbere. Horum ardorem, ut magis, magisque accenderet, aut aurea catena exornasse, aut, data aurea clavi, in suos, aut filiorum Camerarios adlegisse, aut simili alio honore, & dignitate præ ceteris, eodem aspirantibus, extulisse. Ad hæc, & quod studium illius promovendi litteras vel maxime probat, Academias, & studia, quæ vocant generalia, vel collapsa restituisse, vel nova erexisse, vel ab aliis excitata confirmasse. Quibus singulis adnumeranda ephebia, ac seminaria, quæ *Viennæ, Pragæ, Græcii, Clangenfurti, Labaci, Olomucii, Tyrnavii, Gizini*, aliisque in urbibus aut constituit, aut ab aliis constituta, opibus auxit: Acatholicis contra ut scholæ deessent, in quibus adolescentes hæresin edocerentur, sedulo laborasse, atque aliquot falsæ doctrinæ gymnasia evertisse, aliquot in meliorem usum commutasse.

Studium litteras promovendi.

LIII. In secessu Reginæ, symbola *castitatis* adumbrata sunt. Unum, illudque maius, fœminam sistit, regio habitu nubibus insidentem, dextra ciconiam complectens, sinistra supra pectus posita, pedibusque libidinem cum gallo gallinaceo deiiciens. Adest & turtur, a sinistris conspiciendus. Supra vero pro lemmate inscriptum est verbum: CASTITAS. Infra hanc picturam utraque ex parte totidem symbola minora exhibentur. Primum decrescentem lunam præbet, dependente in medio lampade fumante, cum adiuncto lemmate: HÆC RVIT ILLA FVGIT. Alterum solem radiantem refert cum inscriptione: SIT LVMEN PERPETVVM.

Symbola castitatis: Tab. CVII.

LIV. Eximiam & hanc in FERDINANDO fuisse virtutem, Clar. auctor noster capite quinto decimo demonstrat. Hanc ille adhucdum iuvenis tum maxime probavit, cum Aulicum, viam ad impudica demonstrantem, ac opem spondentem, aula excedere iussit,

Ad FERDINANDUM summo iure spectantia.

ac

ac ſervitio: *Odiſſe ſe*, aiens, *inter ſervos Veneris mancipia, & Cupidinis.* Ad clavum ſedens, cum fœmina ex munere audienda eſſet, nullam unquam ſolus, nec quidem Principem audivit, teſte ſemper adhibita vel coniuge (ut iam ſupra meminimus) vel cum in publicum prodituros erat, univerſo purpuratorum cœtu. Ante coniugium nullam cognovit, viduus ſex annis in ipſo ætatis vigore conſtanter ſe continuit, matrimonium adeo ſancte colens, ut Auguſta aliquando diceret: *ea apud ſe integritatis in opinione fuiſſe* FERDINANDUM, *ut vel cum puella deprehenſum in thoro, nefas crederet, eum impudicitiæ damnare: obfirmatum validius eius fuiſſe animum in caſtitate, quam ut vicina ea machina poſſet convelli, aut moveri.* A turpiloquio cum perquam longiſſime abeſſet, nec in aliis toleravit; ita ut coram illo talia effutire, nemo unquam auſus ſit. Nemini etiam unquam offenſus: in adulteros tamen, & concubinarios durus admodum, quin & implacabilis erat; ut cum in iudiciis erga reos maxime benignum ſe præberet, adulteros, aut inceſtuarios, aliosque, id genus ſcelus admittentes, ea gratia dignatus haud ſit.

Emblema decimum octavum: TAB. CVII. N. 18.

LV. Ultima pictura FERDINANDUM vita defunctum, ac lecto funebri ſtratum, exhibet: provolutis in genua, pronisque in terram vultibus, duobus viris religioſis proxime aſſidentibus, ac animum precibus ad cœlos transferentibus. Supra in aëre *Fama* ſupervolitat, duas tubas, quarum alteram inflat, ſuſtinens. Inferne una ex parte cœtus Patrum, ac varii Ordinis, ac ætatis virorum eccleſiaſticorum, ex altera vero varii generis profanorum, quaſi ſermones miſcentium, congregatio comparet, adſcripto titulo: SUMMORUM VIRORUM TESTIMONIA.

Summorum virorum teſtimonia.

LVI. Is ipſe titulus eſt capitis operis *Lamormainiani* ultimi, id eſt triceſimi: ubi quid fama communis, Acatholici, milites, hoſtes, Aulici, Epiſcopi, Cardinales, Reges, ac Summi Pontifices de FERDINANDO noſtro demum tam vivo, quam defuncto ſenſerint, ordine exponit. Nos pauca delibabimus. Quo die FERDINANDUS de vita deceſſit, una vox omnium exaudita eſt: *Occubuiſſe Cæſarem, cui parem ſanctimonia, pietate, integritate, clementia, ſuperior ætas non vidit.* Similia tam in exteris, quam provinciis ſubiectis prædicabantur. Nec ipſi diſſenſere Acatholici, quorum unus e ſuggeſtu ad populum pronuntiavit: Aut nullum e Catholicis in cœlum admitti, aut FERDINANDUM cœlo receptum eſſe. Certatim quoque Oratores funebres in eius laudes effuſi, a quibus *pius fidei reſtitutor, hæreſeos fortis profligator, conſtans, mitis, munificus, humanus, Deo charus, & ſanctus* paſſim tam in *Germania*, quam alibi prædicabatur: modo etiam EZECHIÆ, modo IOSAPHATO, DAVIDI comparatus. Sed ſi nulla laus ſincerior, ac illa, quam veritas hoſtibus extorquet, lubet etiam hos audire: GUSTAVI ADOLPHI dictum eſt: *In tanta, quam experiebatur fortuna, unam ſibi for-*

formidini Cæſaris eſſe virtutem. Nec non *Gabrielis* BETHLEMII, regnum *Hungariæ* ambientis: *difficile, ac dubiæ aleæ plenum opus eſſe, pugnare contra* FERDINANDUM, *quem nec adverſa deiicerent, nec proſpera extollerent.* Quin & interroganti MURTASAN, *Budenſi* Baſſæ, quei factum eſſet, ut FERDINANDUS, vir minime militaris, de *Sueciæ* Rege fortiſſimo, ac peritiſſimo Duce triumpharit? a *Turca*, ætate, & conſilio facile principe, reſponſum: FERDINANDUS *ſanctus eſt, Deus cum illo eſt, & pro illo pugnat.* Sed hæc hactenus. Ceterum ſupra p. 334. §. XIII. quidem dictum eſt, picturas has in *udo* expreſſas eſſe, cum in tela comparere, interim ab amico edocti ſimus; quæ cum communis, & vulgaris ſit, argumento, ibidem exinde deducto, nihil admodum derogari, cuilibet perſpicere, pronum erit.

INSCRIPTIONES.

FERDINANDI II. & uxoris eius memoria *Græcii.*

LVII. GRÆCII, in porta S. PAULI, *Auſtriæ*, *Bavariæ*que inſignia conſpicua ſunt, ſubtusque litteræ, ita loquentes:

FERDINANDO ET MARIÆ ANNÆ
ARCHIDUCIBUS AUSTRIÆ ZC. MUNIMEN HOC AD SALUTEM PATRIÆ PROPAGANDAM, AD HOSTIUM INCURSUS COERCENDOS, ET AD UTRIUSQUE NOMINIS MEMORIAM CONSERVANDAM, A FUNDAMENTIS EXSTRUCTUM EST.

Factum hoc eſſe ante annum 1616. quo MARIA ANNA e medio abiit, neceſſe eſt: quanto vero id citius contigerit, tacentibus Scriptoribus, dicere pronum haud eſt; quanquam infra annum 1600. quo MARIA ANNA eidem iuncta fuit, contigiſſe, æque neceſſe ſit.

Idem reliquias SS. in templum S. ÆGIDII *Græcii* infert.

LVIII. Ibidem in templo S. ÆGIDII chorum intrantibus nigrum obiicitur marmor, litteris *Romanis* deauratis ſequentem continens inſcriptionem.

SANCTA MARTYR
MAXENTIA CUM BRACHIO S. AGATHÆ
A PAULO V. PONTIFICE MAXIMO
EX COEMETERIO PRISCILLÆ VIA SALARIA
AD FERDINANDUM ARCHIDUCEM ADMISSA
ET IN HANC AEDEM HUMERIS PONTIFICUM
SOLEMNITER IMPORTATA.
ANNO MDCXVII. DIE 7. MAII.

E regione altera inſcriptio ſic habet:

SANCTI MARTYRES
MARTINUS ET VINCENTIUS
A PAULO V. PONTIFICE MAXIMO
EX COEMETERIO PRISCILLIÆ VIA SALARIA
AD FERDINANDUM ARCHIDUCEM ADMISSI
ET IN HANC AEDEM HUMERIS PONTIFICUM
SOLEMNITER IMPORTATI
ANNO MDCXVII. DIE 7. MAII.

Inſcriptiones ad FERDINANDUM noſtrum ſpectare, facile conſentiet, qui illum anno, & die, in iis notatis, adhucdum Archiducem *Græcii* rerum ſummæ præfuiſſe, Regemque *Bohemiæ* menſe primum ſequenti proclamatum, inauguratumque, meminerit. Affert illas quoque auctor *Græcii, topographice deſcripti p.* 63. pro *admiſſa* & *admiſſi*, *tranſmiſſa* & *tranſmiſſi* legens. Quod etſi rem clarius explicet, in ipſo tamen lapide haud legimus.

Victoriæ de FRIDERICO *Palatino* monumentum.

LIX. Templi, & monaſterii, quod FERDINANDUS Cæſar in *Albo monte*, prope *Pragam*, ob inſignem victoriam anno 1620. die VIII. *Novenbris* de FRIDERICO *Palatino*, & rebellibus *Bohemis* reportatam, conſtrui fecit, lapidi fundamentali, quem primum Cæſar ipſe poſuit, ſequentia inſculpta ſunt:

ANNO MDCXXVIII. D. XXV. APRILIS
FERDINANDUS II. IMP. SEMPER AUGUSTUS
CATHOLICÆ FIDEI DEFENSOR ACERRIMUS
PRO GRATIARUM ACTIONE VICTORIAE
CONTRA REBELLES ET HAERETICOS
ANNO MDCXX. D. VIII. NOVEMBRIS
IN MONTE ALBO OBTENTAE
HUIUS SACRI TEMPLI
SANCTAE MARIAE DE VICTORIA
PRIMUM FUNDAMENTUM POSUIT
URBANO PONT. MAX.
ELEONORA GONZAGA IMPERATRICE
HUNGARIAE ET ROM. REGE FERDINANDO III
ARCHIEP. PRAGENSI CARD. ERN. AB HARRACH
P. HEINRICO GENERALI ORD. SERV. B. M. V.

Iniectum quoque a Cæſare, inter alia, numiſma fuit, quod tomo præcedenti exhibitum, unacum rei geſtæ hiſtoria uberius illuſtravimus. a)

Item *Benedictinis* monaſterium.

LX. Eiusdem Imperatoris munificentiæ debetur monaſterium Ordinis S. BENEDICTI, ſeu Eremitarum *Montis Serrati*, extra muros urbis *Vindobonenſis* prope portam *Scotenſem* conſtituti. Eius originem plenius deſcribit CZERWENKA, b) inter cetera hanc inſcriptionem, quanquam nonnihil mendoſam, ut videtur, adducens:

FERDINANDUS II. DEI GRATIA ROMANORUM IMPERATOR, FERDINANDI III. REGIS HUNGARIÆ, ET BOHEMIÆ PATER, ET FERDINANDI IIII. PRINCIPIS AVUS CATHOLICISSIMUS, PIISSIMUS, EOQUE INVICTISSIMUS, ET SEMPER AUGUSTUS, IN HOC SACELLO, EXTRA MUROS VIENNÆ SITO, ET BEATISSIMÆ V. MARIÆ SUB INVOCATIONE MIRACULOSÆ MONTIS SERRATI DICATO, MAXIMA CUM DEVOTIONE, ET PIETATE HANC PRIMAM IMMISIT FUNDAMENTALEM PETRAM, ET MONACHOS SUB REGULA S. BENEDICTI MILITANTIBUS DE REFORMATIONE MAGNÆ SANCTUARII MONTIS SERRATI, UT SANCTISSIMÆ V. PERPETUO INSERVIANT, SACELLUM, ET MONASTERIUM HOC TANQUAM PATRONUS AMPLIFICUS CONSTRUXIT, ET DOTAVIT. PRÆSENTIBUS AUGUSTISSIMA IMPERATRICE LEONORA, EIUSDEM FERDINANDI II. CHARISSIMA CONIUGE, ET FERDINANDO III. REGE CUM CHARISSIMA EIUS CONIUGE, REGINA MARIA, HISPANIARUM INFANTISSA, ET SERENISSIMIS ARCHIDUCIBUS LEOPOLDO, MARIANA, CÆCILIA FILIIS CHARISSIMIS IPSIUS FERDINANDI II. (III.)
ANNO A PARTU VIRGINEO 1633. DIE. 15. MENSIS NOVEMBRIS.

Quod LEOPOLDUS Magnus reſtaurat.

LXI. Stetit hoc monaſterium ad annum uſque 1683. quo ab obſidente *Wiennam Turcarum* Tyranno, unacum templo, ſolo æquatum

a) Part. II. p. 189. num. XXX.

b) Piet. *Auſtr.* lib. III. c. XXVI. p. 527.

tum eſt: magnificentius prope cœmeterium Cæſareum exſtructum a LEOPOLDO M. Imperatore, qui & fundamentalem lapidem ipſe poſuit, iniecto eidem aureo nummo, a laudato auctore hunc fere in modum deſcripto: figuræ orbicularis eſt, diametro eius dimidium quadrantis ulnæ æquante. Antica eius facies bicipitem aquilam, *Imperiali* corona redimitam, exhibet, dextro pede gladium, ſiniſtra ſceptrum tenentem, impreſſo pectori ſcuto, cum lemmate, ſeu ſymbolo Imperatoris: CONSILIO ET INDUSTRIA, adiectaque perigraphe: LEOPOLDUS PRIMUS ROMAN. IMPERATOR, HUNGARIÆ, ET BOHEMIÆ, ETC. REX. Poſticam laurea, baccis decora, exornat, adiecta inſcriptione: LEOPOLDUS AUGUSTUS, FERDINANDI TERTII FILIUS, ET SECUNDI NEPOS, UTRIUSQUE REGNORUM, ET PIETATIS HÆRES, IDEM DEIPARÆ VIRGINIS SACELLUM, A TURCIS VIENNAM PREMENTIBUS VASTATUM, IN HOC LOCO RESTAURARI VOLUIT, POSITA FUNDAMENTALI PETRA 5. IDUS IULII, ANNO 1690. In margine exteriori hæc leguntur: BENEDICTA SIT BEATA MARIA SEMPER VIRGO SINE LABE ORIGINALI CONCEPTA. AMEN. Hæc fide laudati auctoris: quod ſi aliquando datum fuerit, nummos ſequiorum Imperatorum, LEOPOLDI ſcilicet, IOSEPHI, & CAROLI VI. quorum ingentem cumulum iam iam contulimus, velut poſtliminio edendi: operam ſane dabimus, ut & hunc nummum, ubicunque demum locorum lateat, una proferamus.

CAPUT IV.

FERDINANDI II. UXORES, ET LIBERI.

§. I.

MARIÆ ANNÆ tam corporis, quam animi effigies. TAB. CVIII. N. I.

MARIAM ANNAM, FERDINANDI II. uxorem primam, integra ſtatura hic ſiſtimus, prout olim in palatio *Bellofontano* extabat. Superior palla, gemmis interſtincta, nigreſcit: interiorem vero tunicam, & manicas, albo colore infectas, flavæ deſcribunt tæniæ. Porro dextram extentam velut ad oſculandum præbens, ſiniſtra ſtrophium tenet, adludente caniculo, cuius collari litteræ D M A G inſcriptæ, quæ forte DIVA MARIA ANNA AUGUSTA interpretandæ. Nam *Divi*, vel *Divæ* titulum Auguſtis, etiamnum inter mortales verſantibus, aliquando tributum fuiſſe, ſæpe animadvertimus, & littera A facile duplici munere hic fungitur, ſicut eadem facilitate littera U a pictore, aut chalcographo omitti potuit. MARIÆ ANNÆ animi effigiem ADLZREITERUS a) ex anonymo coævo ſic retulit: *Princeps noſtra his ornata virtutibus radiabat, nimirum & auroræ conſurgentis in modum, purpureas fores, & plena roſarum, id eſt virtutum, atria pandens, illud uſurpare viſa eſt Virtutis:*

a) *Boicæ Gent. Annal.* P. II. lib. XII. p. m. 326. ad an. MDC.

Tab. CVIII. N. I.

Mecum honor, & laudes, & læto gloria vultu,
Casta mihi domus, & celso stant colle Penates.

Addit, quod ſicut FERDINANDUS nihil antiquius habuit, quam religione, & pietate florentiſſimas reddere regiones: ita providendum ſibi duxerit modis omnibus, ut eam in thalamum, atque thronos conſortem deduceret, quæ, ut prole domum, ita exemplo fidem, atque pietatem apud ſubiectos populos adaugeret. Qua utraque in re falſum minime fuiſſe Archiducem, eventus poſtea edocuit. Ceterum quod corporis ſpeciem attinet, eam nec præſtantem, nec admodum venuſtam fuiſſe, teſtatur GANSIUS. a)

Itemque ELEONORÆ, cum inſigni elogio. N. 2.

II. Succedit ELEONORA *Mantuana*, uxor FERDINANDI altera, cuius hæc protome ex thecis HÆREI deprompta fuit. Extat quoque apud illuſtriſſ. KHEVENHILLERUM, ac edidit etiam *Wolf.* KILIAN, ſubiecto carmine, mirifice blandiente:

Qualem purpureo diffundit flore colorem,
Quæ matutino se rosa rore fovet:
Qualis pulchra rubet croceis aurora quadrigis,
Cum nitidum roseo promit ab axe diem.
Tale iubar terras splendore insignit, et astra,
Ambrosiam quoties exeris ipsa comam.
Sol si deficiat magno, quo nititur, orbe,
Tu magno lucem solis in orbe feres.

Eadem tanquam vidua. N. 3.

III. Tertia imago ELEONORAM in habitu viduitatis repræſentat, in palatio *Bellofontano* olim viſenda. Pallio nigro induitur, quo colore & reliqua veſtis infecta eſt, excepto perizomate, & velo, viduitatis ſignis, albeſcentibus. Hanc ab eximia formæ præſtantia non minus, quam animi pulchritudine, comitate, & humanitate impenſe laudat GANSIUS, b) quæ & æternam memoriam ſibi conciliavit; tria conſtituendo, ac dotando monaſteria: primum Veſtalibus *Carmelitanis* prope rubeam turrim *Vindobonæ*, in quo & ipſa piam aliquamdiu vitam duxit: alterum fratribus *Miſericordiæ* in ſuburbio *Vienneſi* trans *Danubium*, ac denique tertium *Camaldulenſe* in monte *Cetio*, ſeu *Calenberg*, teſte SCHOENLEBENIO. c)

INSCRIPTIONES.

Erga B. V. M. *Cellenſem*, N. 4.

IV. ELEONORA, exactô a morte FERDINANDI anno, ac depoſito adeo luctu, ad monaſterium B. V. MARIÆ *Cellenſe* in *Styria* profecta, imaginem defuncti, ex auro affabre factam, obtulit, adpoſita inſcriptione: d)

VOTI HUIUS B. V. CELLENSI RATISBONAM ITURUS SE REUM FECIT ANNO 1636. QUO ITEM EX VOTIS SUIS IBIDEM CORONARI IN ROMANORUM REGEM VIDIT FILIUM SUUM FERDINANDUM III. OBLATUM 1638.

Ac Patres *Carmelitas* munifica.

V. Ad memorata tria monaſteria, ab ELEONORA noſtra fundata, templum quoque *Carmelitarum provinciæ Auſtriacæ* prope *Mannerſtorff* addendum eſſe, ſequens inſcriptio, ſupra ianuam illius legenda, edocet.

D.

a) In Gynæc. lib. XV. p. 477.
b) Ibid. p. 478. ſeq.
c) Prolegom. P. II. cap. IX. p. 206.
d) Teſte R. P. *Kilian.* WERLEIN *in ſeinem Gnaden-Schaz zu Zell.*

D. O. M.
AD HONOREM S. ANNÆ TEMPLUM HOC ÆRE DIVÆ ELEONORÆ ROM. AUG. CÆSARIS FERDINANDI II. QUONDAM CONIUGIS A FUNDAMENTIS ERECTUM, CONSECRARI CURAVIT ILLM9 ET REV9 D. IOANNES PUSKY, ARCHIEP. COLOCENS. ET EPISC. IAURIENS. DIE XXV. IULII. ANNO DOM. MDCLIV.

TAB. CVIII.

VI. Inter FERDINANDI filios, ex MARIA ANNA *Bavara*, ex qua sola pater factus est, susceptos, natu prior erat CAROLUS, anno MDCIII. die XXV. *Maii* mundo datus, eique post horam dimidiam subtractus. Hunc in collectione nostra excipit IOANNES CAROLUS, cuius effigiem ex thecis HERÆI, & Annalibus *Ferdinandeis* excerptam, a) hic damus. In hanc lucem anno MDCV. die prima *Novembris* editus, &, ut LEQUILEUS tradit, die sequenti a MARTINO Episcopo *Seccoviensi* sacro fonte ablutus. Decessit iuvenis anno MDCXIX. die XXVI. *Decembris*, MARIÆ, PHILIPPI III. *Hispaniæ* Regis filiæ, sponsus iam destinatus, ut Tomo sequenti videbimus.

IOANNIS CAROLI effigies. N. 4.

a

VII. FERDINANDI III. patris in regnis, & Imperio subinde successoris, effigiem, a *Wolf.* KILIAN sculptam, subiungimus, plures daturi postea. Patris exemplo attonsos capillos cum solito suggestu, a fronte exsurgente, gestat, nec non & collare rugosum, Ordinisque aurei Velleris insigne.

Ac FERDINANDI III. N. 5.

VIII. Ultimum denique huius tabulæ locum occupat LEOPOLDUS GUILIELMUS, diversarum Ecclesiarum, ut alibi diximus, Episcopus, &, ut subiectus imagini titulus præfert, BELGII GUBERNATOR. Eo munere cum ab anno 1646. ad 56. functus fuerit, hanc quoque iconem sub id tempus prodiisse, vero simillimum est. Huius Principis simulacrum maius, & in pedes erecti, dedimus paullo supra, b) elogium vero tomo præcedenti. c) Eiusdem imaginem pro more illius ætatis sat splendide *Ioannes* DÜRR, chalcographus, anno 1667. edidit, eiusque nomini dedicavit, hos circumscribens titulos: REVERENDISSIMUS AC SERENISSIMUS PRINCEPS LEOPOLDUS WILHELMUS, ARCHIDUX AUSTRIÆ, DUX BURGUND. STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, ET WIRTEMB. COMES HAPSB. TIROLIS ET GORIC. &c. S. CÆS. MAIEST: EXERCITUUM GENERALISSIMUS, REGNI BOHEM. GUBERNATOR, SUPREMI MAGISTERII PRUSSIÆ ADMINISTRATOR, MAGNUS ORD: TEUTON: IN GERMANIA ITAL: MAGISTER, DOMINUS IN FREWDENTH. ET EULENB: EPISC: CATHED: ECCLES: ARGENT: HALBERST: PASSAU: ET OLUMUC: PRINCIPALIUM ECCLES: MURBAC: HIRSCHFELD: ET LUDERENSIS ADMINIST: &c. De Archiepiscopatu *Magdeburgensi*, ad quem licet iam anno

Itemque LEOPOLDI GUILIELMI. N. 6.

b c

 1625.

a) Effigier. tom. I. p. 117. o. num. 63.
b) Cap. præced. §. XLIX. ad tab CVI.
c) P. II. p. 212. §. L

1625. evectus fuisset, nulla hic mentio; ut qui pace *Osnabrugensi* Domui *Brandenburgicæ* cessit. Qua de re plura in laudatis Annalibus *Ferdinandeis*, & *Theatro Europæo*, aliisque eius ætatis monumentis.

Icon MARIÆ ANNÆ prima, TAB. CIX. N. 1.

IX. Septem igitur omnino ex MARIA ANNA *Bavara* cum sustulisset liberos FERDINANDUS: virilis sexus quatuor, sequioris tres, utrinque primo loco natum ante adultam ætatem amisit, & CHRISTINAM quidem, seu CHRISTIERNAM (quam P. GANSIUS anno 1604. die XXV. *Maii* natam perhibet a) sed errore haud dubie typographico; certius cum sit, eam an. 1601. die XVII. *Maii* in lucem editam fuisse) statim post susceptum regenerationis lavacrum. Quare cum huius effigies aliqua, haud secus ac CAROLI, fratris illius, frustra quæreretur, sororem eius MARIAM ANNAM, matri cognominem, hic damus, auctore *Ioanne* SADELER, chalcographo coævo. Perpulchre compta est, ac patagio singularis operis induta, unionibus, ac gemmis præterea caput cum collo, ac pectore ornantibus, nitet. Quam in rem *Theatrum Europæum* b) testatur, sponsum MAXIMILIANUM *Bavarum*, sub ipsum nuptiarum apparatum, illi torquem ex trecentis unionibus, quorum quisque mille florenis æstimatus fuerit, in amoris tesseram *Vindobonam* præmisisse. Ipsa nuptiarum celebritas, & ceremoniæ ibidem, apud illustr. KHEVENHILLERUM c) fuse describuntur.

Itemque secunda & tertia. N. 2. 3.

X. Alteram MARIÆ ANNÆ imaginem, ubi cum pileo *Electorali* comparet, *Cornelius* MEYSSENS *fecit Viennæ. M. V.* BURCK *excudit:* ac tertia denique, eandem tanquam viduam repræsentans, ex thecis imaginum serenissimi Principis EUGENII a *Sabaudia* tom. XIV. educta, auctorem habet KÜSELL, chalcographum *Augustanum*, anno 1657. atque adeo ætatis Principis septimo, & quadragesimo. Auspicatissimas has fuisse nuptias, illustris Scriptor ADLZREITERUS animadvertit, d) DEOque gratas fuisse, probasse secutam, quæ prima est in matrimonii votis, ex duorum filiorum nativitate, & educatione, felicitatem, quam *Bavaria* per annos quadraginta infinitis suspiriis desideraverat. Nimirum quod sterile esset MAXIMILIANI *Bavari* matrimonium primum, cum ELISABETHA, CAROLI, *Lotharingiæ* Ducis, filia, contractum.

Icones CÆCILIÆ RENATÆ, N. 4. 5.

XI. FERDINANDI II. filia tertia, CÆCILIA RENATA, in pedes erecta, & quasi gradiens hic exhibetur. Asservabatur olim in arce *Archiducali Eberstorffiana.* Vestis Attalica flavi coloris aureis tæniis variegatur. In imo adscribitur verbis *Germanicis* REGINA POLONIÆ. Adiicitur & protome eius, ex thecis HERÆI deprompta, & apud sæpiuscule laudatum KHEVENHILLERUM quoque reperiunda. *Poloniæ Reginæ* titulum, & dignitatem anno 1637. consecuta est,

a) In Gynæc. lib. XV. c. I. p. 481.
b) P. III. p. 507. ad an. 1635.
c) Annal. *Ferd.* tom. XII. col. 1775.
d) *Boicæ Gent. Annal.* P. III. lib. XX. ad. an. 1635. col. m. 341.

eft, LADISLAO IV. *Poloniæ* Regi, matrimoniali fœdere iuncta. Quam celebritatem fuſe deſcribit ad hunc annum *Theatrum Europæum*, nec non, & accuratius quidem, TORLÆUS in *corona Auſtrali*, qui & inſcriptiones arcuum, portarumque honorariarum adducit, quas, quia nihil ſingulare continent, prætereundas duximus.

CAPUT V.

FERDINANDUS III. IMPERATOR, EIUSQUE UXORES.

§. I.

Primam FERDINANDI III. iconem *Wolfgangus* KILIAN, ſculptor *Auguſtanus* coævus, edidit. Cultu *Hungarico*, & adhucdum imberbis exhibetur; unde coniicias: imaginem ſub ipſam coronationem *Hungaricam*, quæ VIII. *Decembris* 1525. peracta eſt, atque adeo anno ætatis illius decimo ſeptimo eſſe vulgatam. Veſte Attalica in morem *Hungaricum* ornatum tum inceſſiſſe FERDINANDUM, teſtatur BRACHELIUS, a) ac continuator ISTHUANFFII. b)

Schema FERDINANDI cultu *Hungarico*. TAB. CX. N. 1. a b

II. Alterum ſchema, ex tabula picta palatii *Bellofontani* exceptum, nativam FERDINANDI, tanquam Imperatoris, effigiem, nobis offert. Adverſa fronte comparet, dextra menſæ, in qua inſignia Imperatoria poſita, innixus, ſiniſtra ad latus compoſita. Interior veſtis, id eſt, thorax, & femoralia, nigra, ſed aureis floribus diſtincta, cetera quoque, ut tibialia, calcei, & pallium eiusdem coloris, cum contra manicæ, & patagium albi coloris ſint. Ab humeris porro torques velleris *Cholchici*, quod & in ſequentibus imaginibus obſervamus, demittitur. Ex hoc vero ſimulacro coniici datur: ſtaturæ FERDINANDUM, proceram inter, atque humilem, mediæ fuiſſe; miti, & clementi aſpectu, labio inferiori tumido, genis non nihil exſuccis, ut qui valetudine multoties improſpera utebatur, morbo cum primis articulari excruciatus. Clariſſimus, dum viveret, KOELERUS c) in eum quoque ſpeciatim convenire aſſerit, quod *Theodorus* HOEPINGIUS d) de Principibus *Auſtriæ* univerſim pronuntiat: eſſe rarum, ſingulare, ac notabile in *Auſtriacorum* Principum familia, mento naſci oblongiore, prominentioreque, non tamen indecenti, ſed cuius forma vultum Principis gravi quadam maieſtate decoret, intuentibusque reverentiam concitet, eamque tam genuinam his Principibus a proavis, atavisque notam eſſe, ut præter maſculos fere omnes, etiam fœminæ plurimæ hac inſigniantur. Eſſe autem mentum oblongius pii, placidi, conſtantis, & minime tur-

Alterum cum corporis deſcriptione. N. 2. c d

a) Hiſt. ſui temporis lib. II. p. 109.
b) Lib. XLI. p. 535. ubi eadem prorſus, quæ apud BRACHELIUM, verba leguntur.
c) Delic. nummar. P. XIV. p. 43.
d) Tract. de notis naturalibus genitivis, & gentilitiis §. 6. num. 8. ſeq.

Tab. cx. a

turbati animi indicium. Similia fere verba ſupra ex Pighii Hercule Prodicio a) attulimus.

Itemque ſtatua apud RR. PP. *Capucinos.* N. 3.

III. Proxime ſuccedit ſtatua lignea, auro obducta, & reliquarum, de quibus meminimus, ad exemplum ſeptem pedes alta. Viſitur apud RR. PP. *Capucinos Vindobonenſes*, in ſacello B. Virginis, ubi nimirum ſubtus in crypta Auguſta funera recondi ſolent.

Additur imago alia cum animi delineatione. N. 4.

IV. Felicius iuxta, ac elegantius ceſſit ſchema Imperatoris, a peritiſſimis in ſua arte triumviris, *Antonio van* Dyck pictore, iuniore *Cornelio* Galle ſculptore, ac *Ioanne* Meyssens excuſore, editum. Armatus ac laurea redimitus comparet, ornamento capitis inde a *C. Iulii* Cæsaris ætate Imperatoribus familiari, quod tamen noſter cum alibi, tum in prœlio ad *Nordlingam*, cum *Suecis* inito, ſpeciatim promeruit. Sed & præterea reliquis virtutibus omnibus, ut ait Hiſtoriæ Ducum *Styriæ* auctor, b) quæ Principem deceant, minime caruit. „Religio, pietas (ſunt verba illius) clementia, iu„ſtitia, animi magnitudo, nihil non tanto Cæſare dignum. Sacra„menti eius, quod Auguſtiſſimum Religio noſtra habet, præcipuus „cultor extitit, pietate a Maioribus hauſta, cui ne in caſtris qui„dem detractum quidpiam voluit. Quo tempore *Ratisbonam* a„cerrima, & cruenta admodum oppugnatione urgebat, publicum, „ſolemnemque cultum, quem octonis diebus Divino huic myſte„rio Catholici impendimus, inſtitutis rite ſupplicationibus, armatas „inter legiones peregit.„ Et non nullis interiectis, cum cultum eius, atque amorem erga B. Virginem Mariam, zelum adverſus Religionem *Catholicam*, animi conſtantiam, atque in adverſis firmitatem, ac fortitudinem demum expoſuiſſet, hæc ſubiungit: *Eloquentiis Heroæ, quam comptæ propior: & quæ non raro præſentes Comitiis Principes in admirationem dederit, etiam cum diverſis linguis egiſſet. Scientiarum omnium prope ex æquo amans fuit, atque intelligens.* Nimirum, ut illuſtriſſ. Khevenhillerus auctor eſt, linguis, *Germanica, Latina, Hiſpanica*, & *Itala* ex amuſſi loquebatur, *Gallicam*, & *Bohemicam* noverat.

Ac protomæ duæ. N. 5. 6.

V. Sequuntur duæ protome, quarum prior, ut ex ſubſcripto titulo patet, poſt fata Ferdinandi anno 1653. vulgata fuit, a *Iacob* Sandrat ſculpta, probe diſtinguendo, a peritiſſimo *Ioachimo* Sandrart, quem noſter ob eximiam artem multo favore proſecutus eſt, cuiusque opus, imaginem, a nobis num. 2. huius tabulæ prolatam, eſſe ſuſpicamur. Altera itidem poſt mortem Principis, ex ære fuſa, Auguſtam Bibliothecam Cæſaream exornat.

Mariæ uxoris primæ icon prima. Tab. cxi. N. 1. c

VI. Mariam, quam illuſtr. & Excellentiſſimus Khevenhillerus etiam Mariam Annam vocat, c) Philippi III. Regis *Hiſpaniarum*, filiam, ac Ferdinandi noſtri uxorem primam, *Wolfgangus* Kilian hac forma evulgavit, ſubiectis verſibus:

Progeniem

a) Lib. III. cap. VI. §. II. p. 291.
b) P. III. p. 53.
c) Collect. imaginum tom. I. p. 75.

PROGENIEM MAGNI DESCRIBIT IMAGO PHILIPPI,
LATE QUI POPULOS REXIT, IBERE, TUOS.
SIC OSTRO, GEMMISQUE NITET, SIC LUMINA LUSTRANT
INCLYTA REGIFICOS, CÆSAREOSQUE LARES.
FORMAM CHARTA REFERT, QUAS NULLO SCALPERE CÆLO
DEXTRA QUEAT, MENTIS FAMA LOQUATUR OPUS.

TAB. CXI.

VII. Elegans quoque eſt imago MARIÆ, a laudato illuſtr. Comite producta, nec priori multum abſimilis. Ab humeris ad pectus torques deſcendit, gemmis pretioſis aucta. Cum primum eiusmodi imago anno 1626. ab Aula *Hiſpanica* ad *Cæſaream* mitteretur, iuſſuque *Cæſaris* ab ELEONORA Imperatrice ad manus FERDINANDI III. tum Regis *Hungariæ*, ac MARIÆ deſignati ſponſi, conſignaretur, is illam tanti fecit, ut eapropter haſtiludii ſpeciem, aliaque lætitiæ ſigna ederet. a)

Itemque ſecunda. N. 2.

VIII. Alio ſitu, nimirum ſedentem, peritiſſimi artifices, *Antonius van* DYCK, pictor, & *Ioannes* MEYSSENS, chalcographus *Antverpiæ* anno 1646. ediderunt, adeoque anno ætatis eius XXXIX. aut XL. ut quæ die XVIII. *Aug.* anni 1606. in hanc lucem edita fuit, teſte eodem illuſtr. Comite, ſupremo Imperatricis Aulæ Præfecto, b) qui & elogium eius inſigne plane, ac rarum, hunc fere in modum concinnavit: Domina MARIA, Infans *Hiſpaniarum*, Archiduciſſa *Auſtriæ*, cum dignitate perſonæ, tum nobilitate generis, ac conditione vitæ, una omnium maxima erat. Ac dignitate quidem, quod *Romanorum* Imperatrix, ac Regina *Hungariæ*, *Bohemiæ*que: nobilitate generis, quod PHILIPPI III. Regis *Hiſpaniarum*, & MARGARITHÆ Archiduciſſæ filia, atque adeo ex linea paterna PHILIPPI II. Regis *Hiſp.* neptis, Imperatoris CAROLI V. proneptis, PHILIPPI I. Regis *Hiſp.* abneptis, Imp. MAXIMILIANI I. atneptis, ac denique Imp. FRIDERICI V. trineptis fuerit. Conditione denique vitæ, quod Imperatoris uxor, Imperatoris nurus (adde, quod poſtea feliciter evenit, Imperatoris LEOPOLDI *Magni* mater) ac Regis *Franciæ*, Regis *Poloniæ*, & Electoris *Bavariæ* fratria ſalutaretur. Quod ſi creaturam *humanam Angelicæ* comparare fas ſit, id hanc certe Principem tam *ex forma*, *habituque corporis*, quam vitæ, & morum integritate, ac reliqua agendi ratione mereri. Poſtremo de virtutibus eius, ſingulatim recenſendis, conſulto ſe abſtinere fatetur; quod laus eiusmodi, ut ut a veritate minime abhorrens, a ſupremo tamen illius aulæ Præſide profecta, adulationis notam vix effugeret.

Ac tertia, cum eius elogio. N. 3.

IX. Eadem MARIA in pedes erecta, quarto hic loco ſiſtitur. Eburnei coloris, albis diſtinctam floribus, diſtentamque cycladem gerens, dextram menſæ, corona *Cæſarea* conſpicuæ, imponit, ſiniſtra demiſſa, velabrum tenet. Capitis præterea elegans cultus, & ab humeris ad pectus torques, ſeu zona demittitur, gemmis pretioſe

Eadem in pedes erecta. N. 4.

a) Teſte eod. ibid.

b) Ibid. p. 73.

TAB CXI. tiose ornata. Corona *Cæsarea*, tituli *Augustæ*, ac solemnis unctionis insigni, MARIAM nostram anno 1637. die VII. *Ianuarii* redimitam fuisse, scribit GANSIUS, sed errore haud dubie typographico; quando reliqui a) diem XI. *st. vet.* seu XXI. *Ianuarii st. nov.* produnt. Denique annulus, digitum eius salutarem exornans, prætereundus haud est. Annulum enim huiusmodi ab Imperatrice nostra non nunquam data opera ad id designatum, ac constitutum fuisse, ut tali signo supremi Numinis, ubique præsentis, identidem admoneretur, legimus in laudatione eius funebri, quam *Hispanico* idiomate R. P. *Bonaventura* de S. MATTHÆO, Ord. S. FRANCISCI *Capucinorum*, in exequiis, *Wiennæ* a Congregatione *Hispanica* in templo S. MICHAELIS Ord. S. B. institutis, habuit. Tanta nempe cura, & sollicitudine cavebat piissima Princeps, ut ne DEI memoria unquam excideret animo. Idem muneris interdum certæ cuidam gemmæ iniungebat. Eductum est simulacrum ex arce Archiducali, cui a *bello fonte* nomen.

Altera FERDINANDI coniux, MARIA LEOPOLDINA. N. 5.

X. Altera FERDINANDI coniux, MARIA LEOPOLDINA, ex tabula picta eiusdem palatii *Bellofontani* excepta, in pedes erecta hic sistitur. Vestis exterior nigra, interior vero leucophæa est, albisque limbis denticulatis exornata. Manicas, varie incisas, institæ, nodo in circulos connexæ, ligant. Sinistra vero strophiolum tenens, dextram supra coronam *Cæsaream*, etsi ea nunquam redimita fuerit, tanquam *Rom.* Imperatrix, itemque super librum reponit. Hoc vero librum illum precum indigitari existimandum est, quem sibi pro speciali in religionis operibus fervore data opera conscribi fecisse, testatur in sermone eius funebri P. *Thomas* DUELLER S. I. qui & eandem ab operibus misericordiæ, beneficentia, ac singulari favore in pauperes, summa morum innocentia, modestia, seu humilitate christiana, aliisque præclaris sane, atque raris virtutibus, impense laudat. Huius Principis ortum BIRCKENIUS ad annum 1632. diemque VI. *Aprilis* consignat: at magis fidendum videtur SCHOENLEBENIO in *Ephemerid.* qui cum LEQUILEO, MS. *Oeniponti* inspiciente, diem VI. *Martii* ponit. De nuptiis eius liber baptismalis hæc habet: *Die* 2. *Iulii* 1648. Sacra Cæsarea Maiestas, FERDINANDUS III. & Augusta MARIA LEOPOLDINA, in capella provinciali *Lincii*, ab illustrissimo, & Reverendissimo Domino *Camillo* MELTIO, Nuntio Apostolico, sacro matrimonio copulati fuerunt, præsentibus serenissimo Archiduce FERDINANDO CAROLO, & Excellentissimo Domino Duce de TERRA NOVA, Legato S. R. M. *Hispaniarum*.

Ac tertia ELEONORA. N. 6.

XI. Extremo loco ELEONORAM GONZAGAM, CAROLI II. Ducis *Mantuæ*, filiam, FERDINANDI III. uxorem tertiam, egregie, ac pretiose cultam, in dicta arce *Bellofontana* olim existentem, proferimus. Eius nuptiarum solemnia describit *Theatrum Europæum*, b) inter

a) Theatr. *Europ.* P. III. p. 746. PIASECIUS, WASSENBERG. apud STRUV. Corp. Hist. *Germ.* tom. II. p. 1036. b) Tom. VII. p. 142.

inter cetera memorans, illam an 1651. diem XXI. *Martii Mantua* magnifica pompa decedentem, veſte indutam comparuiſſe, gemmis pretioſiſſimis undique obſitam, & ad *Germanorum* morem exactam, quæ tanquam donum ſponſi pretio ſexaginta millium *ducatorum* æſtimata fuerit.

INSCRIPTIONES.

XII. VINDOBONÆ in foro, ab aula nuncupato, XVIII. *Maii* anno 1647. FERDINANDUS coloſſum marmoreum erexit, Deiparæ Virgini, ſine labe conceptæ, his verbis dedicatum:

FERDINANDUS Virgini ſine labe conceptæ coloſſum erigit marmoreum:

DEO OPTIMO MAX.
SUPREMO COELI TERRÆQUE IMPERATORI,
PER QUEM REGES REGNANT.
VIRGINI DEIPARÆ IMMACULATE CONCEPTÆ,
PER QUAM PRINCIPES IMPERANT:
IN PECULIAREM DOMINAM
AUSTRIÆ PATRONAM
SINGULARI PIETATE SUSCEPTÆ:
SE, LIBEROS, POPULOS, EXERCITUS, PROVINCIAS,
OMNIA DENIQUE CONFIDIT, DONAT, CONSECRAT,
ET IN PERPETUAM REI MEMORIAM
STATVAM HANC EX VOTO PONIT
FERNANDVS TERTIVS AVGVSTVS
DIE 18. MAII.

Adiectæ ſunt inſcripturæ duæ aliæ, votum FERDINANDI hunc in modum exprimentes:

OMNIPOTENS SEMPITERNE DEUS, PER QUEM REGES REGNANT, IN CUIUS MANU SUNT OMNIUM POTESTATES, ET OMNIA IURA REGNORUM; EGO FERDINANDUS CORAM TUA DIVINA MAIESTATE HUMILITER PROSTRATUS, MEO, MEORUMQUE SUCCESSORUM, ET INCLYTÆ HUIUS PROVINCIÆ AUSTRIÆ NOMINE, IMMACULATAM FILII TUI MATREM, SEMPER VIRGINEM MARIAM, HODIE IN PECULIAREM DOMINAM, AC PATRONAM HUIUS ARCHIDUCATUS INVOCO, ET ASSUMO: INSUPER VOVEO, AC PROMITTO, EIUSDEM IMMACULATÆ CONCEPTIONIS FESTUM, QUOD CADIT IN DIEM OCTAVAM DECEMBRIS, SOLEMNITER ETIAM QUOAD FORUM IN HAC PROVINCIA QUOT ANNIS PRÆVIO, MORE ECCLESIÆ, CONSUETO IEIUNIO IN EIUSDEM PERVIGILIO CELEBRANDUM. TE DEPRECOR, SUPREME COELI TERRÆQUE IMPERATOR, QUI, QUOD MATRI TUÆ IMPENDITUR, TIBI IMPENSUM REPUTAS, VOTUM HOC MEUM, QUOD SUGGERERE CLEMENTER DIGNATUS ES, BENIGNO FAVORE PROSEQUERE, ATQUE AD PROTEGENDUM ME, DOMUM MEAM, POPULOSQUE MIHI SUBIECTOS, DEXTERAM TUÆ MAIESTATIS EXTENDE, AMEN. DIE 18. MAII 1647. IN ECCLESIA DOMUS PROFESSÆ SOCIETATIS IESU, ANTE ARAM SUMMAM, IN MANUS PRINCIPIS ET EPISCOPI VIENNENSIS PHILIPPI FRIDERICI DE FAMILIA BREUNERIORUM.

XIII. At vero elapſo vicennio, videlicet anno 1667. VI. *Idus Decembris*, LEOPOLDUS Imperator, FERDINANDI filius, ut monumentum eiusmodi æternitati conſervaret, ſublato coloſſo marmoreo, magni pretii æreum ſubſtituit, inſcriptionibusque prioribus reſtitutis, hanc in ſententiam novam appoſuit:

Quem LEOPOLDUS *Magnus* in æneum commutat.

LEOPOLDUS
ROM. IMP. SEMPER AUG.
STATUAM HANC
HONORI VIRGINIS
SINE MACULA CONCEPTÆ
AB AUG. PATRE SUO ERECTAM
ET PRETIO AUXIT
ET IMMORTALITATI DONAVIT.
NAM, QUAM LAPIDEAM INVENIT
AUSTRIACA PIETATE AC VOTO
ÆREAM FECIT ET ÆTERNAM.
UT CUIUS BENEFICIO
CORONAS, VICTORIAS, PACEM
ET SUCCESSIONEM ACCEPIT,
EIDEM HÆC OMNIA
AC SE IPSUM DEBERE
TESTARETUR
ANNO
M. DC. LXVII.
DIE VIII DEC.

Stylobatam lapideam huius colossi quatuor genii exornant, singuli singulis basibus insistentes. Primus ad orientem versus, stygio draconi ferrum intentans, scutum præfert, his verbis insignitum: IPSA CONTERET. Alter ad occasum spectans, stygio draconi insistit, addita voce: CONCULCABIS. Tertius austrum versus positus, infernalem aspidem trucidat, cum lemmate: AMBULABIS SUPRA. Ac ultimus denique ad meridiem respiciens, basilisco infestus est. Scuto inscribuntur verba: NON PRO TE LEX.

Idem FERDINANDUS cultum B. V. propagat.

XIV. Sacellum Sanctissimæ Virginis MARIÆ *Liberatricis* sæpius laudati templi Collegialis, & Parochialis, SS. MICHAELIS, & GUDULÆ *Bruxellis*, quod anno 1653. ad fastigium perductum est, fenestras habet, a picturarum artificio magni æstimatas, quarum prior FERDINANDUM III. Imperatorem cum sua coniuge ELEONORA exhibet, hac addita inscriptura:

FERDINANDUS III. D. G.
ROMANORUM IMPERATOR,
PIUS, FELIX, AUG.
REX GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ
SCLAVONIÆ, ETC.
ARCHIDUX AUSTRIÆ
DUX BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, STIRIÆ, CARINTHIÆ,
CARNIOLÆ,
MARCHIO MORAVIÆ,
DUX LUXEMBURGIÆ, AC SUPERIORIS ET INFERIORIS
SILESIÆ, WIRTEMBERGÆ, ET TECKÆ,
PRINCEPS SUEVIÆ
COMES HABSBURGI, TIROLIS, FERRETIS, KIBURGI,
ET GORITIÆ,
LANTGRAVIUS ALSATIÆ,
MARCHIO SACRI ROMANI IMPERII, BURGOVIÆ

AC

AC SUPERIORIS ET INFERIORIS LUSATIÆ,
DOMINUS MARCHIÆ SCLAVONICÆ, PORTUS NAONIS
ET SALINARUM,
PACATA GERMANIA, ASSERTO IMPERIO, AVITA
RELIGIONE PROPAGATA,
PERPETUUM AUGUSTÆ DOMUS SUÆ IN DEIPARÆ
CULTUM,
PRAGÆ ET VIENNÆ NUPER ERECTIS ORBI NOTUM,
ETIAM GERMANIÆ INFERIORIS URBE PRINCIPE
SACRÆ EIUS REPRÆSENTATIONIS MONUMENTUM
TESTATUM ESSE VOLUIT
ANNO SALUTIS 1650.

In baſi feneſtrarum ſol cum lemmate, ſeu verbis ALEXANDRI *Magni*, ex PLUTARCHO deſumptis, pingitur: ORBI SUFFICIT UNUS; quo ad dignitatem, & magnitudinem Imperatoriam reſpicitur.

XV. In Eremo RR. PP. *Carmelitarum* prope *Mannerſtorff*, *Auſtriæ* Inferioris, conclave quoddam hoſpitum hanc inſcriptionem chronologicam præfert, annum 1654. indicantem:

Bene precatur Religioſis *Carmelitis*,

MARIA IOSEPH THERESIA ET AN
NA AVIA IESV, BENEDICANT VO
BIS FRATRIBVS SERVIS SVIS
IN QVIETE HABITAN
TIBVS.

Alia manu additum eſt:

Hæc propria manu ſcripſit
piiſſimus Imperator
Ferdinandus III. quando in-
terfuit conſecrationi ec-
cleſiæ noſtræ.

XVI. Ibidem & alia legitur, a FERDINANDI uxore tertia, ELEONORA *Mantuana*, profecta:

Ut & uxor eius ELEONORA.

CON C'HAMIRAR VIENI
DI QUESTE OPACHE SELVE
I RIVI E GIRI AMENI
FUGI FUGI VELOCE
IL PILETTO CH' V' NOCE
NON TI PAVENTIN BENCHE
CILICII ET DISCIPLINE
CH'AVRAI GIOIE DIVINE
E QUELLO è VER' GIOIRE
CHE NASCE DA VIRTù DOPPO IL SOFFRIRE.

Laus hæc inſcriptio eſt vitæ ſolitariæ. Adiecit alia manus ſequentem notitiam:

Hæc propria manu ſcripſit
piiſſima Imperatrix
uxor Ferdinandi III.
Eleonora 1654.

Munimenta urbis *Vindobonensis* ampliat.

XVII. Propugnacula quoque urbis *Vindobonensis* duo Augustum FERDINANDI III. nomen præferunt. Nimirum supra portam, cui a parvis munimentis nomen, paucis absolvitur inscriptura:

ANNO | FERDINANDUS III. ROM. IMP. | 1646.

Longior est altera, in angulo munimenti ad latus sinistrum portæ *Scotorum* legenda:

FERDINANDUS III. ROM: IMP: GERM:
HVNG:BOH: ZC: REX ARCHID: AVST:
PROPVGNACVLUM HOC MVRO OBDVCI
CVRAVIT ANNO MDCLVI.

CAPUT VI. & ULTIMUM.

FERDINANDUS IV. ROM. REX, & CAROLUS IOSEPHUS, EIUS FRATER.

§. I.

FERDINANDI IV. imago, ac linguarum peritia. TAB. CXII. N. 1.

Cum constitutum nobis sit, ut, quemadmodum in *Nummotheca* factum est, ultra FERDINANDUM III. & eius proles, *Pinacothecam Austriacam* haud protendamus: ex his quoque unum FERDINANDUM IV. eiusque fratrem, CAROLUM IOSEPHUM, seligere visum est, cum ut spatio consulamus, tum vero quod *Pinacothecam* ad nostram usque ætatem olim producturo, filias adiicere, facile futurum sit. Itaque primo loco FERDINANDI FRANCISCI, tanquam pueruli octo circiter annorum, effigiem hic damus, prout apud Excellentissimum KHEVENHILLERUM reperitur, ac ubi illum hac ætate eos iam iam in litteris, aliisque disciplinis, Cæsareo Principe dignis, profectus fecisse legimus, ut Augustum patrem, an. 1641. ex Comitiis *Ratisbonensibus* reducem, *Latina*, matrem *Hispanica* allocutione adeo scite exceperit, ut adstantibus, præ nimio exinde concepto gaudio, lacrymas exprimeret. Utramque allocutionem illustrissimus auctor conservavit. a)

Alia tanquam R. R. cum corporis, & animi effigie. N. 2.

II. Proximum schema, ex palatio *Bellofontano* eductum, FERDINANDUM nostrum, tanquam *Romanorum* Regem, cum insigniis, mensæ, tapete obtectæ, impositis, exhibet, dextra libellum tenentem, sinistra capulum gladii. Integer amictus, quasi ex tela sericea concinnatus, quin & ipsæ tæniæ denticulatæ nigri coloris sunt, excepto patagio, & manicis, quæ candido, ac tibialibus, quæ russeo colore infecta sunt. Ex adiectis *Romani* Imperii insignibus colligere est, imaginem hanc ante XXXI. *Maii* anni 1653. quo noster Rex *Romanorum* creatus fuit, pictam haud esse, atque adeo anno ætatis eius ultimo, aut penultimo. Historiam electionis, ac coronationis huius

a) Collect. imag. tom. I. p. 79.

huius fuſe deſcribit *Theatrum Europæum*, a) & THULDENUS. b) Erat Princeps iuſtæ pro ſua ætate ſtaturæ, blando aſpectu, longis, ac infra humeros defluentibus, volitantibusque capillis; ingenio, dotibusque animi talibus, ut *Europa* ſummam cum eo ſpem ſepultam fuiſſe, haud fruſtra lugeret.

TAB. CXII. a b

III. Succedunt CAROLI IOSEPHI, eius fratris, imagines tres. Natus is eſt *Vindobonæ* die VII. *Auguſti* 1649. denatus *Lincii* die XXVII. *Ianuarii* 1664. inclyti ſubinde Ordinis *Teutonici* deſignatus ſupremus Magiſter. Primum ſchema illum adhuc admodum iuvenem, ac veſte rubea, minium imitante, cum albis floſculis, indutum, tibialibus autem, & patagio candidis, exhibet, dextra florem, quem tulipam vocant, tenentem, ſiniſtra pectori admota.

Icon CAROLI IOSEPHI. N. 3.

IV. Sequens protome G. BOUTTATS, chalcographi *Vindobonenſis*, opus, Principem noſtrum, ut poſtulatum Eccleſiæ *Patavienſis* ſucceſſorem, veſte Eccleſiaſtica amictum, commonſtrat. Factum id eſt anno 1662. die XIII. *Aprilis*, cum annum ætatis decimum tertium ageret, teſte Cl. P. HANSIZIO, c) qui etiam, quo pacto, a patre moribundo ſupremis verbis LEOPOLDO GUILIELMO patruo commendatus, ab eoque ad omnem pietatem inſtitutus fuerit, cum breviter retuliſſet, ſubdit: „Et reſpondebat indoles, ad om„nem probitatem, & innocentiam, ſuopte genio propenſa: inge„nium, & mores pientiſſimi patrui hauſiſſe viſus a natura. Capi „unice rebus, DEUM, ac Divina ſpectantibus: eius argumenti col„loquia in deliciis habere. Enitebat ardor veſcentis Angelorum pa„ne, atque in ipſo vultus, ac corporis, Angelico prorſus habitu lu„cebat affectus interior, qui ſpectantibus liquide voluptatis ſenſum „ingereret. Deiparæ Virgini primulos amorum ſuorum flores de„voverat: id pietatis genus velut in gloria ducere, atque omnibus „occaſionibus præſeferre.„ Hæc Clar. HANSIZIUS. Addit vero ex oratione funebri, qua Principem ſuum *Godefridus Aloyſius* KIRNER, de *Lœwenthurn*, *Iuris*, & *Theologiæ* Doctor, ac CAROLI noſtri ephorus, deflevit: obſervatam in hoc iuvene Principe fuiſſe igneam, & in ſublime ſemper aſpirantem ingenii vim: memoriam ad miraculum capacem, vigentemque, iudicium acre, maturum, ac prudens: tum ad artium, & ſcientiarum myſteria perdiſcenda tantum ardorem, & ſitim, ut fatigari, & exhauriri citius magiſtrorum diligentiam, quam capaciſſimæ eius mentis deſiderium expleri potuiſſe videretur; hinc in brevi illa ætatula, qua vixit, eas iam diſciplinas comprehendiſſe tenellum Principem, quæ viris, alioqui ætate, prudentiaque provectis, negotium conſuevere faceſſere. Fuiſſeque in eo peritiam *Latinæ* linguæ ad admirationem multorum: uſum item ſermonis *Italici* expeditum: incredibilem hiſtoriarum amorem, earumque memoriam: præterea Arithmeticæ, Sphæræ cœleſtis, Geographiæ, Steganographiæ miram cognitionem, artis denique, quæ

Altera cum eius elogio. N. 4.

c

a) Tom. VII. p. 354. ſeqq.
b) Hiſt. ſui temporis p. 71. ſeqq.
c) *German. ſacra* tom. I. p. 754.

quæ urbium muniendarum rationem continet, ſtudium ſupra modum eximium. Ceterum corpus illi debile, viribusque invalidum licet ei fuerit, ſacro Miſſæ Sacrificio tamen ſemper de genibus intereſſe conſueviſſe, ac denique quodvis peccatum tanto horrore deteſtatum fuiſſe, ut non tam pro ſymbolo (in quo ſæpe oſtentationi plurimum tribuitur) quam incorruptæ puritatis clypeo uſurpare potuerit illud: *malo mori, quam fœdari*, & aliquando ante altare ſuum proſtratus, uberrimas lacrymas profuderit, ea de cauſſa, quod de quibusdam verbis, inter familiares iocos prolatis, ſuſpicari poterat, ſe in peccatum gravius incidiſſe.

Ac tertia tanquam deſignati Ord. *Teuton.* Magiſtri. N. 5.

V. Tertium ſchema CAROLUM noſtrum tanquam ſupremum Ordinis *Teutonici* Magiſtrum repræſentat: cathaphacta nimirum indutum, ac cruce conſpicuum. Capillos, ut frater eius, infra humeros uſque defluentes, a vertice diſcriminatos geſtat, ſecus, ac avus, ceterique ad CAROLUM V. uſque maiores, abolito ſcilicet circa hæc tempora ſuggeſtu illo crinium, quem *Auſtriam* vocare ſolebant, nec non & capitum raſura. Magni Magiſterii Coadiutorem, opera LEOPOLDI GUILIELMI, patrui, anno 1662. in Comitiis equitum, *Vindobonæ* coactis, creatum fuiſſe, teſtatur loc. cit. HANSIZIUS, quanquam eodem mortuo, ipſam Magni Magiſterii adminiſtrationem per ætatem adire nequierit, ut ſupra citatus HESSIUS auctor eſt. a)

a

Supplement. N. 1. 2.

VI. Quod ſupereſt, paucis his ſupplemus, quæ binis in locis per decurſum huius operis ſupplenda duximus. Primum horum occupat ſchema CATHARINÆ, PHILIPPI *Audacis*, Ducis *Burgundiæ*, filiæ, ac LEOPOLDI IV. *Auſtriæ* Ducis, uxor, de qua plura videnda ſunt ſupra lib. I. cap. XIV. §. V. p. 126. ſeq. Alterum ſimulacrum eſt PHILIPPI II. Regis *Hiſpaniarum*, ex armamentario *Ambraſiano Iacobi* SCHRENCKII a *Notzing* eductum. De quo lib. II. cap. IV. §. V. p. 213. pariter egimus.

a) In diſcurſu inaugurali, ſeu ſuccincta Ord. *Teuton.* hiſtor. num. XLV.

TOM. III. PART. II.

FINIS.

INDEX
RERUM & VERBORUM
TOMI III.
MONUMENTORUM AUSTRIACORUM.

Numeri Romani maiores Volumen I. indicant, Arabici ſecundum.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

Arcus

INDEX RERUM ET VERBORUM.

B.

C.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

Catharina,

Corona,

ELISA-

INDEX RERUM ET VERBORUM.

F.

Hungariæ

G.

H.

I.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

K.

L.

Leoppol.

N.

O.

P.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

Pro-

Scul-

VIO-